



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Mazzotta theologia moralis

omnem rem moralem absolutissime complectens

Mazzotta, Nicolò

Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756

Tractatus VI. Theologico-Moralis De Sacramento Poenitentiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41004



TRACTATUS VI.

Theologico - Moralis

DE

SACRAMENTO POENITENTIÆ.

SALUBERRIMUM hoc Sacramentum varie appellatur à PP., & Conciliis, nempe Secundus Baptismus, Secunda Tabula post naufragium, Sacramentum Reconciliationis, Absolutionis, Exomologesis, seu Confessionis, sed præcipue Pœnitentiæ, ob contritionem, vel attritionem, qui sunt actus proprii hujus Virtutis. Hinc Theologi loquuntur hic de Pœnitentia, & ut Virtus est, & ut Sacramentum; nam ut Virtus est, & ut Sacramentum; nam ut virtus communis est omni legi etiam scriptæ, & naturali; ut Sacramentum, propria est legis Evangelicæ. Institutum enim fuit à Christo, Præcipue cum à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos: Joan. 20. dicens, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*
R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. R. pec-

peccata &c. Trid. sess. 14. de Pœnit. c. 1. & cum D. Th. definitur, *Sacramentum Reconciliationis post lapsum, in actibus Pœnitentis, & absolutione Sacerdotis consistens.* Itaque ejus materia remota sunt peccata, materia proxima sunt actus Pœnitentis: forma vero Sacerdotalis est Absolutio: Doctores omnes ex Flor. & Trid. cit. Equidem omisissis, quæ ad Scholasticos pertinent, Tractatum moralem in duas disputationes divido: I. Erit de iis, quæ pertinent ad Pœnitentem: II. De iis, quæ pertinent ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ.

DISPUTATIO I.

De iis, quæ pertinent ad Pœnitentem.

QUINQUE ad Pœnitentem pertinent: I. Necessitas, & Præceptum Pœnitentiæ: II. Examen Conscientiæ: III. Cordis Contritio: IV. Oris Confessio: V. Operis Satisfactio: quæ omnia quinque quæstionibus absolvam.

QUÆSTIO I.

De Necessitate, & Præcepto Pœnitentiæ.

TRID. loc. cit. loquendo de Pœnitentia in genere ait, *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi Sacramento ablui petivissent.* Si fuit necessaria, fuit etiam præcepta, cum quisque teneatur adhibere medium sibi necessarium ad salutem. Hinc videndum, quæ sit hæc necessitas, quod præceptum, quando, & quos obliget?

CAPUT I.

Quæ sit necessitas Pœnitentiæ?

SUPPONO, ex dictis etiam alibi, aliqua dici tantum necessaria necessitate præcepti, quo scilicet præciso
non

non essent necessaria ad salutem, ut est auditio Missæ die Festo, restitutio, &c. Aliqua vero dici necessaria etiam necessitate mediæ, ita ut sine illis, utut invincibiliter omissis, non obtineatur salus: & hæc, alia dici sic necessaria in re, ita ut in seipsis, & non aliter, haberi debeant; qualis est Fides, Gratia Sanctificans, &c. Alia vero dici sic necessaria vel in re, vel in voto, ita ut, si in se ipsis haberi nequeant, debeant optari saltem implicite, & simul quæri per aliquid aliud, quod suppleat eorum defectum, qualis est baptismus, qui, si in seipso haberi non possit, debet saltem implicite desiderari, non quomodocunque, sed per actum amoris Dei, vel contritionis, vel martyrii, quæ suppleant ejus defectum. His suppositis

Dico primo: Ob peccatum originale, si solum sit, non est necessaria pœnitentia, neque ut Virtus est, neque ut Sacramentum: Doctores communissime. Ratio est, quia, cum originale non fuerit nobis physice voluntarium, non est opus physice à nobis retractari, sed sufficit, ut quisque sua voluntate, vel aliena, quando sua non potest, submittat se remedio, quod Deus instituit ad illud delendum; nempe circumcissioni in lege veteri, baptismo in nova. Hinc ab Alex. VIII. damnatur in Jansenist. hæc Prop. 19. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.* At, si originale in adulto nondum baptizato conjunctum sit cum aliquo mortali personali, non remittitur sine aliqua de hoc pœnitentia prævia ad baptismum, ex Trident. citat. Quapropter hæc erit ei necessaria necessitate mediæ, vel in voto; ita ut vel eliciat actum saltem attritionis in Baptismo fluminis, vel actum contritionis, aut charitatis in baptismo fluminis; vel subeat martyrium in baptismo sanguinis: Doctores communiter.

Dico secundo: Ob peccata venialia, si sola sint, etsi utilis, & consulenda sit pœnitentia, tamen non est simpliciter necessaria in hac vita, neque ut virtus, neque ut Sacramentum: Doctores communiter ex Tridentin. *sess. 14. c. 5.* Ratio est, quia venialia per se non pugnant cum gratia, & sufficit ea retractari, eisque satisfieri post mortem. Præterea ad remissionem venialis (si non sit conjunctum cum mortali) satis est quivis actus alterius virtutis supernaturalis, dummodo habeat oppositionem aliquam saltem virtuales cum illo, puta

R 2

per

per actum eleemosynæ remittitur actus avaritiæ venialis, &c. Suar. & alii contra Vasq. & alios: item factis sunt Sacramentalia, ut asperio aquæ benedictæ, benedictio Episcopalis, &c.; quatenus per ea rite suscepta movetur Deus ad excitandos in nobis actus sufficientes ad talem remissionem; Bonac. & alii. Si autem retractentur à justo omnia venialia per actum virtutis pœnitentiæ, remittuntur quidem extra Sacramentum, sed non omnia; quia secus nunquam in Justo remitterentur vi Sacramenti, quod requirit dolorem eorum, quæ per ipsum remittuntur, ut not. Platel. & alii contra Suar. & alios.

Dico tertio: Ob peccatum mortale personale est curæ peccatori simpliciter necessaria necessitate mediæ pœnitentiæ vel in re, vel in voto: Doctores communissime cum D. Th., ita ut Averf. Platel. & alii dicant, esse de fide, ex Trid. cit. c. 1. Ratio est, quia Homo est agens liberum, & per mortale personale se libere avertit à Deo, ergo congruum fuit, ut se iterum per motum suæ liberæ voluntatis ad Deum convertat, atque aptissimus motus se convertendi ad Deum erat actus pœnitentiæ, seu dolor, & detestatio peccati: ergo congruum fuit, ut hæc foret tali peccatori necessaria necessitate mediæ ad salutem. sive in re, sive in voto, quando per ignorantiam, aut impotentiam haberi ea in re non possit. Itaque peccatori, si non sit baptizatus, necessaria est pœnitentiæ ut virtus est, sive in re, sive in voto, juxta dicta concl. 1. At, si sit baptizatus, est jure positivo necessaria etiam ut Sacramentum est, ex Trident. *sess.* 14. *can.* 6. & 7. ita ut absolvi debeat Sacramentaliter, vel si non potest, optet tamen saltem implicite ita absolvi; aliter non salvabitur: hoc autem votum confessionis non est qualecunque desiderium illius, sed præcise includi debet in aliquo ex tribus actibus mox explicandis, in quibus virtualiter habetur Sacramentum Pœnitentiæ.

Habetur primo in actu contritionis perfectæ, qui proinde justificat etiam extra Sacramentum, ex Trid. *sess.* 14. c. 4. cum procedat ex amore Dei perfectæ, & sit votum saltem implicitum servandi omnia præcepta graviter obligantia, inter quæ est præceptum divinum constandi mortalia post baptismum commissa, ideoque est Sacramentum Pœnitentiæ in voto.

Habe-

Habetur secundo in actu charitatis perfectæ, quo diligitur Deus super omnia simpliciter, quique etiam justificat extra Sacramentum, ex Proverb. 8, *Ego diligentes me diligo*, & 1. Petr. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*: & sane, si tota vis contritionis ad delendum peccatum sita est in ratione charitatis, ut bene ponderat Lug. d. 5. n. 95. & charitas etiam per se ipsam est votum saltem implicitum servandi omnia præcepta, adeoque etiam confessionis, sequitur, ut etiam sufficiat ad justificationem peccatoris: saltem obliti peccati sui; si enim recorderetur, D. Th. Bell. Suar. Con. & alii putant; eam non sufficere sine formali, & actuali dolore; quamvis etiam sufficere probabiliter dicant Tann. Arriag. Lug. Averf. & alii, cum implicite includat votum suscipiendi suo tempore Sacramentum Pœnitentiæ, adeoque eliciendi tunc dolorem formalem.

Habetur tertio in Martyrio, quod remittit omnem culpam, & pœnam: Doctores communiter ex cap. *Cum Marthæ, de Celebr. Missæ*, ubi dicitur, *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*. Putant tamen D. Th. D. Bon. Nav. Alenf. Scot. Dur. Vasq. Laym. & alii, id non habere ex se, sed ex actu charitatis adjuncto; ita ut, si peccator bona fide, & invincibiliter talem actum omitteret in martyrio, non justificaretur per illud; quia 1. Corinth. dicitur, *Si tradidero Corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Sed probabiliter etiam contradicunt Cajet. Sot. Val. Bell. Suar. Con. Bon. & alii; quia Matth. 10. Marc. 8. Luc. 9. Joan. 12. expresse promittitur salus æterna hoc ipso, quod quis vitam suam ponet propter Christum; quod certe facit, qui mortem sustinet præcise pro defensione fidei, vel alterius virtutis christianæ, nisi tunc non cogitet de eliciendo actu charitatis perfectæ; ergo ex privilegio Christi per se habet martyrium, ut justificet; estque præterea Sacramentum in voto, cum voluntas subeundi martyrium pro lege Christi sit saltem implicite votum servandi omnia ejus præcepta, adeoque etiam suscipiendi Sacramentum, si possit. Illud autem Apostoli intelligitur, non pure negative, sed contrarie, hoc est, *Si propria sponte, vel ex pravo fine, vel non ex aliqua virtute tradidero, &c.* ut notat Averf.

Objicies: Ex dictis sequitur, observantiam omnium præceptorum esse etiam peccatori necessariam necessitate

medii, vel in re, vel in voto, quod etiam includitur in actu contritionis, charitatis, & martyrii, & consequenter nihil erit necessarium necessitate tantum præcepti.

Respondeo, Nego sequelam; ideo enim Sacramentum Pœnitentiæ est peccatori necessarium necessitate mediæ vel in re, vel in voto, quia ipsum est, quod talem peccatorem principaliter justificat, vel formaliter in seipso positum, vel virtualiter in ejus voto inclusum in contritione, charitate, martyrio, quæ proinde ab ipso habent, ut loco ipsiusificent. At aliorum præceptorum observantia non justificat peccatorem, ut patet, & consequenter nec ejus votum, nisi in quantum est etiam votum confessionis. Itaque votum servandi omnia præcepta est quidem peccatori necessarium necessitate mediæ; at observantia ipsa præceptorum est tantum necessaria necessitate præcepti. 3

CAPUT II.

Quod sit Præceptum Pœnitentiæ.

Dico primo: Nullum est præceptum per se obligans ad statim pœnitentem post mortale personale. Ita probabilius, & communius Doctores post D. Thom. Suar. Vasq. & alios plurimos contra Cajet. D. Anton. Innoc. IV. Sylvest. Abul. Carden. & alios, quos sequuntur, Rigoristæ. Ratio est, quia præceptum statim pœnitendi non est positivum, cum nullibi sit clare expressum; & cum plurimi illud ignorent, non est sufficienter intimatum; hinc nemo se accusat, quod non statim pœnituit, nec Confessarii de hoc interrogant. Neque hoc est præceptum naturale; nam, ut aliquid censeatur esse de lege naturæ: debet ejus obligatio afferre majus bonum toti generi humano, quam affert negatio talis obligationis; atqui obligatio statim pœnitendi hoc non affert; imo, cum difficillimum sit statim detestari, quod antea placuit, exponerentur passim homines continuis periculis peccatorum, amittendo pœnitentiam sic præceptam: ergo, &c. Perez, & alii. Adde tamen cum communi contra Vasq. quod, licet non sit obligatio statim pœnitendi, per se tamen obligatur peccator non diu differre pœnitentiam: Primo, quia Eccl. 4. dicitur, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius,*

illius, &c. per quæ verba indicatur præceptum præveniendi articulum mortis: Secundo, quia per se, & intrinsece malum est exponere se periculo probabili damnationis, quale est pœnitentia dilata ad articulum mortis, cum communiter animus est perturbatus ex plurimis causis: ergo est per se obligatio non diu differendi pœnitentiam: Tertio, quia omnis homo etiam justus tenetur per decursum vitæ, & quidem sæpius, quam singulis quinquenniis elicere actum charitatis Dei, ut constat ex alibi cit. Prop. 6. damnata ab Inn. XI. sed hoc præceptum est naturale, juxta omnes, ergo multo magis tenetur peccator ad talem actum, adeoque ad pœnitentiam saltem virtuales; imo addit Averf. ob majorem necessitatem, & periculum, quod affert peccatum commissum, merito brevius tempus constitui, pro obligatione pœnitentiæ, relinquendum tamen arbitrio prudentium pro diverso statu personarum, & circumstantiarum.

Objicies primo contra conclusionem; Qui non statim dolet de peccato commisso, exponit se iterum periculo peccandi, cum sit hostis Dei merito subtrahentis auxilia, ergo non statim pœnitendi peccat; ut videntur inferre PP. ex parabola decem Virginum, in qua Christus præcipit *Vigilare*, hoc est à peccato statim surgere: Secundo, Qui videt proximum peccasse, tenetur quamprimum eum potest corrigere, &, qui esset causa, ut ille permaneret in peccato, peccaret, ergo à fortiori, qui libere permanet in suo peccato: Tertio, Qui contraxit grave malum corporis, tenetur illud quam primum curare: ergo à fortiori, qui contraxit malum animæ.

Respondeo ad primum. nego antec., loquendo de periculo proximo, cum Deus non soleat peccatorem statim deferere, sed si nimis diu differat pœnitentiam, vel perseveret in actu malæ voluntatis peccandi, quo sensu loquuntur PP. cit. Ad secundum, nego paritatem: ideo teneris quamprimum potes corrigere proximum, quia non est in tua potestate nova opportunitas; at semper potes teipsum corrigere: si autem esses causa, ut ille perseveret in peccato, utique peccares, quia positive influeres, & quoad tuam pœnitentiam mere omiffive te habes, eo quod non teuearis tunc pœnitere. Ad tertium, ait D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. a. 1. q. 4. ad 2. non esse de necessitate salutis corporalis, quod infirmus statim quæ-

rat Medicum, nisi. quando necessitas curationis urget: similiter de morbo spirituali.

Objicies secundo: Peccatum habet rationem injuriae realis, cum auferat Deo debitum obsequium; sed pro injuria reali debetur restitutio, quamprimum potes: ergo, &c. Secundo, Si rebellis diceret Regi: *Nolo nunc poenitere*, censeretur contemnere Regem: ergo similiter peccator, qui non statim reconciliatur Deo. Tertio, Qui peccavit contra Fidem, tenetur statim elicere actum Fidei: ergo & qui peccavit contra aliam virtutem. Quarto, Ex D. Th. non licet manere in peccato vel ad modicum tempus.

Respondeo: Ad primum, omissa majore, de qua aliqui dubitant, nego consequentiam. In tantum injuria realis facta homini inducit obligationem statim restituendi, in quantum dilatio pergit in effectu ei nocere; at Deo nulla injuria in effectu nocet, cum non sit in se capax; & ideo non tenetur peccator statim Dei reficere injuriam, neque quoties in ejus memoriam venerit, contra Valent. Ad secundum, nego paritatem. Homines non vident cor, & ideo ex illo dicto praesumunt sui contemptum; at Deus intuens cor cognoscit peccatorem non statim poenitentem quasi dicere, *Non doleo nunc, quia Deus non praecipit nunc: poenitentiam agam suo tempore*: in quo nullus est contemptus. Ad tertium, nego etiam paritatem. Ideo tenetur prior statim ad actum Fidei, quia status infidelitatis cognitus est actuale peccatum: non sic vero status peccatoris. Ad quartum, D. Thom. loquitur de actuali voluntate non resistendi tentationi, quae voluntas est actuale peccatum.

Dico secundo: Datur praecipuum Divinum positivum subjiciendi Sacramento poenitentiae omnia, & singula mortalia commissa post baptismum: Ita definitum est à Trid. sess. 14. can. 6. & 7. ubi dicitur, esse *Ab institutione, & mandato Christi*. Hoc praecipuum infertur etiam ab eo Trid. c. 7. ex Verbis Christi, Joan. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: Si enim Sacerdotibus data est haec potestas, quae dicitur *Clavium*, datum est etiam praecipuum Fidelibus subjiciendi his clavibus mortalia, ut remittantur, vel retineantur, & ut eo rubore deterreantur ab illis committendis, & ut pro commissis recipiant congruas medicinas, facilemque remissionem; cum con-
nitio perfecta sit valde difficilis, & plerumque putata,
Hinc

Hinc neque eximitur ab hoc præcepto peccator perfecte contritus, ut putarunt D. Bonav. & Rich. à S. Viçt. qui scripserunt ante Trid.

Objicies : Mortalia remissa sunt per contritionem perfectam : ergo Sacerdos non amplius habet potestatem ea remittendi ; item nec retinendi, cum sint jam à Deo remissa : ergo nec peccator habet tunc obligationem ex præcepto Divino ea confitendi.

Respondeo, Nego utramque consequentiam. Mortalia remittuntur per contritionem, quatenus ipsa est votum confessionis faciendæ ; quapropter potestas ligandi in Sacerdote consistit in hoc, quod peccator, etiamsi contritus, debeat aliquando se illi sistere, ut à tali obligatione solvatur, & pœnitentiam recipiat pro nova remissione Sacramentali : hinc ex potestate Sacerdotis inferitur obligatio in contrito ; nam, nisi ea imposita esset obligatio procurandi absolutionem Sacramentalem, nullo modo posset Sacerdos peccatores ligare ; cum non posset impedire, quominus per contritionem, sine voto confitendi, liberentur à peccatis. Idem est de potestate remittendi talem obligationem, & iterum peccata jam remissa ; quatenus per absolutionem Sacerdotalem, confert gratiam, quæ de se esset remissiva ; si inveniret peccatum nondum remissum.

Quoad venialia, Per se loquendo, nullum est præceptum Divinum obligans ad eorum confessionem, ex Trid. *sess. 14. c. 5.* ; & probabilius neque Ecclesiasticum juxta dicenda cap. 3. Posset tamen Ecclesia id præcipere ; cum confessio venialium sit actus externus virtutis valde utilis ; & non adeo difficilis : D. Thom. Lug. Dicast. & alii contra Palud. Sot. Suarez, & alios ; imo probabilius est, Fundatores Religionum quandoque præcepisse confessionem venialium, saltem sub veniali, ut limitat Averf. Neque ex dictis inferitur, quod venialia fierent materia necessaria confessionis ; nam sola confessio fieret materia necessaria præcepta, & liberum maneret confiteri quæcunque peccata, vel quodcunque veniale. Dixi *Per se loquendo* : nam aliquando per accidens præcipitur confessio venialium : ut si habens veniale, cui adnexa sit excommunicatio minor, suscipere debeas aliquod Sacramentum, teneris sub disjunctione vel illud confiteri Sacramentaliter, vel extra sacramentaliter absolvi à censura ; item, si sit celebrandum, vel necessario communicandum,

& habeas mortale reservatum, nec adfit, nisi simplex Confessarius, teneris huic confiteri aliquod veniale: idemque est, si in tali casu suscipiendum, vel ministrandum sit aliud Sacramentum, & dubites, an sis contritus: Gob. r. 6. n. 250.

Quoad mortalia commissa ante baptismum, nullum est præceptum ea confitendi post baptismum, cum non sint materia Sacramenti Pœnitentiæ, quod institutum est pro lapsis post baptismum. Dubium est de peccato fictionis, hoc est, si adultus, dum baptizatur, nolit habere dolorem de mortalibus antea commissis, vel cum prava aliqua voluntate suscipiat baptismum? Probabilius videtur, hoc peccatum cadere iub præceptum confitendi; nam quamvis hæc prava voluntatis dispositio præcedat baptismum, neque adeo qua talis sit materia Sacramenti Pœnitentiæ; tamen mala baptismi susceptio, per quam illa voluntas exterius consummatur, est aliquo pacto post baptismum: prius enim intelligitur baptismus constitutus, & deinde prave susceptus; Tamb. *de Sacr.*

Dico tertio: Præceptum confitendi mortalia, quamvis a Christo non sit determinatum quoad tempus, sed relictum, ut determinaretur ab Ecclesia, tamen per se obligat in articulo, vel periculo mortis; Doctores communiter cum D. Th. Ratio est, quia aliter talis peccator exponeret se periculo non amplius satisfaciendi huic præcepto; ergo, etiamsi tunc eliciat actum contritionis, adhuc peccaret mortaliter, si potens non confiteatur in articulo, vel periculo mortis, puta imminente prælio, insidiis hostium, partu periculoso, periculoso itinere, aut longa navigatione: idem dic de bannitis, & habentibus inimicitias capitales: Si vero hi nequeant tunc confiteri, elicere debent actum contritionis perfectæ cum voto saltem implicito confessionis faciendæ, si poterunt. Item Suar. Val. Sanch. & alii communius contra Henr. Val. Layman. Sal. Lug. & alios docent, quod omnes teneantur in articulo, vel periculo mortis elicere actum contritionis perfectæ, sive intra, sive extra Sacramentum, quia recta ratio postulat, ut tunc adhibeatur medium tutius ad salutem, qualis est contritio, cum nemo sciat, suum mortale, seu personale, seu originale esse remissum, sive ex defectu sui, sive Confessarii, sive Baptizantis, &c. & pro supplendis omnibus defectibus, etiam baptismi, valet certe contritio. Extra periculum mortis D. Th. Scot. & alii dicunt,

dicunt, præceptum divinum non obligare per se. Communius affirmant alii cum Vasq., tum quia hoc Sacramentum est etiam institutum ad curandos animi morbos, & ad præservandum; tum maxime quia Trident. *sess. 14. c. 5.* Neque enim per Later. Conc. Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium. Et institutum esse intellexerat, sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur; si ergo id statuit ex præcepto divino, hoc non est tantum de articulo mortis.

Quæres hic, Quodnam sit præceptum datum Medicis pro confessione Infirmi?

Respondeo, ex Bull. Pii V. *Super gregem* ann. 1566. præcipi: *Ne Medicus incipiat curare infirmum, nisi eum moneat de Confessione facienda; neque ultra tres dies eum invisat, nisi scripto Confessarii resciat, eum esse confessum, Et ut Medici, antequam Doctoratus gradum assumant, jurent, se hoc præceptum observaturos, Et ne Ordinarii illos admittant in suis Diœcesibus, nisi constiterit de hoc juramento.* Hactenus ex Bull. Notant tamen Doctores cum Suarez, Sanchez, & aliis, hanc Bullam in multis temperatam jam esse à ipsa consuetudine, quæ est optima legum interpret: & Primo, ut intelligatur de morbis periculosis: Tertio, Sufficit testimonium domesticorum, vel ipsius infirmi de confessione facta, modo sint fide digni: Quarto, Si infirmus nolit obstinate confiteri, non est deserendus à Medico, si hoc deserente grave periculum illi immineat; Bulla siquidem jubet, ægrotum desereri, quando desertionis timore speratur, quod resipiscat; secus vero, si omnino destituitur; sic nec deseritur Turca ægrotus, qui obstinate nolit baptizari: Quinto, Juramentum datum à Medicis intelligendum, juxta jam dicta, ex usu recepto.

Denique præceptum confessionis mortalium per accidens obligat aliquando etiam in vita: puta si sit quis in periculo relabendi, nisi muniatur hoc Sacramento: Lug. d. 5. f. 4. si requiritur confessio tanquam conditio ad dispensationem voti, aut impedimenti: Croix num. 2022. si sit communicandum, vel celebrandum: ex Trident. *sess. 15. c. 7. & can. 11.*

CA-

Quod sit Præceptum Confessionis annuæ?

CONCIL. Later. sub Innoc. III, & ex eo c. *Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & Remis.* ita præcipit: *Omnis utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & mortuus careat sepultura.* Idipsum confirmans Trident. subdit, *Næque per Later. Concil. Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiteantur, quod jure divino necessarium, & constitutum esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno impleretur.* Ex quibus Doctores communissime inferunt contra Gabr. Sylv. Gran. Palud. Fagun. & alios, præceptum confessionis annuæ non esse mere ecclesiasticum, sed etiam divinum: quatenus Christus præcipit confessionem: determinationem autem quoad tempus reliquit Ecclesiæ, quæ determinavit tempus annum, qua determinatione posita, tanquam conditione, præceptum illud divinum obligat omni anno. His suppositis explicanda sunt verba præcepti.

I. *Omnis utriusque sexus; dummodo sit fidelis, hoc est baptizatus; ad hos enim dirigitur præceptum Trid. cit. Obligat ergo etiam Hæreticos, Apostatas, & Schismaticos, quia & baptizati sunt, & subjacent Ecclesiæ. Item excommunicati, & personaliter interdicti tenentur petere ante lapsum anni absolutionem à censuris, ut satisfaciant huic præcepto. Item incarcerati, si aliter confiteri non possunt, & negligant liberari ante anni lapsum, peccant contra hoc præceptum: Croix contra Tambur. Item, si prævideas futurum impedimentum pro reliquo anni tempore, debes prævenire; quia præceptum urget ab initio: Suarez, & alii communiter contra Dela Crux apud Dian. p. 3. t. 4. r. 69. Si autem per totum anni tempus sis phylice, vel moraliter impotens, non peccas non confitendo: v. g. si non possis habere Confessarium, vel prudenter judices, unicum, quem habere potes, revelaturum confessionem, aut odio te habiturum, aut ignorare tuum idioma; non enim teneris confiteri per interpretem: Sotus, Suarez, Vasq. Bonac. & alii. Item, si non possis adire, vel vocare Confessarium, nisi conficiendo longum, & laboriosum iter;*

iter; quod tamen ex circumstantiis temporis, personarum & similibus judicio prudentis est expendendum: Suarez, Vasq. Tambur. c. 4. §. 5. Addit Con. d. 3. num. 22. quod in his casibus nec tenearis vi hujus præcepti eo anno elicere contritionem, quia hanc nulla lex præcipit determinate hoc anno, sed tantum juxta dicta cap. antecedenti. Neque obstat, quod contritio sit pars confessionis, & juxta axioma, *Qui non potest totum, tenetur ad partem*; nam neque est pars necessaria, cum confessioni sufficiat attritio; & axioma intelligi debet, quando totum constat ex partibus similibus, ita ut ponendo partem salvetur aliquo pacto ejus substantia: sic, qui tenetur ad Horas, si non potest omnes, tenetur ad partem, in qua salvatur ratio horæ: qui tenetur ad jejunium in pane, & aqua, si hoc non potest, tenetur ad jejunium commune, in quo stat ratio jejunii: econtra vero, si totum constat ex partibus omnino diversis: sic, qui vovit Religionem, si non possit servare castitatem, non ideo tenetur ad paupertatem, & obedientiam, quia in his non salvatur substantia status Religiosi; & ita est in casu nostro: Croix ib.

II. *Postquam ad annos discretionis pervenerit.* Improbabile ergo est, quod dicit Sa, pueros ante pubertatem non obligari hoc præcepto. Imo, si malitia suppleat ætatem, & puer ante septennium peccet mortaliter, probabilius obligatur hoc præcepto, quia non refertur ad ætatem, sed ad annos discretionis, hoc est ad plenum usum rationis: Croix n. 2026. contra Pal. Dian. & alios. In dubio autem, an puer habeat usum rationis, obligatur, si jam sit septennis; quia præsumptio stat pro pleno usu rationis: Palud. & alii contra Tambur. & alios; ideoque potest, imo & debet absolvi sub conditione, ut servetur præceptum: Lug. d. 17. num. 22. Cæterum per annos discretionis communiter intelligitur illa ætas, qua quis est potens ad peccandum mortaliter: Gob. num. 268. addens, faciendum discrimen inter pueros, & puellas; & Germanos serius obligari hoc præcepto, quam Italos; sed rusticos à S. Anton. & Sot. obligari solum circa ann. 12. citius vero educatos inter nobiles. Vide dicta in Tract. de Legibus d. 2. q. 3. c. 2.

III. *Omnia sua peccata*, intellige mortalia; quia sicut Christus non tulit præceptum indeterminate quoad tempus, nisi de confitendis mortalibus, ita Ecclesia non-

nisi

nisi de iisdem præceptum ad tale tempus determinavit: Suarez d. 36. f. 2. & alii communiter. Hinc, si quis toto anno habeat tantum venialia, probabilius non obligatur hoc præcepto, ut colligitur ex ipsis verbis; præcipiunt enim confiteri *omnia* peccata: ergo non loquuntur de venialibus, cum non sit præceptum confitendi venialia, & multo minus omnia: Suarez, Vasq. Lugo, Palud. & alii contra D. Bonav. Rich. & alios. Idem à fortiori est de mortalibus ante hunc annum confessis, cum sint materia adhuc magis libera. Cæterum absolute melius est confiteri venialia, ut de his detur directa absolutio, & de mortalibus, si forte adsint occulta, indirecta; cum vix fiat, ut qui toto anno non confitetur, non labatur aliquando graviter, quamvis postea non recordetur. Idem dicendum de eo, qui habet unum mortale, à quo hoc anno confitens excusetur ob periculum gravis damni, &c. quamvis enim non obligetur hoc præcepto, utpote quod est de solis mortalibus: Suarez, Dian. p. 3. t. 4. r. 125. tamen melius est confiteri tantum venialia. At, qui sæpe hoc anno confessus est tantum venialia, sed ultimo die lapsus est in mortale, vel recordetur ejus non confessi, tenetur ultimo die confiteri; quia nondum satisfecit præcepto, cum confessio venialium non fuerit materia præcepti: Vasq. Reginald. Layman. Bonac. Lug. & alii communiter contra Rhod. & alios. Quod si mortale sit reservatum, & tunc solum sit copia Confessarii non habentis reservata, tenetur ei confiteri venialia, quia sic satisfacit præcepto, quantum potest. Contra vero, si mortale anno præcedente commissum, & absolutum indirecte confessus esset hoc anno, jam satisfecit præcepto; quia erat materia necessaria hujus confessionis: Croix n. 2040. Denique, qui intra annum semel confessus est mortale dubium simul cum venialibus non tenetur iterum confiteri, si postea incidat in mortale certum; quia juxta probabilioris sententiam erat obligatio confitendi illud morale dubium: Lugo n. 169. Secus vero, si solum illud confessus est, quia, si non fuit vere peccatum, absolutio fuit nulla, & præceptum est de confessione, quæ sit Sacramentum: Croix, & alii contra Lugo, Dicast. Ariag. & alios. Qui autem post confessionem omnium mortalium incidit eodem anno in novum mortale, quamvis Sot. Suar. & alii dicant, teneri iterum confiteri eo anno: tamen probabilius negant Con. Laymann. & alii.

alii, ita ut Lugo dicat, esse certum, quia tantum præcipitur una confessio omnium tunc memoriæ occurrentium: ideo nec tenetur iterum eo anno, si in confessione mortalium omisit unum ex oblivione: Bonac. & alii communiter; secus, si omisit scienter ex justa causa, qua sic nondum est confessus omnia, quæ occurrebant memoriæ: Arriag. Gorm. & alii.

IV. *Semel in anno.* Hinc annus quinque modis computari potest: Primo, Incipiendo à principio usus rationis usque ad simile tempus anni sequentis, & sic deinceps. Secundo, A primo mortali commissio: Joseph ab Augustino. Tertio, A confessione mortalium: Sot. & Valent. Quarto, A 1. Jan. ad ultimum diem Decemb. Vasq. Pal. Lug. &c. Quinto, A Paschate ad Pascha ex Suarez, Bon. Con. aliique ut diximus tract. præced. d. 4. q. 1. c. 5. §. Ex his modis primi tres communiter non placent, quia verba illa *semel in anno* innuunt certos terminos, & determinatos pro omnibus: quartus, & quintus sunt probabiles, quia ea verba utrumque sensum facere possunt, cum annus possit sumi, vel Ecclesiasticus à Paschate ad Pascha, vel Civilis à Jan. ad Decemb. Hinc, si numeres à 1. Jan. ad ultimum Decemb. satisfacis huic præcepto, si confitearis hoc anno 1. Jan. & sequenti anno ultimo Decemb. quamvis inter has confessiones intercedant duo anni; quia adhuc est verum; quod semel in anno sis confessus: Pal. Lug. & alii communiter contra Sporer, & alios. Similiter, si numeres à Paschate ad Pascha, nihil obstat, quod confessio aliquando differatur ad tredecim menses, & aliquando bis fieri debeat confessio intra undecim menses; nam idem fit in communione Paschali, prout Pascha venit maturius, vel ferius, & totum illud tempus est unus annus Ecclesiasticus, & sic semel confiteris singulis annis: Suarez, & alii; atque hic modus est usitator, cum similiter etiam fervetur ex dictis loc. citat. tract. præced. præceptum communionis Paschalis.

Dubium est, An, qui omisit confessionem debitam hoc anno, teneatur anno sequenti illam reficere?

Negant S. Anton. Sylv. Tabien. Val. & alii, quam sententiam Dian. Fill. Tamb. vocant probabilem: Dicant. probabilissimam; quia obligatio confitendi videtur alligata illi anno; uti obligatio recitandi Horas est alligata diei, cum quo desinit. Sed probabilius affirmant Sot. Nav. Med.

Med. Viſt. Suarez, Vaſq. Con. Pal. Lug. Averſ. & alii, quia talis annus ab Eccleſia præfixus eſt, non ad terminandam, ſed ad urgendam obligationem, ne nimium differatur præceptum divinum, cujus finis, qui eſt reconciliatio cum Deo, non ceſſat: uti contra ceſſat finis præcepti horarum, qui erat bona Eccleſiaſtici occupatio pro eo die. Hinc, quo diutius ultra annum quis differt eam confeſſionem, eo gravius peccat; hanc tamen dilationem eſſe unicum peccatum continuatum dicunt Val. Con. Laym. Dian. Averſ. & alii. Contra Bonac. dicit, eſſe tot peccata, quot occaſiones confitendi negliguntur; & certum eſt, ſi voluntatem confitendi pluries retractet; Croix, & alii. At, qui multis annis non eſt confeſſus, confitendo hodie ſatisfacit pro omnibus annis præteritis, quantum tunc ſatisfieri poteſt; quia per unam hanc confeſſionem obtinetur finis præcepti, qui eſt reconciliatio cum Deo: Averſ. Gorm. & alii contra Ceſped. Si tamen adhuc ante finem hujus anni relabatur in mortale, Pal. Lug. Diccaſtil. Gorm. & alii dicunt, non teneri hoc anno iterum confiteri, quod probabile etiam dicit Bon. quia confeſſus eſt ſemel hoc anno, & plus non requirit præceptum; ſed probabilius contradicunt Suarez, Hurt. Layman. & alii, quia prior confeſſio cenſetur facta pro annis præteritis, quorum obligatio nondum erat ſublata; & pro hoc anno advenit nova obligatio per novum peccatum; ſic obligatus à Confefſario jejunare ſemel in mēſe, ſi hoc mēſe omittat, tenetur mēſe ſequenti bis jejunare.

V. *Confiteatur.* Confeſſio debet eſſe talis, ut habeatur validum Sacramentum Pœnitentiæ; quia hoc præceptum ex dictis eſt divinum, & Chriſtus præcipiens vult ſuum Sacramentum validum: & dato, quod ſit Eccleſiaſticum, Eccleſia præcipit confeſſionem, ut inſtitutam à Chriſto: hinc damnatur ab Alex. VII. hæc Propoſ. 14. *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ;* imo nec ſatisfacit per confeſſionem quantumvis involuntarie nullam, quia ſimpliciter, & verè non eſt confeſſio: Platel. n. 744. Idem eſt, ſi Sacerdos etiam injuſte noluiſſet te abſolvere: Suarez, & alii communiter contra Palud. Viſt. Con. & alios; addit tamen Boſco, fore te excuſandum, ſi anno ſequenti poſſes ab eodem accipere abſolutionem, ne ſcilicet cogaris duobus eadem peccata aperire, quod videtur valde moleſtum. Si tamen fiat confeſſio valide quidem, ſed

sed informis (ut contingit, cum invincibiliter oblitus furti doleas de solo homicidio ex propria ipsius turpitudine, & hoc solum confitearis, juxta dicenda q. 3.) probabilius satisfacis huic præcepto; quia hæc absolutio est probabilius valida, & suo tempore reviviscit, & prodest, quando scilicet per contritionem, vel per subsequens Sacramentum removetur obex: Suarez, Val. Bon. Lugo, & alii contra Averf. Platel. & alios. Probabiliter etiam satisfacis per confessionem peccati putati cum vero dolore, quia probabilis est sententia Perez, & aliorum Doctorum, hanc esse validam.

VI. *Proprio Sacerdoti*, hoc est suo Parocho: attamen nunc certo satisfaciunt huic præcepto, qui confitentur cuivis Confessario rite approbato, sive Seculari, sive Regulari: ille enim substituitur loco Parochi ex usu recepto, & tacito consensu Episcopi approbantis; Regularis vero ex delegatione Papæ posita approbatione Episcopi: Doctores communissime ex pluribus textibus. At non sufficit, si Regularis dignus approbatione, & præsentatus Episcopo injuste sit reprobatus; ut constat ex Prop. 13. damnata ab Alex. VII. *Satisfacit præcepto confessionis annuæ, qui constitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* Si autem quis inter mortalia hic & nunc necessario confitenda habeat reservatum, quod rationabiliter omittat, eo quod hic Confessarius, quem unicum habere potest, non habet potestatem in illud, putat Bosco n. 125. teneri hoc anno iterum confiteri; quia nondum est confessus proprio Sacerdoti, hoc est ei, qui possit eum ab omnibus directe absolvere. Sed probabiliter contradicunt Herin. Croix, & alii, quia ille erat proprius respectu omnium, quæ hic & nunc debebant exprimi; & ex opposita sententia sequeretur, quod, qui toto anno non posset recurrere ad Superiorem, non teneretur eo anno confiteri; cum non teneatur ad confessionem, per quam non satisfacit præcepto. Illud certum, quod si pœnitens Religiosus confiteatur reservatum in Religione suo Confessario, qui ad hunc finem petiit, sed non obtinuit facultatem à Superiore Regulari, valide absolvitur, & satisfacit huic præcepto; quia habetur specialis ejusmodi concessio facta Regularibus ad Urban. VIII. juxta dicenda d. 2. quæst. 2.

VII. *Alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, &c.* Hæc pœna interdicti non incurritur ipso facto, *R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. §. quæst.*

quantum est ex jure communi; dicit enim *Arceatur: &c.* ideoque est sententiæ ferendæ in eos, qui, cum possint, non confitentur semel in anno, dummodo habeant mortale confitendum; vel qui unicam confessionem fecerint mortalium voluntarie nullam: Lugo d. 15. n. 138. In hac tamen Diœcesi Neapolitana latum est interdictum tantum contra non communicantes in Paschate, & est reservatum Archiepiscopo, nec incurritur ante expletam pubertatem. Putat Tambur., quod, etsi in aliqua Diœcesi sit pœna excommunicationis latæ sententiæ, nec expresse excludat pueros ante pubertatem, censerit tamen exclusos, etsi omittant Confessionem, & Communionem annuam, quia c. 1. & 2. *de delictis puerorum* hi simpliciter eximuntur à pœnis; etsi ergo peccent, eas non incurrunt ex benignitate Ecclesiæ: sed de hac re recurret sermo infra, & in Tract. de Censuris.

CAPUT IV.

Quod sit Præceptum confitendi ante Communionem?

SIVE hoc præceptum sit mere Ecclesiasticum, ut tenent Navar. Med. & alii; sive sit Divinum, ut melius docent Suarez, Vasquez, Lugo, & alii; certum est, ex Ecclesiastica consuetudine necessarium esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat; idque servandum etiam esse ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, modo non desit illi copia confessorii, & adsiturgens necessitas, ex *Trid. Sess. 13. can. 7.* Itaque, ut hoc præceptum confitendi non obliget peccatorem volentem Communicare, vel Celebrare, tria debent concurrere; nimirum, & quod desit copia Confessorii, & quod simul adsiturgens necessitas communicandi, aut celebrandi; & quod tunc præmittat contritionem perfectam de mortali, quod habet in conscientia, cum voto saltem implicito postmodum confitendi, ad servandum præceptum Divinum confessionis.

Primo, *Quoad copiam, &c.* Non dicitur deesse copia Confessorii, si adsit unus, quamvis erubescas ei confiteri,

confiteri, vel non sit, quem velles, nec tuus ordinarius: Doctores communissime tanquam certum contra aliquos apud Mendo. Dicitur ergo deesse hæc copia: Primo, Si unicus, quem habes, sit mutus, vel excommunicatus vitandus, vel aliter amisit jurisdictionem, vel nolit audire, vel omnino impeditus, vel ab eo timeas fractionem sigilli, aut aliud grave malum: in quo tamen casu addit Tambur. confitenda ei esse alia mortalia, vel si non habes, venialia, iis omissis, propter quæ malum illud times. Secundo, Si distes ab omni Confessario; quam distantiam trium milliariorum vult Canus, quinque quadrantum Rhodes, duarum horarum Gobat. sed melius Suarez, Vasquez, Bon. & alii communiter dicunt, relinquendam arbitrio prudentis, qui attentis circumstantiis judicare debet, an ferat magnum incommodum; quod aliquando esse potest, etiam si distantia sit brevissima, vel scilicet ratione brevissimi temporis, quo urget necessitas communicandi, vel ratione infamiae, aut scandali, vel ratione ætatis, ægritudinis, pluviae, &c. vel ob aliud urgens negotium. Tertio, Si habes mortale reservatum, aut excommunicationem, aliamve censuram reservatam, & urgente necessitate communicandi, aut celebrandi non habeas copiam, nisi simplicis Confessarii, tunc juxta triplicem sententiam hæc in re probabilem potes, vel præmittere confessionem omnium peccatorum, ita ut ab aliquibus absolvaris directe, ab aliis indirecte, & cum onere; vel confessionem de solis non reservatis cum eodem onere; vel ommissa simpliciter confessione cum sola contritione communicare, aut celebrare, juxta dicenda q. 4. Addit tamen Tamb. si tunc valde difficilem experiaris actum contritionis, non posse uti hac tertia via.

Secundo, *Quoad necessitatem, &c.* Non dicitur sufficiens necessitas onus v. g. Capellaniae, quia obligatio celebrandi censetur suscepta, quantum fieri potest, cum debita decentia: Suarez, & alii contra Arriag. Nec sufficit paupertas Sacerdotis, nisi esset valde gravis: Lugo n. 117. Nec observatio voti, & probabiliter etiam alicujus præcepti Ecclesiastici, quia hæc non obligant, quando est moralis impossibilitas implendi debite, & legitime: Tamb. n. 43. Necessitas ergo esse debet urgens, & gravis, puta periculum mortis, aut alterius gravis damni, infamiae, scandali: D. Thom. Suarez, & alii: v. g. si Sacerdos Missam est exorsus, vel vestitus sacris,

ut addit Lugo; vel laicus ad linteum communionis accessit, & tunc recordetur mortalis, vel tunc peccet: si autem possit celebrans solemniter, dum cantatur gloria, vel dicitur concio, breviter confiteri Diacono Sacerdoti approbato, deberet; quia tunc cessat excusatio: Layman. & alii. Item, si celebrandum sit ad conficiendum Viaticum pro moribundo; vel si Parochus debeat ex officio celebrare, ut populus audiat Missam: Lug. n. 107. ob quam causam etiam alteri, qui non est Parochus, idem licere putant Dian. p. 9. t. 3. ref. 9. & alii contra Palud. & alios. Si autem Sacerdos ipse non possit aliter audire Missam, vel urgeat præceptum communionis Paschalis, Henr. Sot. Dian. & alii probabiliter putant sufficere; sed probabilius negant Sa, Suarez, Con. & alii, quia hæc præcepta non obligant, quando non possunt impleri convenienter juri Dominico. Gob. t. 7. n. 382. putat sufficere, si aliter diu abstinendum esset à communionem, aut Sacrificio, quia longa mora est gravissima necessitas, præsertim si sedandæ sint propriæ tentationes, vel suffragandum sit defunctis. Item, si confessio, deberet esse longa, nec possit tamdiu differri communio, vel celebratio sine infamia, vel scandalo, vel alio gravi damno, putant Gorm. Granad. & alii, posse tunc pœnitentem dimidiata confessione absolvi cum onere postea absolvendi totam; quod verum est saltem de infirmo periclitante de morte, ejusque confessario: v. Tambur. c. 1. de Com. n. 36.

Tertio, *Quoad contritionem*, &c. Concurrente necessitate, & defectu Confessarii juxta modo dicta, debet elicere actum contritionis perfectæ ante communionem, quia Eucharistia non potest suscipi cum mortali: D. Thom. Suarez, & alii communissime, cum sit Sacramentum vivorum. Et Sacerdos sic celebrans debet hunc actum elicere etiam ante Consecrationem, quia nec potest consecrare in mortali, ideoque tempus opportunum erit in Memento vivorum: & si post consecrationem recordetur mortalis, debet conteri ante sumptionem: Tambur. & alii communiter. Si autem conatus sis, & ob perturbationem mentis, vel brevitatem temporis non possis elicere contritionem, & communices, aut celebres urgente necessitate, Vasquez, Hurtad. Dian. Lugo, & alii excusant à mortali, quia moralis impossibilitas tollit irreverentiam; sed Dicast. putat casum moraliter impossibilem, quia, si coneris, gratia Dei non deerit. Ad-

dunt

dunt Doctores hoc consilium, ut si non possis confiteri, nec conteri, comedas, si fieri commode potest, vel bibas aliquid coram aliis quasi per inadvertentiam; & quamvis forte nascatur levis aliqua fuscipio mali status, hæc non est tanti facienda, dummodo non sit gravis: Croix n. 536.

Quæres: An sit præceptum confitendi mortalia ante susceptionem, vel administrationem cæterorum Sacramentorum?

Respondeo, Rigoristas putare, talem peccatorem, quantumvis sibi videatur contritus, etiam teneri ante susceptionem, vel administrationem aliorum Sacramentorum confiteri. Sed, cum de hoc nullum inveniatur præceptum, communiter Doctores docent, tantam obligationem asserendam non esse absque magna auctoritate, vel evidenti ratione; ideoque Lug. d. 5. n. 114. ait, *Nullum esse dubium apud Theologos, quod tunc sufficiat contritio, etiamsi adsit copia confessarii, nec siturgens necessitas.* Porro huc spectant fusc dicta Tract. præced. d. 1. q. 2. c. 3.

CAPUT V.

*Quod sit Præceptum Sacerdotibus confitendi
Quamprimum?*

TRIDENT *sess. 13. c. 7.* postquam exposuit præceptum confitendi mortalia ante communionem, aut celebrationem, loquens specialiter de Sacerdote, qui cum sola contritione mortalium ob inopiam confessarii ex necessitate celebrat, ait, *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque confessione celebravit, quamprimum confiteatur.* Hoc non esse merum consilium, sed præceptum, déclaravit Alex. VII. damnans hanc Prop. 38. *Mandatum Trident. factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.* Est tamen præceptum mere Ecclesiasticum, in quantum dicit, *Quamprimum*; sed obligans sub gravi, quia est in materia gravi, quæ multum facit ad reverentiam celebrandi: Doctores communiter. Itaque ly *Quamprimum*, non significat, quamprimum talis Sacerdos volet iterum celebrare, quia hæc obligatio antecedenter erat, & Trid. imposuit novam; ideoque idem Alex. VII. damnat hanc aliam Prop. 39.

Illa particula Quamprimum intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur. Igitur, si interea celebret, adhuc debet confiteri quamprimum, hoc est, ad summum intra triduum; quia apud Juristas, quod fit intra triduum, dicitur fieri quamprimum, & continuo, ex l. fin. C. de Judiciis: Lugo, Trull. Con. & alii apud Dian. p. 9. t. 3. r. 23. Si autem finita Missa habeat præsente confessorium, quem postea intra triduum non est amplius habiturus, tenetur tunc confiteri; quia universim, qui ad aliquem actum intra certum tempus obligatur, tenetur prævenire, si non possit deinde præceptum implere: Lugo, Dian. & alii communiter contra aliquos apud Dicastil. Econtra vero, si habeat mortale reservatum, & nec tunc, nec intra triduum habere possit copiam, nisi simplicis Confessarii, non tenetur ei confiteri vi hujus præcepti, imo nec potest; quia non potest ab eo absolvi directe, nec est necessitas, ut absolvatur indirecte, ut supponimus: Dicast. d. 9. de Euch. num. 117.

Cæterum, ut obliget hoc præceptum confitendi quamprimum, tria simul requiruntur: conscientia alicujus mortalis, carentia Confessarii, & necessitas celebrandi: Doctores communiter ex Trident. cit. Hinc, si Sacerdos habens copiam Confessarii adhuc celebret inconfessus, etsi gravius peccet, non tenetur hoc præcepto, quia de hoc casu non loquitur Tridentinum, & in positivis non valet argumentum à minori ad majus: Suarez, Vasq. Dian. & alii contra Sylvium. Item nec tenetur, si confessus celebravit invincibiliter immemor alicujus mortalis, quia non celebravit cum conscientia illius: idemque est, si immemor cujuscumque mortalis celebravit inconfessus: Gob. Dicastil. & alii contra Præpos.; imo addit Moya, etiamsi ex negligentia non recordatus sit mortalium, quia sic adhuc celebrat absque conscientia illorum. Econtra vero, si post confessionem, antequam celebret, recordetur mortalis omissi, nec possit ad Confessorium redire, tenetur deinde confiteri quamprimum, quia sine illius confessione ex necessitate celebrat. Suar. Bonae. & alii communiter contra aliquos apud Dian. p. 9. t. 3. r. 26. Idem dicunt Gob. & alii multi, si recordetur mortalis, dum actu celebrat, sive ante consecrationem, sive ante sumptionem; quamvis alii negent cum Pelliz. quia rubrica de illo, qui recordatur ante Missam, dicit, ut conteratur, & statim post confiteatur;
de

de illo vero, qui recordatur intra Missam, solum dicit, ut conteratur.

Quæres, An etiam laici, qui ex necessitate communicant cum sola contritione mortalium, teneantur confiteri *Quamprimum*?

Respondeo Negative; quia hoc præceptum confitendi *Quamprimum* est mere Ecclesiasticum, & loquitur tantum de Sacerdotibus: ergo non est extendendum ad alios, cum in legibus positivis non valeat argumentum à pari: quare satisfaciunt confitendo illa mortalia in prima confessione, quodcumque eam erunt facturi. Hinc nec tenetur Sacerdos confiteri *Quamprimum*, si in dicto casu non celebret, sed more laicorum communicet: Vivald. & alii communiter: fecus vero, si communicet, celebrando die Parasceves, vel perficiendo Sacrificium inchoatum ab alio coacto, illud interrumpere; quia sic non communicat communione laica, sed Sacerdotali: Suarez, Vasquez, Lugo num. 129. & alii communiter, quamvis dubitet Dicañil. num. 157.

QUÆSTIO II.

De Examine Conscientiæ.

EXAMEN conscientiæ, est *Diligens perscrutatio peccatorum latentium in conscientia*: quoniam vero peccata mortalia sunt materia necessaria pœnitentiæ, venialia autem materia sufficiens quidem, sed libera; ideo videndum hic prius, quod examen sufficiat præsertim pro mortalibus: deinde cætera ad examen ipsum spectantia expendemus.

CAPUT I.

Quod examen Conscientiæ sit sufficiens præsertim pro mortalibus?

EX Præcepto Divino tenetur pœnitens per se loquendo præmittere confessioni examen conscientiæ; quia ex eodem tenetur aperire confessario omnia, & singula mortalia, & nequit id communiter præstare, nisi se prius

discufferit: Doctores communissime ex Trid. *sess. 14. c. 5.* Qui ergo confitetur absque debito examine (excepto articulo mortis, de quo infra) peccat mortaliter, & tenetur ad iterandam confessionem, etiamsi suam negligentiam tunc confessus fuerit: Nav. Bon. & alii; nisi vero confessarius per diligentes interrogationes hunc defectum suppleverit, juxta mox dicenda.

Hoc examen ex Trid. cit. debet esse *Diligens*: sed hæc diligentia non exigitur exactissima, & summa; quia talis obligatio redderet Sacramentum maxime onerosum, & tædiosum; item conscientias inquietas, cum semper dubitare possent, an sufficientem diligentiam adhibuerint, quod est contra finem Sacramenti, & legem Christi suavem: Suar. d. 22. f. 10. & alii communiter, Exigitur ergo tantum diligentia moralis, & humano modo, pro capacitate pœnitentis, pro mora temporis ab ultima confessione, & pro reliquis circumstantiis occasionum, negotiorum, ac peccatorum in confuso pulsantium conscientiam: ita ut cuique sufficiat regula, quam tradit Gob. t. 6. n. 491, Si conscientia testatur, esse à te adhibitam moralem diligentiam, quam adhiberes in negotio gravi, potes esse contentus.

Infers primo: Si post adhibitam moralem diligentiam, putes adhuc fore, ut, si plus temporis impenderes, occurrerent alia peccata, non ideo teneris plus temporis impendere; quia non teneris ad examen, quod ex se aptum sit generare horrorem, & tædium Sacramenti, & inquietudinem conscientiae: Bon. Laym. Lud. d. 16. f. 15. & alii communiter. Quod si postea dubites, an in confessione præterita adhibueris, necne, debitam diligentiam, hoc indicio poteris dubium tollere: si enim plura mortalia memoriæ occurrant, quam quæ sunt confessæ, non fuit diligentia sufficiens, ideoque teneris iterare confessionem: si vero aliqua, sed multo pauciora, credenda est sufficiens, ideoque satis est, si de omniis te accuses: Croix, & alii.

Infers secundo: Si ob fragilitatem tibi notam timeas, ne diu immorando in peccatorum examine, in eadem prolabaris consensu, poteris te examinare leviter, quamvis videas, ex defectu examinis te nonnulla omisurum; quia prævalet periculum vitandum: Tamb. & alii; & quid simile debet observare confessarius in ejusmodi interrogationibus de rebus turpibus, ut dicemus d. 2. Similiter: si pœnitens sit nimis scrupulosus, præstat leviter

ter examinari, ob periculum faciendi odiosam confessionem, & ob summam difficultatem, quæ est moralis impossibilitas : Tamb. Pal. & alii.

Infers tertio, Neminem obligari adnotare scripto sua peccata, etsi forte timeat, se obliturum ; nec qui multoties peccavit cum complice, tenetur illum interrogare pro investigando numero ; nec, qui toto anno e. g. omittit Missam, tenetur videre in Calendario dies festos, &c., quia hæ sunt diligentiaæ extraordinariæ, quas Trid. non exigit, sed tantum *Diligentem sui discussionem*, in suis scilicet cogitationibus, verbis, operibus, & omissionibus.

Infers quarto : Pœnitens, quantumvis sciat, se à Confessario esse diligenter interrogandum, nihilominus communiter tenetur se examinare ; quia alioquin exponeret se periculo, vel perperam respondendi, vel aliqua penitus omittendi. Potest tamen hic talis esse contentus minori diligentia, præsertim quoad species peccatorum communes hominibus sui status : Suar. d. 22. f. 11. Addit tamen, quod in hoc, vel simili casu possit quidem examen suppleri à Confessario ; non vero in confessionibus longis, quia tunc impossibile fere est, ut quis repente interrogatus, recordetur omnia : & tantum id admittit in rudibus, qui se examinare nequeunt ; quos admonet Sa v. *Confessio*, non esse nimis interrogandos de confessionibus præteritis bona fide factis, nisi intelligatur aliquid defuisse.

Infers demum, Timoratis ; & frequenter confiteri solitis sufficere modicam diligentiam ; quia non obligantur ad diligens examen venialium, utpote non cadentium sub præceptum confessionis ; & aliunde, si peccassent mortaliter, certe ob oculos peccatum illud haberent : Tamb. Gob. num. 488. Idem est de eo, qui una, vel altera hora post absolutionem relabatur in mortale, & mox recurrat ad confessionem. In articulo autem mortis ea diligentia est adhibenda, quæ pro circumstantiis morbi, & temporis potest moraliter fieri : Doctores communiter.

C A P U T II.

Reliqua ad examen Conscientiæ spectantia expenduntur.

V IDENDUM hic Primo, Quomodo discerni possit veniale à mortali ? Secundo, Quomodo cognosci possit

fit peccatorum numerus? Tertio, Quomodo peccatorum species? Quarto, Quomodo circumstantiæ mutant species? Quinto demum, Quomodo discerni possint peccata contra singula Decalogi Præcepta?

§. I.

Quomodo discerni possit mortale à Veniali?

UT in Conscientiæ examine discerni possit mortale, quod est materia necessario confitenda à veniali, quod est materia libera, hæc traditur regula à Doctõribus: Ibi est mortale, ubi concurrunt hæc tria, *Gravitas materiæ, Plena advertentia, & Plenus consensus*: contra vero ibi est veniale, ubi unum horum delit, ita ut decidat à mortali, ratione, vel parvitatis materiæ, vel semiplenæ advertentiæ, vel semipleni consensus: quia tamen de hoc fuse actum est in Tract. de conscientia tom. I. tr. I. d. I. q. I. c. 2. & seq. idcirco hic amplius immorari non vacat. Porro quid agendum sit Penitenti, si dubitet, an plene consenserit in tentationem, necne? vide ibid. cap. 4. circa medium.

§. II.

Quomodo discerni possit peccatorum numerus?

TRIA hic forent examinanda, Primo, An actus physice unus possit esse multiplex numero peccatum? Secundo, An actus physice plures possint esse unum numero peccatum? Tertio, Quomodo peccatum numero multiplicetur per retractationem, aut interruptionem? Sed de his vide etiam abunde dicta loco jam cit. §. antec. circa finem capitis 2.

Duo tantum ad illius Doctrinæ complementum hic addenda reor. Alterum est, ut, quæ ibi dicta uberrime sunt de peccatis commissionis, dicantur proportionaliter de peccatis omissionis: v. g. Qui retinet rem alienam invito domino, toties peccat, quoties retractat voluntatem restituendi: item, quoties ex impotente evadit potens, & non restituit, cum per impotentiam discontinuata fuerit prior voluntas, ut not. Pal. Putat etiam Suar. cum aliis, multiplicari tale peccatum per interruptionem somni, aut omnimodæ distractionis; quia tunc

tunc nihil manet exterius, in quo continetur. Sed in hoc contradicunt Lug. & alii, quia, si prior voluntas fuit efficax, non omnino perit in somno, sed mansit in aliquo suo effectu, etiamsi insensibili. Qui vero à primo mane festi decernit non audire Missam, & sæpe usque ad meridiem repetit hanc voluntatem, Ovied. dicit, fore unum peccatum, qualescunque fuerint tunc interruptiones (dummodo non adsint etiam retractationes) quia à primo mane incipit exterius peccare per omissionem Missæ ex D. Th. 2. 2. q. 29. à. 3. ad 3. & hæc una omisso quasi continue perducitur usque ad meridiem.

Alterum est statuere, quid agendum sit pœnitenti; cui sit moraliter impossibile scire numerum suorum peccatorum? Qua in re dico, norandum apud se esse tempus, quo ita male vixerit; tum quoties circiter soleret per diem, vel hebdomadam, vel mensem peccatum suum repetere; tum si uno tempore plus peccaverit, quam alio, &c. Sic enim exponendo statum suum Confessario, satisfacit tali præcepto examinis, & confessionis; quia facit, quod potest: Doctores communiter: Hinc si meretrix v. g. quibuscunque exposita scire nequit quot personas, vel quot conjugatas, quotve liberas, aut sacras admiserit, vel parata fuerit admittere, satis est, si examinet, & dicat, quanto tempore ita vixerit parata ad quosvis; & an sæpe in hebdomada solita sit reipsa, vel saltem animo, quoslibet promiscue admittere; nec debet Confessarius eam ultra urgere ad certum numerum exprimendum, quia plerumque urgebit ad errandum, ut satisfaciat suæ scrupulositati. In peccatis vero, quæ sunt enormiora, aut rarius fiunt, facilius sciet numerum saltem circiter; quantum autem exprimat hoc verbum *Circiter*, dicemus q. 3.

§. III.

Quomodo discerni possint peccata specie diversa?

HÆC regula communiter traditur à Doctoribus: *Illæ peccata specie differunt inter se, quæ, vel opponuntur diversis virtutibus, vel eidem virtuti modo notabiliter diverso.* Itaque, præter dicta hac super re in Tract. de conscientia cap. supra cit. quæsito tertio, quod fac confulas; Hic nota

I. Ex

I. Ex Sanch. l. 4. Decal. c. II. n. 25. si parens filio imperet hodie studium, cras aliud negotium, licet materiæ secundum se sint notabiliter diversæ: tamen neglectus utriusque sunt duo peccata numero tantum distincta: & satisfit dicendo, *Bis fui inobediens Patri*; quia hujus intentio censetur esse ex eodem motivo, Idemque est, si quis frangat votum jejunii, & votum orandi; sunt enim duo peccata numero tantum distincta, & satisfacit dicendo: *Bis fregi votum*.

II. Mollicies, Fornicatio, Sodomia, Bestialitas specie differunt; quia, etsi opponantur eidem virtuti castitatis, opponuntur tamen modo notabiliter diverso; hoc est (ut bene Tanner. d. 4. de Peccatis ex Valent.) adeo diversa ratione, & malitia opponuntur eidem virtuti, ut qui est propensus ad unum eorum, quantum est ex malitia peccati, non sit similiter propensus ad aliud. Jure proinde damnatur ab Alex. VII. Prop. 24. *Mollicies, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infima; ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem: & Prop. 25. Qui habuit copulam cum soluta satisfacit Confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Similiter peccatum commissionis, & peccatum omissionis circa eandem virtutem possunt specie distingui. ut odium Dei, & omissio amoris debiti: item hæresis, & ignorantia respectu ejusdem articuli; item positive occidere proximum, & permittere emori fame; ideoque opus est id explicare in confessione: Dicast. d. 9. à num. 396. & alii contra Montefin.

III. Licet copula incepta, & completa opponantur eidem virtuti; quia tamen diversimode, ex dictis etiam in Tract. de Consc. opponuntur; idcirco earum diversitas est explicanda: similiter, si quis tangendo solutam se polluat, id debet explicare, quia non sufficit explicare solos tactus: item in Sodomia probabilius est explicanda in confessione, tanquam mutans speciem circumstantia Agentis, vel Patientis; quia diversa est species malitiæ se polluentis, quam peccatum patientis: Doctores communiter contra Dian. p. II. tr. I. ref. II. Item explicandum est, an ea commissa sit cum mare, an femina, an cum consanguineis, vel affinibus, & an uxoratus propria uxore abusus sit. Item, cum procurata sit pollutio tactibus propriis, an alienis, vel cum aliqua commixtione corporum: Busemb. Fill. & alii. Similiter explicanda
verius

verius videtur in fornicatione circumstantia sponsi, vel sponsæ de futuro, ob injuriam, quæ alteri sponso irrogatur; quamvis non sit adultærium: sicut & in incestu circumstantia personæ in primo gradu lineæ rectæ ob specialem violationem pietatis. Item probabilius circumstantia filiæ legalis, vel spiritualis; videtur enim, quod confessarius peccans cum pœnitente sacrilegium speciale committat ratione vinculi similis cognationi spirituali ex Sacramento contracti; item circumstantia disparitatis cultus: ob injuriam Sacramento Baptismi irrogatam peccando cum infideli, item videtur sacrilegium diversum, si quis peccet cum Sacerdote, ac si cum Religioso, cum videatur diversæ speciei votum Castitatis unius, & alterius; & similiter votum Castitatis solemne videtur communius specie differre à voto simplici, contra Sanch. Similiter, si inducatur mulier ad peccandum, explicanda est circumstantia inductionis, & scandali. Similiter demum in peccato adulterii explicandum est, an conjugatus peccaverit cum libera; an liber cum conjugata; & in peccato sacrilegii, an habens votum peccaverit cum non habente, an vero non habens votum cum habente: Doctores communiter contra Dian. Reliqua habentur in præceptis Decal. pro suis cujusque materiis, quæ omnia habebis etiam infra in compendium redacta sub finem hujus capituli §. 5.

Quæres primo, An exponere se periculo peccandi sit ejusdem speciei cum eo peccato?

Respondeo affirmative; Quia quælibet virtus obligat ad fugam periculi, & occasionis suæ transgressionis, adeoque contra illam speciatim peccatur: hinc, qui semel se exposuit periculo v. g. ebrietatis, & semel periculo incontinentiæ, non satisfacit dicendo, *Bis me exposui periculo peccandi*; sed debet explicare objectum periculi. Imo, licet incontinentia, & ejus periculum sit ejusdem speciei, debet explicari utrumque, si utrumque sit seorsim admissum; quia secus vel confitereris, quod factum non est, vel non confitereris, quod factum est; debet enim dici illa species infima, quæ reipsa est admissa: Doctores communiter.

Quæres secundo, Ad quam speciem peccati pertineat jactantia de peccato præterito?

Respondeo, Probabile esse (dummodo absit delectatio, desiderium, scandalum, & infamia) unam continere speciem irreverentiæ contra Deum, cujus offensatur,

tur ad captandam gloriam; ideoque per se loquendo non est opus explicare in specie, de qua re te jactes, sed sufficit dicere, *Jactavi me de mortali*: Nav. Dian. Pal. Tamb. l. 2. *Conf.* c. 2. n. 10. *Dixi Probabile*. Nam oppositum probabilius reputant Sanch. Rodr. Dicast., Croix n. 1125. quia, sicut quævis virtus specialiter obligat ad non inducendum alium ad sui transgressionem, ita etiam ne glories de ipsius transgressione, quia sic etiam vilipenditur specialis ipsius honestas. Cæterum non est opus addere, an revera commiseris id, de quo te jactas, quia eadem est irreverentia, sive peccatum sit verum, sive falsum; & mendacium, quod additur, secundum se est tantum leve: Cajet. Nav. Sanch. Tamb. num. 12.

Quæres tertio, Ad quam speciem peccati pertineat desiderium?

Respondeo, Ad eam speciem peccati, cujus est desiderium: Doctores communissime; hinc non solum differunt specie desiderium furandi, & fornicandi, sed etiam desiderium aspiciendi, tangendi, osculandi, fornicandi, &c. singula ab invicem specie differunt, quia tendunt in ista objecta, prout à parte rei ponerentur; & si à parte rei ponerentur, distinguerentur specie, ut patet. Si autem quis concupivit mulierem non reflectens ad ejus conditionem, an scilicet esset libera, an conjugata, an consanguinea, an voto adstricta, &c. ita ut nullam habuerit advertentiam ad has circumstantias, satisfacit dicendo, *Desideravi mulierem*: at in dubio, an advertentur; si solitus erat abhorre ab adulterio, incestu, sacrilegio, præsumi potest, quod fuit desiderium solius fornicationis; si solitus erat sine discrimine concupiscere quaslibet, censeri debet reus omnium; unde accusare se debet etiam de hac animi sui dispositione: Croix n. 1033. Plura de his vide in Tract. de Conscientia loc. cit. cap. 2. quælit. 3.

Quæres quarto, Ad quam speciem peccati pertinet delectatio morosa?

Respondeo (breviter tamen, cum huic quæsitio satisfactum etiam ex parte sit in Tract. de Conscientia loc. cit.) Si delectationes morosæ sint de objectis diversis formaliter ut talibus, vel de eorum circumstantiis formaliter ut talibus, specie inter se distingui pro illorum diversitate: v. g. si quis secum delectetur de copula cum conjugata ut tali, contrahit malitiam adulterii, & sic de aliis;

aliis; quia actus specificatur à suo objecto: Doctores communissime. At, si materialiter tantum ferantur in talem circumstantiam tenentem se ex parte objecti, quæ ideo non sit expresse, vel directe volita: v. g. Si quis secum delectetur de copula cum conjugata, ita ut nec desideret, nec delectetur de illa, prout est cum conjugata, Sanch. Less. Lug. & alii multi adhuc dicunt, contrahere specialem malitiam illius circumstantiæ adulterii; ideoque hoc esse exprimendum in confessione. Sed oppositum dicunt etiam practice probabile Con. Sal. Fill. Bonac. Pal. Averf. Ovied. Dicast. Carden. Croix num. 1024. & alii multi; quia, cum delectatio sit actus inefficax, non tendit ad tale objectum, prout à parterei poneretur (uti econtra est desiderium), sed prout est delectans; circumstantia autem conjugatæ non habet in casu delectationem; adeoque voluntas affective præscindit à tali circumstantia: ergo satis est dicere: *Habui delectationem morosam de copula*; si autem sit delectatio morosa semel de pollutione, semel de copula, &c. etiam si non ut talibus, non satisfacis dicendo, *Bis delectavi me in objecto turpi*, quia delectatio de pollutione est inchoata pollutio, de copula est inchoata copula, &c. ergo specie distinguuntur: Dicast. post Vasq. Less. Pal. & alios contra Berseau & alios apud Moyam. t. 3. d. 3. n. 18.

Porro ad quam speciem pertineat scandalum, seu inducere alterum ad peccatum, vide fuse dicta de Scandalo tom. 1. tr. 2. d. 2. q. 1. c. 3. §. 3. Sicuti demum, ad quam peccati speciem pertineant, quæ fiunt ex conscientia erronea, vel ignorantia culpabili, vel practice dubia, vide dicta in Tract. de Conscientia tr. 2. & 3. per totas.

§. IV.

Quomodo discerni possint Circumstantiæ mutantes speciem?

CIRCUMSTANTIA peccati supponit illud in certa specie malitiæ constitutum; eam tamen malitiam aliter afficit, vel augendo tantum, aut minuendo; vel etiam addendo novam speciem peccati, addentis scilicet novam oppositionem virtuti diversæ, aut eidem virtuti modo notabiliter diverso. Atque hæc circumstantiæ
ex

ex Aristotele, & Cic. ap. D. Th. 1. 2. q. 7. à 2. præcipue sunt sex contentæ in hoc versu :

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

I. *Quis* significat personam agentem, vel patientem; ut si Sacerdos sit fornicatus, vel solutus cum conjugata; ibi enim additur circumstantia sacrilegii, hic adulterii; imo videtur apud Illun. diversum specie sacrilegium, si sit Sacerdos, vel si sit Religiosus, vel habeat votum simplex castitatis: sed probabile est etiam oppositum apud anchez. huc spectant omnia dicta §. 3. nuper expedito sub num. 3. Denique injusta læsio personæ in bonis corporis, honoris, aut famæ habet novam speciem impietatis, si sit in parentes, aut filios, aut conjugem, & probabilius etiam in fratrem, & sororem: Illun. Lug. Con. & alii. Non vero læsio in bonis fortunæ; furtum enim his factum non esset impietas, nisi etiam læderet in corpore, honore, &c. Contra autem Superiorem, vel Benefactorem non habetur impietas, sed tantum peccatum majus: Illf.

II. *Quid* significat materiam peccati: sic in odio explicanda est qualitas mali alteri voliti, vel in bonis animi, vel corporis, vel fortunæ: in gaudio vero de malo alieno, vel in tristitia de ejus bono, videtur recurrere eadem doctrina, quam §. antecedenti diximus de delectatione morosa, cui hæc comparantur; dummodo absit voluntas efficax, ac desiderium.

III. *Ubi* significat locum, ratione cujus peccatum contrahere potest speciem sacrilegii: Primo, Per effusionem sanguinis, vel seminis, (& probabiliter etiam non publicam) in loco Sacro, hoc est intra Ecclesiam, non autem in Sacristia, &c. Secundo, Ob furtum è loco Sacro, hoc est Ecclesia, & Sacristia: at non è clauastro, &c. & si furtum rei sacræ de sacro, probabilius sunt duo sacrilegia specie distincta: si autem crumenam fureris ab homine in Ecclesia, probabile est, non esse sacrilegium, quia non furaris de Sacro (ut dicitur cap. *Quisquis* 17, q. 4. & denotat depositum in Ecclesia) sed in Sacro, Lug. & alii contra Suar. & alios. Si autem fureris de Sacro per effractionem, incurris etiam excommunicationem reservatam Papæ c. *Conquesti*, de Sent. Exc. Tertio, per extractionem rei à loco Sacro, etiam Clau-

Claustro, Cœmeterio, domo Episcopi, &c. Addunt tamen Fagun. Dicast. & alii, per publicas pugnas, percussiones hominum sine sanguine, contumeliosas rixas mulierum, exonerationem ventris, & similia, contrahi specialem malitiam sacrilegii, si fiant in Ecclesia, quia specialiter dedecent, & inhonestant locum Sacrum; maxime si ibi asservetur Venerabile. Idemque est turpis comœdia in Templo; Suar. Bon. vel turpis cantio publice inter Divina Officia: Gob., vel turpis tactus publicus ante Altare: Lug. non autem oscula, aut tactus in alio loco Templi: Sanch.

IV. *Quibus auxiliis* significat instrumenta, & causas, quæ mutant speciem, si specialem malitiam continent: uti si ope dæmonis aliquem occideris: & diversum etiam est, si cum expressa, vel cum tacita tantum ejus invocatione. Item si alios ad crimen induxeris, si verbo, exemplo, præsentia animaveris, &c.

V. *Cur* significat finem externum operantis, ut si fureris vinum, ut te inebries. Si autem omittas Missam die festo, ut studeas, satis est dicere, *Omisi Missam die festo*, quia inordinatus amor studii non est peccaminosus quoad intentionem finis, sed quoad omissionem Missæ. Contra vero, si pridie festi eas absque justa causa ad locum, ut ad Missam audiendam redire nequeas, non satisfacis dicendo, *Omisi Missam die festo*, sed opus est dicere: *Ex intentione non audiendi, &c. aliquid egi, quo me reddidi impotentem*, quia hic finis ipse est substantia actus peccaminosi: Illf. & alii.

VI. *Quomodo* significat modum, quo actio fit, qui, si sit specialiter inhonestus, mutat speciem: sic, qui feminam violenter luxuriæ causa abducit, committit peccatum raptus: qui vi alicui sua eripit, exercet rapinam: huc etiam reducitur modus, quo fit actio ex plena, vel semiplena deliberatione, ex scientia, ignorantia, conscientia erronea, &c. de quibus fuse dictum est in Tract. de Consc.

VII. *Quando* significat tempus, ut an die festo exerueris opera servilia, confabulatus sis in Missa, & quamdiu. Putant non pauci, nec ignobiles Doctores apud Sanch. l. 5. *Consil. c. 2. dub. 3.*, Omne mortale die festo commissum ob oppositionem cum divino cultu, habere speciem irreligiositatis, ac sacrilegii, quia cap. *Omnis l. de Feriis* specialiter recipitur, *Die Dominica ab omni opere illicito abstinere*; & D. Aug. & D. Thom. R. P. Nicol. Mazzotta *Theol. Mor. Tom. III. T. 2. 2.*

2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. *Magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo.* Sed communius, & probabilius Doctores apud Lug. Sanch. & Dian. p. 1. t. 7. r. 32. hoc negant ex communi praxi Confessariorum, & Pœnitentium, non curantium de hac circumstantia: text. autem, & PP. cit. tantum volunt, mortale die festo commissum gravius opponi fini ultimo sanctificandi festum, quam opponantur opera servilia alioqui licita; non autem quod tunc prohibeatur speciatim ex motivo religionis; uti prohibetur opus servile; hoc enim est materia præcepti sanctificandi festum, illud opponitur fini talis præcepti, & finis legis non cadit sub legem: Illung. Cæterum, si peccatum fieret ex intentione profanandi, & contemnendi diem festum, utique esset species irreligiositatis, ac sacrilegii ob gravem contemptum Dei.

§. V.

Quomodo discerni possint peccata contra singula Decalogi Præcepta?

I. **C**ONTRA primum præceptum: Errores; vel dubia infide sunt ejusdem speciei in quacunque materia sint: qui ergo dubitavit semel de Eucharistia, semel de Purgatorio, semel de æternitate animæ, satisfacit dicendo, *Ter dubitavi in fide*; quia tota malitia desumitur ex oppositione cum divina auctoritate, quæ est eadem in omnibus. At ignorantia culpabilis Mysteriorum, dubium de fide, & positiva hæresis, distinguuntur specie inter se; sicut etiam apostasia à fide, & infidelitas; uti etiam defectio à fide in Judæismum, Paganismum, Hæresim, &c., quia hæ sectæ habent diversam oppositionem cum Religione: Lug. d. 16. num. 291. Superstitio cum pacto explicito specie differt ab ea, quæ sit cum pacto tantum implicito, & tacito ob malitiam notabiliter diversam: Sanch. Bon. & alii contra Dian. p. 1. t. 7. r. 66. Divinatio, sive fiat per aves, sive per stellas, &c. est ejusdem speciei, si autem misceantur sacra profanis, accedit species sacrilegii: Dian. Less. & alii: item hæresis tantum externa specie differt ab ea, quæ est simul interna, quia hæc habet strictam rationem hæresis, & afficitur excommunicatione: Bull. Cœn. Denique simonia juris naturalis specie differt à simonia juris

juris tantum Ecclesiastici, ob turpitudinem notabiliter diversam: Croixnum. 993.

II. Contra secundum: Blasphemix in Deum, B. V. & SS. ex Suar, Sanch., Less. & alii communiter distinguuntur specie, sicut distinguuntur latria, hyperdulia, & dulia; tamen Cajet. Dian. Tambur. & alii probabiliter etiam negant, quia omnes blasphemix speciem sumunt ab ipso Deo, sive in se, sive in suis Sanctis honorando. At, si blasphemia sit hæreticalis, accedit species hæresis: Lug. & alii communiter. Vide dicta tom. I. cap. de Blasphemia §. 1. quæsit. 3. Juramenta per Deum, Sanctos, vel alias creaturas Dei sunt ejusdem speciei, quia in omnibus idem Deus vocatur in testem: Lug. num. 287. Item jurare, quod non vis implere, vel quod scis esse falsum, vel de quo dubitas, an sit verum, sunt ejusdem speciei: Dicast. & alii. Et perjurium execratorium specie differt à simplici, quia est etiam contra charitatem propriam: Dicast. d. 9. num. 538. contra Lessium. Pal. dicit, perjurium assertorium specie differre à promissorio: sed negant Suarez, Cajet. & alii, quia utrobique vocatur tantum Deus in testem animi præsentis. Vota facta Deo, B. V. vel aliis SS. sunt ejusdem speciei, ut dictum est de Juramento; item de quacunque re gravi fiant: sic qui vovit Jejunium, Missam, Rosarium, & nihil implevit, satisfacit dicendo, *Ter transgressus sum grave votum*: Dicast. Lug. & alii. At, si votum fuerit juratum, est etiam contra fidelitatem: Tambur. & alii. Qui vovit jejunium conditionate, si furetur, confitens furtum tacere potest votum, dummodo impleverit; qui vero vovit non furari, & si furetur, jejunare; confitens furtum addere debet, fregisse votum non furandi, etsi jejunavit, quia commisit sacrilegium; qui autem vovit vel non furari, vel jejunare, confitens furtum tacere potest de voto, dummodo jejunaverit: Croix n. 1003.

III. Contra tertium: Ejusdem speciei est die festo exercere opus servile, ac forense tunc prohibitum: diversæ vero omittere Missam. Si tunc diu confabuleris, in Missa inducendo alium, Tambur. putat. unum esse peccatum, dummodo paratus ille esset ad confabulandum, secus si eum compuleris. Qui die Natalis Domini unam audit Missam, non peccat; si nullam, unum peccatum est, etsi incidit in Dominica, quia peccat tantum contra Religionem; secus, si eam etiam vove-

rit, vel Confessarius adjunxerit in pœnitentiam. Eadem dicenda sunt de jejunio: nam violatio jejunii quadragesimalis per comestionem carniū specie differt à comestione lacticiūm, ob notabilem diversitatem oppositionis cum temperantia: & similiter à comestione multiplici cibi non vetiti: Sanch. Ovied. & alii: & multiplex comestio carniū est multiplex peccatum, non vero multiplex cibi non vetiti. De comestione vero lacticiūm in jejunio extra Quadragesimam, vide, quæ diximus in Tract. de Jejun. tom. 1. d. 1. q. 4. c. 4. §. 1. Qui in mortali suscipit Sacramentum vivorum, peccat peccato diversæ speciei ab eo, qui in peccato ministrat; quia ultra irreverentiam non impedit in se ejus effectum. Qui in excommunicatione, & simul in mortali, & simul non jejunus communicat. Vasq. Dian. Lug. Tamb. Gob. & alii putant, unum peccatum committere contra reverentiam Sacramenti; sed probabilius Bon. Averf. & alii dicunt duo specie distincta, quia contra excommunicatum, & non jejunum est præceptum Ecclesiasticum ex motivo reverentiæ erga Christi Corpus, & contra peccatorem est præceptum divinum ex motivo non frustrandi Sacramentum suo effectu. Et idem est, si Sacerdos in mortali, & simul sine vestibus sacris, vel extra lapidem, vel cum corporali plicato celebret: Dicast. & alibi: celebrans etiam in solo mortali peccat ut minister, & ut suscipiens. Qui culpabiliter omisit communionem Paschalem, & communionem per Viaticum, duo peccata committit specie distincta, ob motiva præceptorum diversa. Qui autem suscipit Sacramentum pœnitentiæ sine debito examine, & sine dolore, & sine integritate, unum peccatum committit; ideoque satis est dicere: *Confessus sum sacrilege*. Probabile item est, Sacerdotem, qui sit & Beneficiatus, & Monachus omittendo Horas unum peccatum committere, adeoque satis foret dicere, *Omissi horas debitas*; non enim peccat contra justitiam ratione beneficii, sed tantum non facit fructus suos: Henr. Sanch. Fill. Sal. Pelliz. Tamb. Pal. & alii contra Suar. Laym. Bonac. & alios.

IV. Contra quartum: Odium, detractio, contumelia, &c. facta contra parentes sunt diversæ speciei ab injuriis alteri factis, quia sunt contra pietatem, & nomine parentum venit etiam avus, & proavus: Lug. n. 298. Tamb, l. 2. Conf. c. 5. At, si furatus es parenti, satis est

est dicere, *furatus sum*, quia non est actio contra pietatem, nisi inducat periculum paupertatis: Croix n. 1006. Injuria, quam pater infert filio, aut nepoti, conjux conjugii, frater fratri, differunt specie; quia, licet singulæ sint contra pietatem, tamen in singulis est diversa deformitas ratione diversi tituli conjunctionis; ac si injuria sit contra alios etiam propinquos, etiam benefactores, &c. non contrahit novam speciem in confessione explicandam; uti nec si fiat contra Sacerdotem, dummodo non sit percussio: Lug. num. 310. Si injuria fiat Superiori, qua tali, additur nova species contra reverentiam, hinc, si formali contemptu transgrediatis ejus præceptum leve, præter inobedientiam levem additur malitia gravis contra reverentiam debitam; non tamen, si non tangat illum, ut Superior est, ut si reveles secretum, quod Superior tanquam amicus tibi commisit: Lug. n. 309. Nota demum, quod lex, & præceptum Superioris facere potest, ut actio præcepta, vel prohibita spectat ad illam virtutem, ex cujus motivo præcipitur, aut prohibetur; hinc Subdiaconus v. g. qui non vovit castitatem, si fornicetur, fit sacrilegus, quia contra præceptum Ecclesiæ id ei prohibentis ex motivo Religionis: Doctores communiter.

V. Contra quintum: Qui occidens præterea discerpit cadaver, præscindat membra, evellat cor, &c., fit reus malitiæ specie distinctæ, nempe feritatis: Suar. Lug. Tambur. & alii; à fortiori, si hæc faciat adhuc spiranti, &c. Item velle occidere, & velle tantum graviter vulnerare, specie differunt, quia contra jura diversa ad vitam, & ad integritatem corporis. Similiter imprecari mala diversi generis, scilicet in fortunis, in honore, in corpore, in anima: Ov. & alii. Si odium sistat in mera delectatione mali proximi, vel displicentia ejus boni, absque voluntate efficaci, recurrit doctrina de delectatione morosa; idemque ait Lug. d. 16. num. 259. contra Suar. si odium sistat in mero desiderio inefficaci sine voluntate inferendi malum, quod tantum quasi fovetur, quia erit tantum contra charitatem in genere.

VI. Contra sextum: De hoc multa sunt dicta paulo ante §. 3. n. 2. & 3. per totos: plura dicentur alibi, præsertim in Tract. de Matrimon. Aliqua hic addo. Qui peccat cum conjugata, etiam consentiente marito, adhuc committit adulterium, ex Proposit. 50. damnata ab

Inn. VI. Si conjux in actu conjugali cum sua se morose delectet cum alia vel præsente, est species adulterii; ut etiam, qui accedit ad suam putans esse alienam: Sanchez, & alii. Item specie differunt copula inchoata in vase, vel circa vas innaturale, & deinde perfecta in naturali. Item consummata extra vas est contra naturam; si autem in actu ipso pœnitentia ductus quis se retrahat à copula illicita, non peccat de novo, et si prævideat semen deciduum diffundi, quia id accidit tali voluntati bonæ: Sanchez, Lessius. Qui habet votum castitatis, & causat in alio pollutionem tactibus, &c. peccat contra votum; Doctores communiter: si autem solo consilio, vel mandato, negant Sanchez, & alii, affirmant Carden. & alii, quia castitas prohibet, ut nihil directe contra se procuretur. Prima fornicatio, vel pollutio tollentes virginitatem, secundum D. Th. Bon. & alios distinguuntur specie à reliquis, quia opponuntur virginitati, quæ videtur habere specialem honestatem à castitate in communi; sed negant Lugo, & alii plures (nisi vero per fraudem, dolum, aut vim defloretur virgo) quia semper est contra castitatem tantum, ut primum furtum contra justitiam tantum. Equidem non est circumstantia aperienda necessario in confessione, quia virginitas non cadit sub præceptum, sed consilium, ex Ap. 1. ad Cor. 7. Denique, si virgo sub potestate parentum consentiens defloretur, Fill. & alii putant, esse stuprum, quia fit specialis injuria parentibus, sed negat Sanchez, quia virgo tantum est domina sui corporis, & stuprum est vis ei illata; si autem inferatur non virgini, Joan. Sanchez putat, non mutare speciem: sed recte contradicunt alii cum D. Th. quia semper est contra justitiam.

VII. Contra septimum: Furtum per usuram, vel alium dolosum contractum est ejusdem speciei cum aliis furtis: rapina vero differt, quia fit per vim illatam personæ. Si furatus sis heri equum, hodie pecuniam, cras vestes, satisfacies dicendo, *Commisi tria furta gravia*, quia materiæ hic sunt moraliter ejusdem speciei. Si occasione confessionis fureris aliquid Confessario, Lug. & alii dicunt esse grave sacrilegium, et si res sit levis, quia videtur, cedere in gravem irreverentiam Sacramenti: sed negat Averf. si res sit levis, uti dicitur etiam de levi mendacio in Confessione; imo, etiam si res sit gravis, dummodo animus, & furtum fuerit post absolutionem.

VIII.

VIII. Contra octavum: Etsi mendacium in re levi semper sit leve, est tamen semper mortale, si addatur juramentum; dicere autem *In conscientia mea*, ex dictis etiam de Juram. non est tale (nisi adsit conscientia erronea) per se enim significat interpositionem suæ auctoritatis fide dignæ.

IX. Contra nonum: De non concupiscenda re aliena, &

X. Contra decimum: De non concupiscenda muliere aliena dictum est jam paulo ante §. 3. ubi de desiderio, & delectatione morosa, & fusius in Tract. de Conscient. loc. sup. cit.

QUÆSTIO III.

De Cordis Contritione.

CORDIS Contritio, ut vocatur à Florentino, definitur à Trident. *sess. 24. cap. 4.* *Est animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Hæc contritio sic generice accepta dividitur ab eodem Trident. *can. 3. & can. 5.* in perfectam, quæ absolute vocatur *Contritio*, & in imperfectam, quæ ab eodem appellatur *Attritio*. Itaque ad vitandam æquivocationem, contritionem generice acceptam dicemus dolorem de peccatis; hunc deinde dividemus in dolorem perfectum, quem vocabimus *Contritionem*; & in imperfectum, quem dicemus *Attritionem*; tum deum agemus de *Proposito*.

CAPUT I.

Quid de Dolore peccatorum?

VIDENDUM I. Quinam dolor requiratur ad valorem hujus Sacramenti? II. Quæ sint ejus Qualitates? III. Quando debeat elici?

§. I.

Quinam dolor requiratur ad pœnitentiæ valorem?

DICO primo: Ad Sacramentum pœnitentiæ essentialiter requiritur dolor formalis peccatorum: Doctores

res communiter cum Suarez d. 20. *Sacram.* ubi oppositum vocat temerarium, & Vafq. erroneum. Ratio est, quia Flor. & Trid. loc. cit. requirunt absolute, & simpliciter aliquam contritionem tanquam partem hujus Sacramenti; atqui contritio est dolor, & detestatio de peccato commisso, ex eod. Trid. ergo requiritur dolor simpliciter, adeoque dolor verus, & formalis.

Hinc: Primo, Non satis est dolor virtualis, contentus in amore Dei super omnia, ut putavit Sylv. quia, quamvis amor Dei sit dolor virtualis, tamen absolute, & simpliciter non potest dici dolor, sed cum addito: ergo, quamvis per ipsum justificetur peccator extra Sacramentum, tamen per ipsum sine dolore formali non potest haberi Sacramentum. Similiter nec satis est solum propositum non peccandi de cætero, ut censuit Victor., quia est tantum dolor virtualis. Nec satis est voluntas suscipiendi hoc Sacramentum cum negatione actualis affectus ad peccatum, ut censuit Rosel. nec quæcunque displicentia peccati cum velleitate non peccandi de cætero, ut censuit Granad. quia nihil horum est dolor formalis. Atque hæc omnia procedunt etiam in confessione venialium; ita ut peccaret etiam mortaliter, qui absque dolore formali confiteretur venialia; quia, quamvis venialia sint materia levis, tamen frustrare Sacramentum est ex toto genere peccatum grave: Doctores communiter contra Fabr. Secundo, Neque satis est dolor putatus, nempe, si quis bona fide putet, se dolere, cum reipsa non doleat, ut putarunt Cordub. Sot. Cajet. Con. & alii; quia, quamvis sic confitendo excuseris à sacrilegio, tamen bona fides non potest dare sufficientiam, quam dolor ex institutione Christi habet in Sacramento; & à fortiori nec satis est dolor tantum externus, seu ore manifestatus, quo quis dicat Confessario, se dolere, & in corde non doleat, ut putavit Carolus ab Ascensione in suo Pentalogo, quia Florent. requirit contritionem cordis. Tertio demum, Nec satis est dolor, quo quis doleat, se non dolere, ut putarunt Pal. Nav. Sa, & alii; quia Concilia requirunt absolute dolorem de peccato. Notat tamen Arriag. vix fieri posse, ut quis efficaciter doleat de carentia doloris, & reipsa non doleat de peccato; quamvis enim non experiatur tunc sensibilem dolorem, tamen habebit spiritualem; & ideo putat, hunc talem posse tuto accedere ad hoc Sacramentum.

Dico

Dico secundo: Dolor formalis requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ debet esse simul detestatio peccati: Doctores communius cum Con. d. 1. n. 20. contra Dicast. d. 2. n. 103. & alios putantes, sufficere alterutrum, vel scilicet dolorem, vel detestationem. Ratio est, quia Trid. dicit, Contritionem esse *Animi dolorem, & detestationem*: ergo utrumque requiritur ad valorem Sacramenti. Explico utrumque. Dolor, & detestatio sunt actus odii; sed dolor est tristitia odio habens malum quæ præsens; detestatio est retractatio odio habens malum præteritum, ut olim commissum: utrumque hoc ex Trid. requiritur ad contritionem generice acceptam; ita ut pœnitens per dolorem tristetur de peccato commissio, quatenus est aliquod malum præsens, saltem quia præsens aliquod malum est olim peccasse; sicuti etiam olim bene egisse est aliquod bonum præsens, de quo potest semper gaudere; simul etiam pœnitens per detestationem retractet peccatum, ut olim commissum, ita ut velit, ut illud non commisisset, & efficaciter impediret, si poneretur in circumstantiis, in quibus posset illud impedire. Hinc Beati, qui aliquando in vita peccarunt, habent peccati detestationem, non tamen dolorem, cum sint hujus incapaces, & ideo non possunt habere actum contritionis. Econtra damnati habent dolorem, non tamen detestationem, quia non possunt amplius retractare peccatum, & ideo nec possunt conteri. Ergo homo, ut conteratur, utrumque habere debet; five demum quod ad detestationem sequatur dolor veluti proprietas, ut putant Cajet. Navarr., Gob. & alii; five quod inferat detestationem, putant Con. & alii; five demum quod in hac vita non possumus elicere dolorem, quin sit, vel adjunctam habeat detestationem, nec possumus elicere detestationem, quin sit, vel adjunctum habeat dolorem, ut notat Con. ex D. Thom. 3. p. q. 84. Hinc communis Doctorum sensus est, eum valide absolvi, qui accedit cum dolore formali, licet expresse non cogitet de detestatione, satisque esse, si exercite detestetur peccatum; & ideo contritio perfecta, vel attritio præcipue significantur per dolorem.

Dico tertio: Dolor formalis sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ elici debet ex fide, & spe saltem virtuali: ita communis, & certa Theol. sententia cum D. Thom. Ratio est, quia Trident. *sess. 14. c. 4.* eosdem actus exigit pro dispositione ad Sacramentum pœnitentiæ,

tiæ, quos *sess. 6. c. 6.* exigit pro dispositione ad baptismum, ubi exigit actum fidei, spei: & ratio ulterior est, quia dolor sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ debet esse supernaturalis, uti est certum; atqui nequit esse supernaturalis, nisi procedat ex fide (sine qua impossibile est placere Deo, ex Apostolo, & *Trid. sess. 6. c. 6.* ideoque D. Thom. in 4. d. 14. q. 1. a. 2. ait *Motum pœnitentiæ præcedit actus fidei, quia accedentem ad Deum oportet credere*) uti etiam est certum; & rursus nisi etiam procedat ex spe veniæ, quod de attritione expresse habetur in *Trid. sess. 14. c. 3.* & de contritione D. Thom. cum communi ait, moraliter fieri non posse, ut voluntas in præsentis statu consurgat ad perfectum amorem, qualis est contritio, nisi prius erigatur per spem supernaturalem: ergo ad dolorem sufficientem in Sacramento pœnitentiæ prærequiritur etiam actus fidei, & spei. Dixi, *Saltem virtualis*; nam sufficit actus fidei olim habitus, qui maneat adhuc in aliquo suo effectu, dum elicis dolorem; qui actus olim habitus expresse credidit mysterium Trinitatis, & Incarnationis: D. Thom. cum communi. Similiter sufficit exercite, & veluti experimentaliter cogitare, ac sperare à Deo remissionem, ejusque gratiam per dolorem in Sacramento.

§. II.

Quænam sint qualitates Doloris?

QUALITATES doloris requisiti ad valorem hujus Sacramenti sunt quinque: I. Ut sit liber: II. Efficax: III. Universalis: IV. Honestus: V. Supernaturalis.

I. Hic dolor debet esse liber, & voluntarius, ex *Trid. sess. 14. can. 5.* quia, si homo libere se avertit à Deo per peccatum, libere converti debet ad Deum per dolorem retractativum peccati. Quod verum est, etiam si convertatur ad Deum ex metu gehennæ, & pœnarum, ex *Trid. cit.* cum talis metus non tollat rationem liberi, & voluntarii simpliciter.

II. Debet esse efficax, hoc est excludere debet voluntatem peccandi; quia *Trid. citat.* dicit, dolorem dispo-
nere ad gratiam in Sacramento recipiendam, si voluntatem peccandi excludat. Hinc male putarunt aliqui apud

apud Carden. ad valorem hujus Sacramenti sufficere, si dolor invincibiliter putetur esse efficax, cum debeat reipsa esse talis; aliter homo non diceretur simpliciter converti ad Deum. Quare peccator debet de peccatis dolere ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus, non quidem intensive, sed appetiative, quo sensu etiam debet esse summus; quatenus ita appetiat peccatum super omne aliud malum, ut ab eo efficaciter se convertat ad Deum ex toto corde, &c. excludendo omnino à se voluntatem peccandi. Ubi etiam nota primo, quod non ideo dolor dicitur efficax, ex quod faciat, ut nunquam amplius peccetur, sed ideo, quia est talis naturæ, ut quamdiu duret, cum illo componi non possit voluntas peccati, de quo ipse est dolor: Croix num. 668. Nota secundo, Quod talis dolor sufficit, si sit in sola voluntate efficaciter detestante peccatum, adeoque sit pure spiritualis; etiam si non sentiatur in corpore sine lacrymis, &c. quia non est actus appetitus sensitivi, etsi illum comitari soleat aliquando dolor sensibilis, lacrymæ, &c. Debet vero per confessionem, vel aliud signum fieri sensibilis, hoc est externe manifestatus Confessario, ut possit hic valide absolvere; sic enim dolor fit pars Sacramenti, quod est signum sensibile.

III. Debet esse universalis, respectu scilicet mortalium, ita ut se extendat ad omnia mortalia, nondum remissa, quæ sunt in conscientia; quia in hac providentia non remittitur unum mortale sine remissione alterius, & nullum mortale remittitur sine efficaci dolore de illo: Doctores communiter. Non est autem opus descendere ad detestanda singula mortalia, quæ habes in conscientia; sed satis est, si ea universaliter detesteris, quia singulorum expressio requiritur in oris confessione, non in cordis dolore, ut notat Laym. unde, si advertis, te valde alicui crimini propensum, ne elicias actum doloris circa illud peculiare crimen ob periculum, ne illud ex animo detesteris, dum ad illud te reflectis; sed doleas de eo universaliter, & simul cum aliis peccatis, quia sic difficultatem dolendi, vel nullam senties, vel exiguam, ut bene addit Tamb. l. i. Conf. c. i. Dixi, Dolorem debere esse universalem respectu mortalium, quæ habes in conscientia; nam non est necesse, ut sit ex motivo universalissimo ad omnia mortalia possibilia; quia non teneris dolere de peccatis, quæ non fecisti; Suar. & alii communiter contra Bon. & alios. Neque urget pa-
ritas

ritas propositi, quod debet esse universalissimum de vitandis imposterum omnibus mortalibus possibilibus; nam Trid. definit, contritionem requisitam ad valorem Sacramenti esse *Dolorem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*; ubi prior pars satis innuit, non requiri dolorem universalissimum, sed tantum de commissis. Notat tamen Dicast, quod si prudenter timeas, ne alia etiam mortalia habeas, quæ non sunt in conscientia, teneris tunc ad dolorem universalissimum, ne exponas Sacramentum periculo carendi suo effectu.

Dubitant hic Doctores, An Sacramentum poenitentiae possit esse validum, & informe, ita ut valeat quidem, sed non producat gratiam, eo quod dolor inculpabiliter non se extendat ad omnia mortalia commissa, necdum remissa: uti esset, si Titius reus furti, & homicidii recorderetur tantum homicidii, & de hoc doleat ex motivo speciali ipsius homicidii?

Respondeo affirmative cum Suar. Henr. Tol. Bon. & aliis plurimis contra Vasq. Con. Laym. Pal. & alios. Quia, quamvis in casu non causetur gratia, cum furtum invincibiliter oblitum, nec virtualiter retractatum, sit obex, ideoque Sacramentum sit informe; tamen huic nulla pars essentialis deest, cum adsit integra confessio peccatorum, quæ sunt in conscientia, & solus dolor possit esse pars hujus Sacramenti, qui per hanc confessionem fieri potest sensibilis: dolor autem de furto, est adesset, non posset fieri sensibilis per hanc confessionem; nam poenitens expresse dicit, se non habere aliud peccatum: ergo habetur Sacramentum validum, licet informe; ita ut postea recipiatur etiam gratia, si eliciatur novus dolor ex motivo universalissimo in alia confessione, &c.

Objicies: Trid. *sess. 14. c. 5.* ait, *Reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur*; atqui furtum in casu non intelligitur inclusum in hac confessione ob defectum doloris non se extendentis virtualiter ad ipsum: ergo talis dolor non sufficit ad valorem, &c. Secundo, Idem Trid. *cap. 3. & can. 4.* ait, dolorem quatenus ad plenam, perfectamque peccatorum remissionem ex Dei institutione requiritur, esse partem hujus Sacramenti, & ad ejus valorem requiri. Atqui talis non est dictus dolor, cum non sufficiat ad plenam remissionem peccatorum in Sacramento, ut patet: ergo, &c.

Respon-

Respondeo cum Averf. § 6. Trid. utroque loc. cit. loqui, prout per se, & ordinarie res contingit; explicat enim modum ordinarium, qui est, & procurari debet pro justificatione; ad quod, per se loquendo, requiritur, ut dolor se extendat ad omnia nondum remissa, ne impediatur effectus Sacramenti. At Trid. præscindit ab eo, quod per accidens, & raro contingit, ratione scilicet doloris bona fide non se extendentis ad aliqua peccata; nec ullibi negat, talem dolorem ita restrictum obesse valori Sacramenti, si pœnitens invincibiliter oblitus sit illius furti, vel etiam si putabat, illud esse remissum, aut non esse mortale. ut addit Suar.

IV. Debet esse honestus, ex Trid. *sess. 14. can. 5.* hoc est elicitus ex motivo honesto; qualis non est, si doleas v. g. de ebrietate, quia sic non potuisti occidere hostem; hoc enim est motivum inhonestum: vel quia contraxisti morbum; hoc enim motivum est indifferens: vel quia contraxisti infamiam; nam est motivum humanum: vel quia dedecet virum honoratum; etsi enim hoc sit motivum honestum, est tamen naturale, & ad dolorem in Sacramento requiritur motivum honestum supernaturale, ut mox dicam; idque esse potest quadruplex, vel bonitas Dei, vel turpitudine peccati, vel metus gehennæ, & pœnarum, vel spes gloriæ, & præmii, juxta dicenda c. 3.

V. Debet esse supernaturalis; nam Trid. *sess. cit. c. 4.* ait, esse donum, & impulsus Spiritus Sancti; & *sess. 6. can. 3.* anathema dicit illi, qui asserit, sine Spiritus Sancti inspiratione, & adjutorio posse hominem pœnitere, sicut oportet. Hinc damnatur ab Innoc. XI. hæc Prop. 57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem:* quæ damnatio indefinita excludere videtur etiam attritionem supernaturalem tantum quoad modum; vel tantum extrinsece ratione acceptationis Divinæ, & solum includere dolorem entitative, & substantialiter supernaturalem: Dicast. Croix, & alii communius contra Con. Cajet. & alios. Tunc autem dolor est entitative, & substantialiter supernaturalis, cum procedit ab uno ex quatuor motivis dictis numero antecedenti, non tamen utcumque cognito lumine naturæ, sed ut cognito lumine fidei supernaturalis, quæ proinde essentialiter prærequiritur ad hunc dolorem, tanquam principium supernaturale influens in ipsum: Sic, si quis doleat ex motivo bonitatis Divinæ, ut lumine naturæ notæ, dolor est naturalis, & insufficientis; secus vero, si ex eodem motivo,

tivo,

tivo, ut credito per Fidem: similiter, si doleat ob turpitudinem peccati, ut dissonantis rationi naturali, dolor est insufficientis: secus vero, si ob turpitudinem peccati, ut dissonantis lumini Fidei: quatenus v. g. privat gratia, reddit indignum Christi membrum, &c. ex dicendis fusius infra.

VI. Denique in dolore venialium requiruntur etiam dictæ qualitates, excepta tertia, Nam potest licite, & valide suscipi Sacramentum Pœnitentiæ, etsi dolor non se extendat ad omnia venialia, quæ pœnitens habet in conscientia, vel etiam confitetur. Et ratio est, quia, cum non sit obligatio confitendi venialia, & possit unum etiam per absolutionem remitti sine altero, sequitur, ut possit pœnitens absolvi de uno, de quo dolet, & non de altero, de quo non dolet, etiamsi utrumque confiteatur; aliter timorati passim deterrerentur à confessione venialium, cum facile accidat, ut inter ea sit aliquod, de quo quis efficaciter non doleat: Suar. Henr. Vasq. Hurt. Dian. p. II. t. 5. r. 22. & alii communiter contra Pal. & alios.

Dices: Qui confitetur aliquod veniale, exercite dicit se de eo dolere: ergo, si de eo non doleat, quamvis doleat de aliis, mentitur, adeoque irritat Sacramentum: rursus peccatum, de quo non doles, est materia inepta absolutionis; atqui subicere materiam ineptam absolutioni Sacramentali est mortale; uti etiam Hostiis triticeis consecrandis miscere avenaceam: ergo, &c.

Respondeo: Ad primum, etiam dato, quod sic mentiatur, tamen mendacium est circa rem levem, adeoque ad summum peccat venialiter, neque adeo irritat Sacramentum. Cæterum non mentitur, quia ex praxi, & sensu communi Fidelium intelligitur pœnitens in confessione venialium exercite dicere, se dolere de aliquibus illorum, & ab eis velle absolvi: reliqua vero confiteri ad sui humilitatem, & confusionem, vel ad manifestandam magis suam conscientiam, ut à Confessario dirigatur; uti etiam manifestantur habitus pravi, & inclinationes inordinatæ, quæ non sunt peccata. Ad secundum, nego minorem, & paritatem; nam in consecratione tot sunt Sacramenta, quot sunt Hostiæ, adeoque unaquæque Hostia est materia gravis, quam ut physice distinctam afficit forma consecrationis; at per absolutionem venialium fit unicum Sacramentum, quod sufficienter salvatur in uno veniali rite absoluto: ita Dicast. Rur-

fus

ius verba consecrationis diriguntur ad materiam, quæ absolute determinatur, & demonstratur per pronomen *Hoc*, adeoque de singulis Hostiis dicitur esse Corpus Christi; & ideo, si inter eas sit avenacea non apta fieri Corpus Christi, forma consecrationis fit falsa; at verba absolutionis non diriguntur ad peccata, sed ad pœnitentem, & indeterminate tantum, & in confuso attingunt peccata dicendo: *Quantum in me est, remitto tibi peccata*, quod manet verum, dummodo peccatum, de quo dolet, remittatur: ita Suar.

Ex dictis inferis, quod si doleas solum de venialibus gravioribus, etsi in fine dicas, *De his, & omnibus aliis meis peccatis doleo*, neque mentiris, quia ex communi sensu aliud non vis significare, quam quod doleas de illis, à quibus vis, & potes absolvi. Idem dic, si confitearis multa venialia, & doleas tantum de eorum frequentia, cum sit specialis inhonestas in eorum consuetudine, & propterea facilius possis sic dolere, ut notant Lugo, & alii. Cæterum, si advertas, te non dolere de aliquo veniali, melius tibi consulis, omittendo ejus confessionem: Suar.

§. III.

Quando dolor sit eliciendus?

CERTUM est, dolorem debere elici ante absolutionem, quia secus peccator non esset dispositus ad remissionem peccati: Doctores communiter. Si autem eliciatur in ipsa absolutione, ante tamen finem illius: Tamb. Gob. & alii putant sufficere: negat Lugo; momentque omnes, cavendum esse, ne Sacramentum exponatur periculo frustrationis. Imo Con. Laym. Pal. & alii putant, ne sufficere quidem, si eliciatur post confessionem ante absolutionem; quia, si confessio ipsa non procedat ex dolore, non est Sacramentalis, sed se habet veluti narratio historica, & aliunde dolor postea elicitus nec fit sensibilis per ipsam, utpote antecedentem: & hanc sententiam, utpote in se probabilem, & tutiorem vult Croix sequendam esse in praxi post Prop. 1. damnatam ab Inn. XI. alibi cit. infertque, quod si pœnitens post confessionem eliciat dolorem, debeat iterum se accusare saltem in genere de peccatis antea dictis, quia sic confessionem sufficienter repetit.

Com-

Communior tamen sententia cum Nav. Tol. Valg. Gurt. Dian. Bon. Fagun. Suar. d. 20. s. 4. & aliis plurimis docet, sufficere etiam dolorem elicitum post confessionem ante absolutionem; quod etiam probatur ex praxi Confessariorum, qui audita Confessione conantur efficacibus verbis adducere poenitentes ad dolorem, prout etiam faciendum monet Rit. Rom. §. 12. Ut autem talis confessio differat à narratione historica, satis est, si fiat ex voluntate habendi absolutionem; per quod etiam dicitur Sacramentalis: & similiter dolor postea elicitus sufficienter fit sensibilis ob eam confessionem, ut imperatam à tali voluntate suscipiendi Sacramentum, ad quod requiritur dolor; sit etiam sensibilis per expectationem absolutionis, continuatam genuflexionem, tensionem pectoris, &c. quæ sunt quasi continuata confessio: Suar. Lug. & alii. Neque huic sententiæ obest Prop. damnata; quia etiam dato, quod implicite loquatur de suscipiente Sacramentum (solum enim loquitur explicite de conferente) tamen in casu non sequimur opinionem probabilem, sed probabilissimam ex communi Doctorum sensu, & praxi Confessariorum, & intrinseca ratione; ita ut Abelly dicat, esse in praxi tutam, & Lugo dicat, oppositam sententiam esse singularem, & contra communem Theologorum; & aliunde solum prohibemur sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, non vero prohibemur sequi opinionem probabilissimam, ut patet ex Prop. 3. Tutioristarum damnata ab Alexand. VIII. *Non licet sequi opinionem vel interprobabiles probabilissimam,*

Quæres primo, An dolor elicitus ante confessionem, ut sit sufficiens ad Sacramentum, debeat esse elicitus ex intentione confitendi?

Respondeo, Plures Doctores cum Lug. Averf. Reglin. Tamb. Gob. Moya, & aliis putare, satis esse si per voluntatem consequentem referatur ad confessionem faciendam, quod Arriaga dicit esse certum. At contra Bon. Præp. Dicast. & alii etiam plurimi docent, quod debeat elici ex intentione confessionis, quia alias non esset actio Sacramentalis, nec pars Sacramenti; sicuti neque esset Sacramentalis ablutio facta sine intentione baptizandi, quamvis immediate post referretur ad baptismum, & proferatur forma. Hæc secunda sententia videtur probabilior, adeoque in praxi sequenda: addit tamen Pallav. quod, si dolori conjunctum sit desiderium
justifi-

justificationis, ut communiter accidit, tunc jam adest sufficiens voluntas confitendi saltem mortalia, quia horum confessio ex dictis q. 1. c. 2. est necessaria necessitate medii, vel in re, vel in voto.

Quæres secundo, Quamdiu ante confessionem elici possit dolor sufficiens ad illam?

Respondeo, Non opus esse, ut dolor physice per se ipsum coexistat cum confessione; quia hoc Sacramentum imitatur iudicium forense, in quo sententia sequi potest diu post accusationem, processum, & confessionem rei; & ideo etiam differt ab aliis Sacramentis, quorum formæ plerumque significant materiam suam actu adesse præsentem. Satis ergo est, si dolor moraliter coexistat confessioni, hoc est ita existimetur perdurare, ut Pœnitens ex vi illius censi possit adhuc pœnitere, dum absolvitur; quia sic constituit unum moraliter cum absolutione, eritque pars Sacramenti: Doctores communiter. Tandem autem dolor perdurare dicitur moraliter, quamdiu perdurat in aliquo suo effectu: ut si quis ex vi ipsius jam elicitus pergat examinare conscientiam, manere ante confessionale expectare locum confitendi, &c. sic enim dolor ille præteritus manet virtualiter in ejusmodi actionibus, utpote elicitis vi ipsius ab actu quodam tenui, & imperceptibili in mente relicto; et si per plures horas dolor ille anteceffit: ut dicimus de intentione virtuali in celebrante.

Hinc Moya dicit, sufficere dolorem, si duabus, vel tribus horis præcedat confessionem: Tamb. si toto die antecedenti: Gob. si etiam duobus diebus: Hurt. si quatuor, aut quinque, aut etiam pluribus diebus: Tancred. si etiam per mensem; & aliqui apud Dian. pag. 3. t. 4. r. 116. si etiam per plures annos, dummodo non sit retractatus. Verum ex dictis patet, statui non posse certum tempus, sed requiri, ut perseveret moraliter, seu virtualiter in aliquo ab eo relicto, ordinante cæteras actiones ad confessionem faciendam. Quare dictæ opiniones deserviri possunt, ut si quis post signa doloris incidat in amentiam, delirium, &c. absolvi possit, ac debeat, saltem sub conditione, etiam post multum tempus. Cæterum dolor antecedens non sufficit ad confessionem, si fit notabiliter interruptus, vel retractatus: v. g. si post illum convertas te ad aliud negotium omnino diversum; in quo casu, quamvis positive nondum dimiseris voluntatem confitendi, tamen pro praxi breviter

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III.

renovandus est dolor. A fortiori, si retractetur dolor de mortalibus, quod fit per quodcumque mortale postea commissum, quia sic destructum est jam propositum non peccandi de cætero. Si autem quis unico actu doluit de mortalibus simul, & venialibus, & postea venialiter peccat, putant Lug. Arr. Dicast. Pallav. Tamb. & alii communiter, dolorem illum non revocari quoad mortalia, quia erat virtualiter multiplex, & ideo remanet voluntas non peccandi graviter: similiter, si uno actu doleas de multis venialibus, & postea committas unum eorum saltem levius, non censetur revocari quoad reliqua: Doctores cit.

Quæres tertio; An idem dolor physice præteritus possit sufficere pro pluribus absolutionibus?

Respondeo affirmative, dummodo fiat intra tempus, quo censetur dolor ille moraliter perseverare: v. g. si quis statim post absolutionem addat novum peccatum oblitum, & iterum absolvatur sive ab eodem, sive ab alio Confessario: & similiter, si quis instante morte absolvatur nondum integre confessus, & postea remittente periculo compleat confessionem, potest iterum sine novo dolore absolvi: Ledes. Sal. Escob. Henr. Averl. Arr. Platel. Dian. Dicast. Tamb. Illf. & alii communiter, idque indubitatum apud Doctores inquit Moya; & ratio est, quia sic dolor perseverat virtualiter in aliquo suo effectu, quamvis tenui, & imperceptibili, & per novam confessionem ordinatur tanquam nova materia proxima ad novam absolutionem. Neque obstat Prop. cit. damnata ab Inn. XI. quia hæc sententia est probabilissima, quidquid dixerit Croix.

C A P U T II.

Quid de Contritione Perfecta?

CONTRITIO perfecta, prout distinguitur ab attritione, est *Dolor, & detestatio de peccatis ex motivo charitatis*, hoc est ex bonitate divina secundum se digna, ut diligatur, & ita à contrito dilecta. Hinc Actus Contritionis est formaliter, vel saltem præsuppositive amor Dei perfectus; unde à Trid. *sess. 14. c. 4.* vocatur *Contritio charitate perfecta*, & simul est odium peccati, quia Deo malum est, adeoque super omnia mala. Sed explananda latius sunt hæc duo, *Motivum Contritionis, & Odium peccati super omnia.*

§. I.

De motivo Contritionis.

PUTARUNT aliqui apud Suar. d. 4. s. 2. n. 13. Contritionem posse procedere ex motivo Religionis, vel justitiæ, vel alterius virtutis moralis respicientis Deum; adeoque ad eam eliciendam sufficere detestari peccatum, quia est contra Dei cultum, contra Divinum jus proprietatis, &c. Sed Vasqu. & alii merito vocant id erroneum; Primo, Quia ex Trident. supra cit. Dolor conceptus ex turpitudine peccati non est contritio, de qua loquimur, sed proprie Attritio; atqui dolor conceptus ex motivo Religionis, Justitiæ, &c. est conceptus ex turpitudine peccati; peccatum enim est turpe, quia opponitur honestati Religionis, vel aliis virtutibus moralibus respicientibus Deum, etiam præscindendo ab omni pœna: ergo, &c. Secundo, Quia, ut bene arguit Gormaz num. 267. contritio est odium peccati super omnia mala simpliciter, ita ut homo per illam potius eligat suam annihilationem, quam Dei offensam; atqui per actum ex motivo Religionis hoc nequit eligere; cum per talem virtutem nequeat dicere: *Volo annihilationem mei, ut existat cultus Divinus à me ponendus*; hoc enim fert contradictionem: ergo, &c.

Idem dicendum est, si doleas ex motivo gratitudinis, nempe, quia offendisti Deum, à quo summa beneficia Creationis, Redemptionis, &c. acceperis; quia non habes pro objecto bonum Dei, sed honestatem gratitudinis, nec proinde detestaris peccatum super omnia, seu in quantum est summe detestabile; est enim detestabilius, in quantum opponitur Deo secundum se, quam in quantum opponitur gratitudini, obedientiæ, &c. Gobat. tr. 6. num. 60. Lug. & alii passim. Itaque motivum unicum contritionis perfectæ est sola Dei bonitas secundum se, ita ut doleas, quia offendisti Deum summum in se bonum summo amore dignissimum, cui servire debueras propter seipsum, suamque summam amabilitatem, seu perfectiones infinitas, etiamsi nihil beneficiorum ab eo accepisses, aut speraturus esset. Atque hic actus dicitur à Tridentino *Contritio Charitate perfecta*; habet enim pro fine Deum secundum se dilectum amore, amabili, ac benevolentia; & non ut bonum contrito; quia sic esset amor concupiscentiæ, qui tenderet

ret in Deum, in bonum sibi, adeoque non esset amor, & dolor super omnia simpliciter. Porro contritio perfecta, uti etiam amor Dei perfectus, justificat peccatorem ante absolutionem, juxta dicta q. 1. c. 1. cum sit etiam Sacramentum in voto.

Infers primo, Contritionem debere se extendere ad omnia mortalia, quia est ex motivo excludente omnia. Non tamen requiritur, ut se extendat ad omnia formaliter, ita ut contritus debeat singula detestari per singulos actus, aut saltem uno actu omnia distincte tunc cognita, putarunt Sylv. Can. Medin. & alii apud Vasq. & Dian. p. 3. t. 4. r. 118. quia nec id est moraliter possibile, præsertim peccatori innumeris peccatis onusto; nec opus est antecedenter omnia recogitare, ut patet in Publicano, Zachæo, & Latrone in Cruce, qui subito proruperunt in actum contritionis perfectæ; nec aliquando expedit singula considerare, ob periculum infirmandi dolorem, juxta dicta cap. antecedenti. Imo nec requiritur, ut dicas, *Detestor omnia mea peccata. &c.* sed satis est, si uno eorum distincte cognito, doleas de illo ex motivo bonitatis Divinæ, quia, quamvis talis actus expresse non tendat ad alia, quorum es etiam reus, tamen ratione motivi universalissimi virtualiter se extendit ad omnia, & singula mortalia, causatque proinde remissionem omnium: quod autem contra id objicitur, ex Catec. Rom. c. 6. est consilii, non præcepti: Doctores communiter cum Suar. d. 3. l. 6.

Infers secundo, Non opus esse, ut talis contritio se extendat etiam ad venialia; quia ex motivo bonitatis Divinæ haberi potest dolor, & detestatio de illis tantum peccatis, quæ pugnant cum amore Dei amicabili, quæ sunt sola mortalia. Neque obstat, quod summa Dei bonitas sit motivum de se universale etiam ad detestanda venialia, & mereatur talem appretiationem sui, vi cuius excludatur etiam affectus ad illa; nam est utique tale secundum se, sed non semper æque universaliter movens; cum ex eo possit voluntas creata detestari tantum, quidquid solvit amicitiam Dei, & tunc contritio se extendit ad sola mortalia; vel quidquid plene deliberate fit contra Deum, & tunc contritio se extendit etiam ad venialia deliberata; vel demum quidquid aliquo modo displicet Deo, & tunc contritio se extendit etiam ad venialia subreptitia, estque omnium perfectissima, & in praxi ponenda, qui enim ad hanc non aspirat, vix perveniet ad prædictas: Croix num. 739.

Simi-

Similiter bonitas Dei est quidem dignissima tantæ appretiationis, vi cuius excludatur affectus etiam ad quæcunque venialia; at hinc non sequitur, quod illam digne non appretiet, qui non excludit etiam venialia: quamvis enim non appretiet, quantum meretur, tamen simpliciter digne appretiat, quia potius vult subire omnia mala, quam illam, ejusque amorem amicabilem deserere.

§. II.

De odio peccati super omnia.

CONTRITIO perfecta detestari debet peccatum, ut malum Deo, adeoque super omnia simpliciter mala creata, ita ut contritus debeat esse saltem virtualiter, & implicite ita comparatus, ut potius velit omnia omnino bona amittere, etiam vitam, gloriam, felicitatem, &c. Item omnia simpliciter mala subire etiam gehennam, sui annihilationem, &c., quam peccare. Et ratio est evidens, quia alioquin nec Deum appretiat super omnia, nec odio haberet peccatum appretiative super omnia, & consequenter convinceretur, non amare bonitatem Dei secundum se, sed ut bonam sibi, vel aliis. Itaque homo vi actus contritionis pluris æstimat malum, quod per suum peccatum factum est Deo, quam quodcunque malum sui, vel totius universi; & similiter pluris æstimat reparare hoc malum, quam comparare sibi quodvis bonum, postponitque illi omnem suam felicitatem, etiam vitam, etiam æterna gaudia.

Dixi *Saltem virtualiter, & implicite*; nam non est opus, imo multis non expedit, facere comparationem explicitam inter peccatum, & alia mala; cum enim hæc plerumque à nobis magis sensibilibiter cognoscantur, & vivacius terreant, contingere posset, ut eorum expressa consideratio impediret efficacem detestationem peccati, ut notant Doctores communiter cum D. Bonav. in 4. d. 16. a. 2. q. 1. ideoque Tambur. l. 1. Conf. c. 1. num. 6. monet Confessarios excitantes pœnitentem ad contritionem, ne descendant ad particularia; quæ Dei sunt amorì postponenda: v. g. non oportet dicere, *Super divitias, filios, honorem, vitam, &c.* sed satis est dicere, *Super omnia Deum diligo, propter quem omnia peccata detestor, & execror.* Imo addit Croix num. 732., neque ad contritionem requiri, ut quis virtualiter, & implicite dicat, se malle infernum, quam Deum offendere, quia

non est possibilis casus, quo quis ad vitandum infernum indigeat peccato: hinc foret potius inutile se vexare in ejusmodi comparationibus, cum prudentis non sit conditionate deliberare de quibusdam eventibus præter intentionem omnis virtutis occurrentibus. Est itaque factis, ut voluntas contrita sit ita disposita, ut non sit desertura Deum pro quovis alio suo bono, sed potius electura sibi quodvis malum, si necessarium foret ad vitandam Dei offensam, quia Deo malum est.

Quæres, An per contritionem remittatur non solum peccatum, verum etiam tota pœna etiam temporalis?

Respondeo, Etsi multum pœna temporalis remittatur, non tamen semper tota hæc pœna, ex Trident. *sess. 6. c. 14. can. 30.*, & *sess. 14. de Pœnit. c. 8. & can. 12.* Sic etiam ob contritionem remissum fuit David adulterium, & homicidium, sed in pœnam mortuus est infans ex adulterio natus 2. Reg. 12. Putant tamen Suarez, d. 10. f. 3. Lug. & alii, cum culpa semper remitti aliquid pœnæ etiam temporalis: sed manet incertum, quam diuturna pœna temporalis per se loquendo maneat persolvenda post remissum quodvis mortale.

C A P U T III.

Quid de Attritione?

ATTRITIO est Dolor; & detestatio peccati non ex motivo charitatis, sed alterius virtutis moralis, ideoque vocatur à Tridentino *Contritio imperfecta*. Itaque videnda sunt Primo ejus motiva: Secundo, An se sola sufficiat ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, an vero requiratur etiam contritio, vel amor benevolus Dei saltem remissus?

S. I.

De motivis Attritionis.

HÆC enumerantur à Trid. *sess. 14. c. 4.* Et Primum est, *Turpitude peccati*: Secundum *Gehennæ*, & *pœnarum metus*: Tertium *Amisio præmii*, seu gloriæ, quod tertium, quamvis explicite non dicatur à Trid. cit. implicite tamen dicitur, ut inferunt Doctores communissime; nam ad gehennam pertinet etiam pœna damni, quæ est amisio Gloriæ, & item Gratia, cui debebatur Gloria. Itaque

I. Tur-

I. Turpitude peccati est inhonestas, quam habet peccatum relate ad legem Dei prohibentem, & ad virtutem, contra quam peccatur: item ad naturam rationalem, & ad rectam rationem, dummodo hæc saltem confuse concipiantur ut intimantes legem Dei. Inest etiam omni peccato realis turpitude, divinæ offensæ, irreverentiæ, ingratiitudinis, inobedienciæ, temeritatis, &c. quæ ideo dicuntur motiva communia, ac præterea inest cuivis peccato specialis, ac propria turpitude per oppositionem specialem honestati virtutis, quod proinde dicitur motivum speciale. Attritio ex aliquo prædictorum motivorum pertinet ad virum ingenuum; debet tamen esse supernaturalis, juxta dicta cap. 1. ita ut ejus motivum cognoscatur lumine Fidei, puta, ut proprium virtutis moralis elevantis hominem ad statum supernaturalem, ut inquit Suar. d. 5. s. 2. & sic ex inspiratione Spiritus S. ipsa attritio eliciatur.

An autem detestatio peccati ex motivo hujus turpitudinis, quod scilicet sit contra Deum auctorem naturæ, possit esse supernaturalis, & sufficiens? Est dubium. Negant Suar. Con. & alii, quia hic actus respiciens tale motivum naturaliter cognoscibile, non potest esse, nisi naturalis. Affirmant Scot. Ripal. Lug. & alii, quia actus etiam ex motivo naturali potest esse supernaturalis ex auxilio Dei supernaturaliter influente. Equidem, cum utraque sententia sit probabilis, censeo, priorem in praxi tenendam, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis, ex Prop. 1. damnat. ab Inn. XI. supra recensita.

II. Metus gehennæ esse potest motivum detestandi mortale ob vitandas æternas pœnas, Dei inimicitiam, perpetuum cum dæmonibus consortium, &c. Item metus pœnarum esse potest motivum detestandi venialia ob pœnas Purgatorii, ob remorsus conscientiæ, anxietates, scrupulos, ariditates, &c. Atque hæc attritio pertinet ad servum, quia est ex metu; sed, quamvis sit servilis, non est tamen serviliter servilis, cum excludat voluntatem peccandi etiam conditionatam, ut infra explicabimus. Si quis vero doleat de peccato ob metum infamiæ, ærumnæ temporalis, infirmitatis, mortis infligendæ à Judice, &c., communiter non est attritio disponens juxta Trid. ad Sacramentum pœnitentiæ, quia, cum eliciatur ex motivo naturali, est communiter naturalis; ideoque cum ea stare possit voluntas interna peccandi

saltem conditionate, si non ferret infamiam, ærumnas, &c. At, si quis doleat de peccato ob metum earundem peccatorum temporalium hujus vitæ, ut infligendarum à Deo vindice peccati, Con. Hurt. Suar. & alii communiter dicunt, sufficere pro attritione, quod etiam indubitatum dicit Gob. n. 47., quia sic est dolor, & detestatio peccati ob malum, prout infligendum à Deo; adeoque cum respectu ad Deum offensum, & quidem lumine fidei cognitum, ut supponitur; & dolor ita excitatus ex motivo respiciente Deum sine dubio, inquit Hurtad. absterret, & avertit animum à quocunque peccato: ergo &c. satis est pro attritione saltem venialium, cum sic esse possit honesta, supernaturalis, & efficax. Quæ sententia est probabilissima auctoritate, & ratione, ita ut Gob. dicat indubitatum, & Arriag. omnino certam: quare non subjacet Prop. i. damnatæ ab Inn. XI., juxta dicta c. i.; quidquid dixerint Can. Pasq. Croix, & alii.

III. Spes præmii, & gloriæ esse etiam potest motivum attritionis, seu detestandi mortale, eo quod per illud amissa sit vita æterna, æterna gaudia, jus ad gloriam, item gratia, & amicitia cum Deo, virtutes supernaturales, &c. item detestandi venialia, quia per ea redditur homo indignus multis gratiis actualibus, speciali protectione Dei, fervore spiritus, singulari gloria, vel gaudio accidentali in Cælo, &c. Attritio ex his motivis pertinet ad mercatorem, quia oritur ex spe, supernaturali tamen, ideoque & ipsa esse potest honesta, supernaturalis, & efficax, excludens voluntatem peccandi etiam conditionate, juxta infra dicenda.

Ex dictis infero primo, Attritum ex quocunque ex tribus motivis expositis dolere, ac detestari peccatum, tanquam Dei offensam; ideo enim dolet, quia Deum offendit, à quo scilicet, vel placabili sperat gloriam, & gratiam, vel vindice timet gehennam, & pœnas, vel domino virtutum, horrorem haurit suæ turpitudinis, & dissonantiæ. Habet ergo pro objecto sui doloris bonitatem quidem Dei, non tamen secundum se, & ut finem *Cui*; sed ut bonam sibi, ita ut ipsemet dolens sit finis *Cui* talis doloris; adeoque, etsi doleat, se Deum offendisse, dolet tamen ultimate, non quidem positive, sed negative, ob bonum sui, & in hoc attritio differt à contritione, quia hæc respicit bonitatem Dei, secundum se, & in finem *Cui*.

Infero secundo, Attritum detestari peccatum super omnia mala sibi; quia ipse est finis *Cui*. Hinc attritus non detestatur peccatum super omnia mala simpliciter, sed cum addito, v. g. qui odio habet peccatum ex motivo inferni apprehensi cum reatu condignitatis ad illum, eligeret potius infernum sine tali reatu, quam peccatum, quod essentialiter fert talem reatum; licet non esset per illam attritionem positive etiam dispositus, ut ex odio inferni etiam apprehensi sine tali reatu eligeret potius infernus, quam peccatum; sed ab hoc præscindat; cum non sit contra, sed supra suum motivum, de qua re fusius §. sequ.

§. II.

De sola attritione absque contritione, aut amore formali Deo.

CERTUM est, attritionem se sola non sufficere ad justificandum peccatorem extra Sacramentum pœnitentiæ: videndum, an se sola sufficiat ad justificandum in hoc Sacramento, ita ut peccator ex attrito per Sacramentum fiat contritus, hoc est justificatus ejus valore, & gratia?

I. Negarunt olim Magist. Victor. Rich. Bonav. Alens. & Okam. apud Suar. d. 20. s. 1., putantes, attritionem se sola non esse sufficientem, & proximam dispositionem ad hoc Sacramentum, sed necessariam omnino esse contritionem. Sed hæc sententia communissime censetur certo falsa: Primo, quia Sacramentum pœnitentiæ ex communi sensu Ecclesiæ dicitur Sacramentum mortuorum, & nunquam esset tale, si necessario prærequireret contritionem, quæ per se ante Sacramentum vivificat; Secundo, quia cap. *Si Presbyt. 26. q. 61.* Jul. Pap. dicit: *Si Presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, erit reus animarum:* quod non esset verum, si ad absolutionem necessaria esset contritio; nam, si contritio præcessit, adhuc sine absolutione moriens salvabitur: si non præcessit, adhuc cum absolutione per adversarios damnabitur: ergo nullatenus Presbyter dici posset reus animarum.

II. Negant hodie Jansen. Esti. Molan. Macar. Haverman. Dalaverdure, Farvaques, Castr. Le Drau, & nonnulli alii Doctores Lovanien. apud Plarel

num. 694. putantes, sufficere quidem in Sacramento pœnitentiæ attritionem, dummodo tamen ei adnectatur aliqualis amor formalis, quo diligatur Deus secundum se: hunc autem amorem nolunt debere esse perfectum, quia sic se solo justificaret extra Sacramentum: quare requirunt amorem quendam saltem imperfectum (quem vocant amorem Dei initialem) sive quia movetur simul ex divina bonitate secundum se, & simul ex metu gehennæ, per quod deficit à contritione perfecta, qua unice movetur ex Dei bonitate; sive quia est amor debilis, & remissus, & non ex toto corde, prout requiretur ad justificationem extra Sacramentum, & pro hac sententia Delaverdure citat ex Thomistis Cajet. Victor. Contenson., & ex Soc. Jesu Tol. Comitol. Filluc.

Dico: Attritio, etiamsi nullam involvat formalem dilectionem Dei secundum se, est sufficiens dispositio ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ: ita communissima Doctorum sententia apud Platel. Putean. Becan. Gorm. & Lug. d. 5. num. 233., exceptis paucis supra citatis, quorum etiam aliqui apud Pallav. canunt palinodiam.

Ratio desumi potest, Primo, ex Trid. *sess. 14. c. 4.* ubi satis aperte id declarat; ait enim, quod attritio, *Quæ ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ . . . quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere.* Satis ergo per Trid. est, si attritio excludat voluntatem peccandi, & includat spem veniæ, ut disponat ad gratiam in Sacramento; atqui hoc totum habet attritio, etiamsi nullam involvat formalem dilectionem Dei secundum se: ergo, &c. Neque dicas, Trid. loqui de dispositione remota; nam hoc habet attritio etiam independentem à Sacramento: loquitur ergo de dispositione proxima ad impetrandam gratiam in Sacramento. Secundo, ex absurdo; si enim ad Sacramentum pœnitentiæ requiretur semper aliqua dilectio Dei secundum se, semper haberetur justificatio ante Sacramentum: nam ex Scripturis huic dilectioni universim promittitur justificatio, ut 1. Joan. 8. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est;* & Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Nec usquam in Scripturis limitatur hæc promissio ad dilectionem intensam, vel

vel excludentem aliud commotivum distinctum à bonitate divina, & quidquid in contrarium dicitur, arbitrarie dicitur; sive enim dilectio Dei secundum se sit remissa, sive intensa, semper est ejusdem speciei ex motivo suo formali, ex quo semper habet, ut appreciative ex toto corde amet Deum super omnia simpliciter, ideoque semper sufficiat ad justificationem: hinc *Quicumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem delet culpam*, ut inquit D. Th. in 4. d. 17. q. 2. Neque obest, quod Catech. Rom. c. 7. requirat contritionem vehementem, acrem, & intensam; nam seipsum explicat dicens, *Omni- bus rebus Dei amorem anteponendum esse*; quasi dicat: contritionem debere esse vehementem, &c. hoc est ex genere suo maximam appreciative in præferendo Deum omnibus rebus, quod utique habet ex objecto formali, etsi ipsa non sit intensissima. Similiter neque obest justificationi extra Sacramentum, si dilectio Dei secundum se sit simul dilectio sui ob metum pœnarum, vel spem præmii. Nam, sive non admisceat, sive admisceat etiam hæc motiva attritionis, semper stat, quod, prout procedens ex motivo charitatis, sit vera, & formalis dilectio Dei secundum se, ac super omnia simpliciter: ergo, ut justificet, non est necesse, ut positive excludat consortium alterius motivi, & unice eliciatur ex motivo charitatis: & ratio à priori est, quia nullus actus supernaturalis per se pugnat cum actu charitatis perfectæ. cum omnes sint ex impulsu Dei, qui in se charitas est, & Deus non pugnet cum seipso. Quod autem dicitur Joan. 14. *Perfecta Charitas foras mittit timorem*, Patres communiter intelligunt de timore immoderato, inordinato, & serviliter servili, cujusmodi non est timor supernaturalis.

Objicies primo: Trid. *sess. 6. c. 6.* requirit ad Sacramentum pœnitentiæ actum, *Quo Deum, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiamus*: ergo præter actum attritionis requirit etiam dilectionem Dei.

Respondeo, Distinguendo consequens, requirit dilectionem Dei secundum se, nego; dilectionem Dei, ut est bonum nobis, conc. Nota diligenter verba Trid. non enim dicit, requiri actum, quo Deum *diligant*, sed quo *diligere incipiant*, atqui incipiunt diligere Deum per puram attritionem ex metu gehennæ, & pœnarum,

rum, qui est actus timoris Dei vindicis, ut expresse habetur Eccl. 15. *Timor Dei initium Dilectionis ejus*: ergo, &c. Idem est de attritione ex spe præmii, & gloriæ, qua diligimus Deum, ut bonum nobis, quod expresse asserit Trid. illis verbis: *Tanquam omnis justitiæ fontem*, id est gratiæ justificantis. Igitur, si per dilectionem Dei initialem intelligant adversarii dilectionem Dei, ut est bonum nobis, hæc utique imbibitur in ipsa attritione supernaturali, qua certe incipimus Deum diligere, quatenus per eam amamus Deum, ut bonum nobis, & sic per eandem impetrata gratia justificationis in Sacramento disponimur ad postea diligendum Deum, ut in se bonum, seu amore formali charitatis. Si vero intelligant dilectionem Dei secundum se, gratis omnino eam requirunt ad valorem Sacramenti; cum neque eam eruant ex Trid., neque ex ullis Scripturæ locis; quod enim dicitur 1. Jo. 3. *Qui non diligit, manet in morte*, intelligi debet de charitate habituali, non actuali; aliter infantes post baptismum essent in mortē; unde etiam patet, sententiam nostram, tum auctoritate Trident., tum communi sensu Doctorum, tum etiam communi usu fidelium, esse probabilissimum; imo & moraliter certam; adeoque tutam in praxi, & oppositam valde tenuiter probabilem.

Dices: Alex. VII. vetuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis alterutram ex his sententiis *Audeat alicujus censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ non taxare*: ergo judicavit, sententiam oppositam adhuc esse probabilem; & cum ejus decretum fuerit post Trid., sequitur pariter, quod post Tridentinum nihil sit assertum pro nostra sententia.

Respondeo. Nego consequentiam: nam Pontifex ab hoc præscindit, & expresse dicit, se prohibere, &c. ut compescantur dissidia, quæ violant charitatem, & pacem. Cæterum non est censura theologica dicere aliquam opinionem esse improbabilem, cum sic tantum sit dicere, quod careat gravi fundamento; sed esset censura dicere, quod sit *Temeraria, &c.* quod non dicimus. Quod autem tale decretum sit post Trid. solum infert, quod à Trid. nihil sit assertum authentice per claram definitionem in Canonibus: non tamen quod nihil sit assertum doctrinaliter in Capitibus, ex quibus moraliter certe licet inferre nostram sententiam.

Objicies secundo rationem, *Detestatio peccati ex solo metu gehennæ tacite, habet adjunctum hunc affectum:*

Peccarem, si gehenna non esset, qui utique est affectus malus: ergo, ut attritio sit honesta, & supernaturalis, requirit etiam dilectionem Dei secundum se: Secundo, Detestans peccatum ex solo metu pœnæ non curat de hoc, quod peccatum sit malum Deo, sed tantum, quod sit malum sibi, adeoque tacite dicit, *Non detestarer, si tantum esset malum Deo*, quod certe est affectus pravus: ergo, &c.

Respondeo, Nego utrumque antecedens, utpote damnatum à Trid. *sess. 14. c. 5.* contra Lutherum; & iterum ab Alex. VII. Prop. 14. quæ sic habet: *Timor gehennæ non est supernaturalis*; & expressus Prop. 15. *Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentia Dei propter se non est bonus motus, & supernaturalis*; quæ propositio fuit Baji, Jansen. & aliquorum Rigoristarum: & ratio damnationis etiam est, quia, qui detestatur peccatum etiam ex solo metu gehennæ, ex hoc ipso excludere debet omnem voluntatem peccandi, tum absolutam, tum conditionatam; si enim tacite habeat hanc voluntatem conditionatam, *Peccarem, si gehenna non esset*, hæc voluntas est peccatum, ut patet, adeoque fert gehennam. Idemque est, si tacite habeat hanc voluntatem, *Non detestarer, si tantum esset malum Deo*. Neque dicas, cessante motivo detestandi, cessat detestatio: ergo, si cessaret metus pœnæ, non detestaretur peccatum: ergo virtualiter dicit, *Non detestarer, si non esset pœna*; ut etiam patet in eo, qui projicit merces ex metu naufragii. Nam contra, nego secundam consequentiam. Cessante metu pœnæ, solum infertur, quod tunc non detestaretur peccatum ex tali motivo, at neque positive infertur, quod tunc non detestaretur ex alio motivo per alium actum, cum ab hoc præscindatur; neque ullatenus infertur, quod nunc virtualiter dicat, *Non detestarer, si non esset pœna*; si enim hoc virtualiter diceret, sibi contradiceret. Paritas non est ad rem: voluntas conditionata retinendi merces non impedit, quominus reipsa projiciat merces, & sic evadat naufragium; at voluntas conditionata retinendi peccatum, si non esset pœna, est novum peccatum, & reatus novæ pœnæ; & ideo nequit haberi in eo, qui detestatur peccatum ex metu pœnæ. Neque replices: qui odit peccatum ex metu pœnæ, magis odit pœnam, quam culpam; hoc autem non videtur adeo ordinatum, nisi etiam accedat dilectio Dei; quia se solo
videtur

videtur non curare de hoc, quod peccatum sit malum Deo. Nam contra: inordinatum non est plus fugere pœnam, quam culpam, si simul reipsa plus fugiatur culpa, quam pœna, quod hic fit; nam attritus odit quidem magis pœnam, quam culpam, in quantum ex odio pœnæ movetur ad odium culpæ; at sub alia ratione magis odit culpam, in quantum ordinat odium pœnæ ad odium culpæ, eoque utitur tanquam medio ad odium culpæ; & ideo, si minus signate, exercite saltem curat, quod peccatum sit malum Deo.

Objicies demum: Nemo adultus est dispositus ad habitum fidei, vel spei, nisi præcedat actus fidei, vel spei: ergo neque ad habitum charitatis, nisi præcedat aliquis ejus actus; & confirmatur: qui offendit Principem, non videtur dispositus ad ejus amicitiam, si petat veniam, dicens, illam petere unice ex metu: ergo, &c.

Respondeo, Conc. consequentiam, si loquamur extra Sacramentum; at in Sacramento Deus ex meritis Christi confert attrito habitum charitatis, & gratiæ, ut clare eruitur ex Trid. Ad Confirmationem, peccator per attritionem non est utique ex se dispositus, &c. at ex benignitate Dei est rite dispositus, ut in Sacramento includente merita Christi recipiat Dei amicitiam.

Infers ex dictis contra Card. Sot. & Nav. neque requiri, sive ad valorem, sive ad fructum Sacramenti, contritionem putatam, ita ut pœnitens, etsi reipsa non sit contritus, prudenter tamen putet, se esse contritum. Si enim attritio ex voluntate Christi sufficit, nulla est ratio requirendi talem existimationem; cum hæc potius sit error, quem non est credibile à Christo specialiter requiri ad valorem, vel fructum Sacramenti.

CAPUT IV.

Quid de Proposito?

PROPOSITUM est *Voluntas non peccandi de futuro*, & hoc requiritur ad justificationem, sive intra sive extra Sacramentum, cum sit pars essentialis contritionis generice acceptæ, ex Trident. *sess. 14. c. 4.* Agendum de Proposito I. Quoad mortalia: II. Quoad venialia.

§. I.

De Proposito quoad mortalia.

QUOAD mortalia propositum esse debet Efficax, Firmum, & Universale. Itaque

I. Efficax est, si absolute excludat voluntatem peccandi mortaliter, dicendo *Volo, & decerno imposterum non peccare, omnemque occasionem proximam peccandi deferere.* Quare non sufficit velleitas; quia hæc est actus conditionalis, qui non excludit absolute, & simpliciter voluntatem peccandi, ut requiritur ex Trident. cit. Si ergo Consuetudinarius dicat: *Vellem utique abstinere imposterum à relapsu, sed non possum absolute velle sine his voluptatibus vivere,* non est dispositus; nam debet ita efficaciter velle, ut malit potius his carere, imo & omne malum generatim perpeti, quam iterum relabi: Nav. Suar. d. 20. s. 4. & alii communiter, quidquid dixerint Viçt. Ledef. Con. Cajet. & alii.

Objicies: Propositum non potest esse efficax, nisi habeat adjunctam spem aliquam non relabendi; sed multi peccatores, præsertim consuetudinarii, hanc spem habere non possunt, cum nequeat illis apparere tale objectum, ut moraliter possibile, & probabiliter futurum, ut requiritur ad spem: ergo, &c.

Respondeo: Primo, nego majorem; nam D. Petrus post revelationem Christi de sua negatione non poterat sperare oppositum, & tamen tenebatur proponere, se non negaturum; sufficit ergo ad propositum, ut adsit desiderium efficax cavendi mortale, dicatque efficaciter, *Quantum in me est, illud absolute, & simpliciter nolo, etsi non adsit spes, &c.* Secundo, Omnia majore, nego minorem; quamvis enim intellectus judicet, & voluntas timeat, se relapsuram, tamen ideo debet pro adjutorio recurrere ad Deum, sicque potest erigi ad spem aliquam de hoc, quod mediante Dei adjutorio non relabetur; & hæc spes sufficit ad propositum efficax.

II. Firmum censetur propositum, si tunc, cum eligitur, absolute, & simpliciter velis perseverare imposterum in illo; si enim sit talis, evidens est, ut quamdiu manet in voluntate, tamdiu nequeat secum compati consensus in novum peccatum mortale. Hinc ad ex-

plo-

plorandam præsentem dispositionem animi pœnitentis, & propositum non peccandi de cætero, inquit Cornel. à Lap. in ep. Jac. 2. posse aliquando à Confessario interrogari: v. g. vir nobilis, qui se accusat de duello, an, si iterum esset in eadem, aut simili occasione, adhuc vellet duellare; quia multi horum retinent principia vitiosa, v. g. duellum, si offeratur, acceptandum &c. quæ nunquam deponunt, ne in confessione quidem, ideoque nec habent firmum, & serium propositum non peccandi de cætero, cum voluntas non sit ab his actu averfa; &, si adesset nunc occasio, acceptaretur juxta ea principia. Notant tamen Val. Laym. & alii passim, quod si quis considerata sua fragilitate, malis habitibus, &c. merito timeat, imo etiam existimet, se ad vomitum rediturum, id tamen nihil obest firmitati propositi, si vere, & serio resolvat imposterum non peccare; quia illa existimatio est ex parte intellectus, & propositum ex parte voluntatis, quæ duo possunt simul esse in eodem homine; quamvis enim ex illa existimatione oritur in voluntate timor propositi defecturi, tamen etiam ex Dei adjutorio oritur spes non defecturi, & hac spe fundatus recidivus potest etiam firmiter proponere. Cæterum non est signum certum, quod propositum non fuerit firmum, si post illud relapsus sis in idem peccatum; cum potueris tunc firmiter nolle imposterum relabi, & deinde mutare voluntatem, ut accidere etiam potest in rebus humanis. Quare ad firmitatem propositi non requiritur, ut sit etiam constans in re, seu ut diu reipsa duraverit; quia sic nemo posset absolvi, nisi post diurnam experientiam talis constantiæ, ut falso putarunt Jansen. & complures Rigoristæ damnati ab Alex. VII. Prop. præsertim 17. *Per illam praxim mox absolvendi, ordo Pœnitentiæ est inversus.* Sufficit ergo ad firmitatem propositi, si hic & nunc absolute, & simpliciter velis perdurare in illo, uti est dictum. Notat tamen Lugo d. 14. n. 160. qui efficaciter, & serio proponit, non ita facile statim oblivisci sui propositi, sed saltem per aliquod tempus perseverare in illo; ideoque frequentem, vel immediatum relapsum, præsertim si vehementior occasio non intervenerit, esse quandoque signum propositi infirmi, & inepti, quod fac videat Confessarius.

III. Universale est propositum, si se extendat ad omnia mortalia imposterum cavenda; atque ita debere esse communis-

munissime docent Doctores cum D. Thom. 3. p. q. 87. a. 1. contra Hurt. & alios paucos; cum Trid. *sess. 14. c. 4.* absolute dicat, *Cum proposito non peccandi de cætero*, ubi *ly non* est particula exclusiva omnium peccatorum in futurum: similiter Deus promisit impio veniam, *Si custodierit omnia præcepta mea*: Ezech. 18. hoc est, si custodire proposuerit. Cæterum sæpe expedit, propositum hoc universale concipi etiam universaliter; ita ut caveat pœnitens, ne sibi proponat fugere hoc, vel illud peccatum in specie, præsertim si ad hoc, vel illud se videat natura, aut habitu propensum; quia sic adest periculum infirmandi propositum. Sufficit ergo formare propositum ex motivo universali, & communi omnibus mortalibus; vel ex consideratione unius in specie minus periculosi, & ex motivo communi omnibus: Gob. n. 193.

Quæres, An propositum debeat esse formale, & expressum, an vero sufficiat virtuale, & implicitum in ipso actu doloris?

Respondeo, Sufficere etiam propositum virtuale, & implicitum in actu doloris, dummodo hic sit elicitus ex motivo universali; quia per talem actum formalem doloris excluditur voluntas peccandi de cætero: hoc ipso enim, quod quis ex motivo universali efficaciter vult non fuisse peccatum, implicite, ac indivisim vult, illud nunquam iterum fore; & cum motivum ita volendi sit universale, sequitur etiam implicite, ac indivisim, ut efficaciter nolit, ullum mortale fore: cum ergo ex Trid. loco cit. satis sit attritio, si excludat voluntatem peccandi, sequitur, ut satis sit propositum virtuale, & implicitum inclusum in ipsa attritione, saltem in eo, qui dum elicit dolorem, nihil actu cogitat de vita futura; nam, qui actu id cogitat, potest, & debet; cum tunc naturale sit, ut, si doleat de commissis, expresse proponat de futuris. Dixi, *Si doleat ex motivo universali*, puta ex metu gehennæ, spe gloriæ, aut ex bonitate divina; si autem doleat ex speciali turpitudine v. g. furti, qua talis, non videtur implicite proponere, nisi cavere furtum futurum, adeoque non habere propositum universale.

Dices: Trid. l. c. initio hujus quæstionis ait, contritionem esse dolorem, & detestationem, *Cum proposito non peccandi de cætero*: ergo: sicuti ex institutione Christi requiritur ad Sacramentum dolor formalis, ita formale propositum.

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. X Re.

Respondeo, Distinguo consequens: si tunc actu cogitet de vita futura, conc. si invincibiliter de ea non cogitet, nego. Juxta hanc distinctionem conciliantur hic sententiæ oppositæ; nam Henr. Val. Tol. Cajet. Bell. & alii putant, requiri propositum formale: Dicastil. & alii plurimi apud Dian. p. 3. t. 4. r. 116. putant, sufficere virtuale; & cum utraque sententia sit probabilis, sequitur, ut in praxi tenenda sit prior à pœnitente, quando actu cogitat de vita futura; ne scilicet exponat Sacramentum periculo frustrationis. At, si de vita futura non cogitet, quod sæpe accidit, jam accedit dispositus cum proposito virtuali ad valorem, & fructum Sacramenti; quo sensu posterior sententia est tam recepta à Theologis, tamque firmis rationibus munita, ut non sit practice dubitandum de ejus veritate, ut notat Gob. t. 6. n. 205. Cæterum, quando pœnitens eliciendo propositum formale vulgo dicit, *Promitto, &c.* hæc promissio non est verum votum, neque adeo obligat sub novo, & distincto reatu sacrilegii ad non relabendum, cum sit modus loquendi vulgaris in tali materia, idemque sonet, ac *Propono*; nisi pœnitens ipse expresse intenderet votere: Sanch. l. 4. de Voto c. 1. n. 31.

§. II.

De Proposito quoad venialia.

NON requiritur, ut tale propositum sit universale, ita ut extendat se ad omnia, & singula venialia in futurum vitanda; cum nec possit rationabiliter haberi voluntas absoluta, & efficax cavendi omnia; est enim id impossibile sine speciali Dei privilegio, ut constat ex Trident. sess. 6. can. 13. & tantum posset quis proponere conditionate, *Quantum in me est, volo curare, ne unquam committam venialia*: Gob. n. 220. Itaque, qui novit, se frequenter labi in venialia, sive ejusdem, sive diversæ speciei, sufficit, si proponat: se emendaturum eorum frequentiam: Lug. d. 14. f. 9. Item, qui pluries est leviter mentitus cum causa, & sine causa, sufficit, si proponat in futurum non mentiri sine causa, eo quod mendacium sine causa dictum sit turpius officioso: Gob. n. 224. Idem quandoque magis expedit proponere cavere aliqua tantum venialia, quæ sunt graviora, vel eorum radices, aut contra quæ sentis te magis moveri: Spor. n. 338.

Item,

Item, si habeas venialia plene deliberata, aut alia femiplena, potes tantum proponere vitare priora, cum hoc sit moraliter possibile, & circa posteriora, si ea sola habeas, sufficit proponere diligentiam pro iis saltem minorandis, quantum humano modo fieri potest: Suarez d. 4. l. 3. Cæterum quodcumque sit tale propositum, debet etiam esse firmum, & efficax saltem respectu unius ex venialibus, quæ exponuntur in confessione; ideoque etiam respectu illius debet esse propositum fugiendi occasionem proximas; quia secus non censeris vere, & sincere proponere illud cavere: Croix n. 914. & alii contra Con. Laym. Tamb. An autem propositum circa venialia debeat esse formale, & expressum, an vero sufficiat virtuale, & implicitum, pendet ex doctrina dicta §. antec.

Dubium est, An habens solum venialia debeat non solum habere propositum circa illa modo explicato, sed etiam propositum cavendi imposterum mortalia? Negat Gob. n. 216. quia hanc necessitatem nulla lex tunc indicat; sed forte requiritur, inquit Croix n. 906. quia, qui suscipit Sacramentum pœnitentiæ, suscipit gratiam, quæ est forma amicitiae divinæ de se perpetuæ: ergo vult servare deinceps omnia ejus præcepta obligantia sub mortali, quod est saltem virtualiter velle cavere mortalia,

QUÆSTIO IV.

De Oris Confessione.

ORIS confessio, uti appellatur à Florentino, est *Externa, ac sensibilis accusatio proprii peccati in ordine ad absolutionem Sacramentalem accipiendam.* Sexdecim habet qualitates hic breviter explicandas, ut inde ad plures difficultates enotandas descendamus.

CAPUT I.

Quæ sint qualitates bonæ Confessionis?

SIT Simplex, Humilis Confessio, Pura, Fidelis, Atque Frequens, Nuda, & Discreta, Libens, Verecunda, Integra, Secreta, & Lacrymabilis, Accelerata, Fortis, & Accusans, & sit parere Parata.

X 2

I. Sim-

I. *Simplex*; Ita ut nihil non necessarium, vel impertinens admisceat. Si autem addantur superflua, non reditur invalida, modo Confessarius judicare possit de peccatis.

II. *Humilis*; Ideoque aperto capite, & flexis genibus; quorum unum, si sine rationabili causa omittatur, est veniale: Escob. & alii. Huc etiam spectat, ut deponatur gladius, nisi sit Eques Melitensis, aut Teutonicus, qui merito gestant gladium etiam in Communione, eo quod profitentur miliciam pro tuenda Fide: Joan. Sanch. d. 45.

III. *Pura*, Ex intentione scilicet habendi remissionem peccatorum per Sacramentum, ideoque vocatur confessio Sacramentalis, cum talis intentio sit de essentia. Hinc, si veluti historice narres propria peccata confessario, vel ad petendum ab eo consilium, non valet: valeret autem, si deinde ex corde adderes, *De his enarratis me accuso*; Croix n. 1941. Si autem confitearis ex fine venialiter malo vanæ gloriæ, puta ut censearis pius Sodalitis, ut placeas Magistro, &c. valet, modo adfit dolor de aliis peccatis, quia illud veniale nec pugnet cum tali dolore, nec cum Sacramento: Lug. Dicastil. aliique contra Sylv.

IV. *Fidelis*, Hoc est vera, & sincera, ita ut nec taceat mortale, quod scit, se commisisse, nec asserat, quod scit, se non commisisse; & dicat certa pro certis, dubia pro dubiis, de qua re fusius infra.

V. *Frequens*, Non quidem ex præcepto, sed ex consilio, ut, qui frequenter peccat, frequenter confiteatur; &, si non habeat, nisi quæ jam confessus est, iterum cum novo dolore subicere potest ea clavibus ad novam remissionem: Bon. Nav. Fil. Suar.

VI. *Nuda*, Non verborum fuce ornata, ac palliata; sed ita, ut Confessarius intelligat, & judicet, an mortalia, an venialia sint, quæ dicis, &c. Hinc etiam, si de industria confitearis mortale Confessario ignorantis, furdastro, &c. ita ut bene intelligat, confessio est sacrilega; secus, si bona fide: Cajet & alii.

VII. *Discreta*, Id est prudens, & cauta, ita ut peccata præsertim carnalia pudicis verbis, & cum solis circumstantiis necessariis dicantur; nec nominentur complicés: sed, si opus est, tantum eorum status.

VIII

VIII. *Libens*, Seu sponte dicens peccata: si autem ex metu, aut importunis precibus traharis invitus, sed confitearis cum debito dolore, &c. valet, quia habet requisita. Si vero proposuisti quædam mortalia non fateri, quæ tamen prudens Confessarius de ore extraxit, debes fateri etiam illud propositum, utpote novum peccatum: Henr. Fagund. & alii.

IX. *Verecunda*, Id est non proterva per modum jactantiæ, sed cum erubescencia, & humili recognitione proprii peccati, tribuendo sibi culpam, non aliis.

X. *Integra*, Formaliter, & materialiter, ita ut exponatur omnis materia necessaria; quod si fieri nequeat, sit integra saltem formaliter, ita ut exponatur, quod sufficit ad valorem, & fructum Sacramenti; de qua re fusius infra.

XI. *Secreta*, Ad aurem solius Confessarii. Valida tamen, & Sacramentalis est, si fiat per interpretem, vel aliis etiam audientibus, ex Trid. *sess. 14. c. 5.* Uti etiam, si ex necessitate fiat nutibus, aliisque signis, aut scripto: extra vero necessitatem, Sylvius putat, non valere, quia à Florent. exigitur *Oris Confessio*, & ita servat communis usus Ecclesiæ; sed probabiliter Scot. Vasq. Laym. Dian. & alii putant, non esse mortale, si ob magnam verecundiam, scripto, nutu, aliove signo confitearis; quia consuetudo confitendi ore non obligat tam graviter in hoc casu. Essentialiter tamen requiritur, ut fiat Confessario præsentem; quia Clem. VIII. ann. 1602. damnavit hanc Proposit. *Licitum est per literas, aut internuncium Confessario absenti peccata sua Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere;* vetuitque sub excommunicatione reservata, ne in illo casu id deducatur in praxim. Ex quo etiam inferunt Doctores communiter, talem confessionem non solum illicitam, sed & invalidam fore; quia secus in casu extremæ necessitatis deberet licere; & rursus hanc damnationem intelligi etiam in sensu divisivo, ita ut neque liceat confessio in absentia, quamvis deinde absolutio detur in præsentia, neque liceat absolutio in absentia, quamvis confessio facta fuerit in præsentia; ut postea declaravit Paul. V. ann. 1605. nec Suarez oppositum docuit, ut falso ei appingitur; sed tantum dixit, posse moribundum absolvi, si testis dicat, illum antea absolutionem petivisse; ut dicam infra. Cæterum, si per

literas miseris peccata tua confessario, qui ea legerit, & postea in præsentia addas, *Me accuso de peccatis, quæ tibi scripsi*, valet, & licet; quia moraliter repetis confessionem in præsentia; & à fortiori valet, si præsentas scriptum legendum confessario, addens postea, *De his me accuso*; modo id fiat ex rationabili causa: Lugo, Arriag. Pal. Gob. & alii.

XII. *Lacrymabilis*. Hoc est, ut dolor cordis fiat sensibilis, & aliquo pacto manifestus Confessario, quod sufficienter habetur per tumorem pectoris, aliudve signum externum, vel per ipsam humilem confessionem peccati.

XIII. *Accelerata*, Seu non diu dilata post commissum peccatum, quod tamen est consilii, non præcepti.

XIV. *Fortis*, Vincens nempe omnem repugnantiam; quæ sui victoria est quid intrinsecum tali Sacramento, ideoque nemo excusatur à manifestanda sua turpitudine confessario. Obtinetur autem hæc victoria recogitatione futuræ quietis conscientiæ, salutis animæ, &c. juxta illud Tertul. *Pereat pudor, ne pereat anima*: item sigilli inviolabilis Confessarii, & quod is multa tuis sceleriora frequenter audit, & quod te magis diligat in Domino, & apud se gaudeat de tua victoria, &c.

XV. *Accusans*, Ita ut non se excuset, quasi non sit in culpa eorum, quæ fecit.

XVI. *Parere parata*, Confessario imponenti pœnitentiam, remedia, aliasque obligationes, de quibus infra.

Infers ex dictis, aliquas harum conditionum esse ad melius esse, ut ait D. Thomas. *In Suppl.* qu. 9. a. 4. alias esse necessarias, præsertim, quod sit Fidelis, Integra, Sacramentalis, & Sensibilis Confessario, ut fufius dicetur infra.

C A P U T II.

Quæ sit materia Confessionis sufficiens quidem, sed libera?

I. CERTUM ex Trid. *sess. 24. c. 4.* materiam sufficientem confessionis esse sola peccata fidelium; ideoque nec censuræ sunt materia absolutionis Sacramentalis, quamvis huic præmitti debeat earum absolutio, juxta dicenda d. 2. nec sunt imperfectiones morales, utpote, quæ, per se loquendo, non sunt contra præ-

præcepta, sed contra aliquod consilium, quod eas nec præcipit, nec prohibet, juxta infra dicenda; nec sunt peccata; quia hoc Sacramentum est remissionis, cujus non est capax, quod revera non fuit peccatum. Hinc communiter rejicitur Albert. Magn. qui, ut probaret, B. V. recepisse gratiam hujus Sacramenti, solitam fuisse asserere confiteri B. Joanni peccata, quæ apprehendebat se fecisse; cum & hic error esset indignus B. V. nec per illum posset gratiam Sacramenti recipere.

II. Certum est ex eodem Trid. *can. 5.* venialia esse materiam quidem sufficientem hujus Sacramenti, etiam si sola, vel etiam unum eorum in confessione exponatur; imo, etiam si illud sit subreptitium, hoc est cum semiplena advertentia factum, quales alibi diximus esse motus secundo primos; quia jam participant rationem peccati, adeoque remissibilitatis. Sed ex eodem Trid. *c. 5.* est etiam certum, nullum esse præceptum confitendi venialia, ideoque esse materiam liberam; ita ut, si aliqua eorum, sive etiam omnia scienter omittantur in confessione, adhuc licita, & valida sit expositorum absolutio: modo veniale scienter omissum non habeat adnexam excomm. min.

Infers Primo, Licitam esse confessionem venialium in specie, nullum exprimendo numerum, ut si dicas, *Accuso me de mendaciis*: Doctores communiter; & sic ex vi absolutionis probabiliter remittuntur omnia mendacia, ad quæ se extendit dolor: Arr. Dicast. Dian. & alii contra Lug. & alios dicentes, tot solum remitti, quot censetur potuisse Confessarius percipere ex vi confessionis, & circumstantiarum; unde in praxi tutius esset addere aliquem numerum, si occurrat: Croix n. 623. At accusare se de venialibus in genere dicendo, v. g. *Accuso me de multis venialibus*, nihil aliud exprimendo, probabiliter non videtur licere extra casum necessitatis: tum quia est contra praxim Ecclesiæ, tum quia hoc Sacramentum est institutum per modum accusationis, & judicii, quod per se loquendo fieri debet circa materiam saltem in specie certam, & determinatam; Suar. d. 23. s. 1. num. 10. Bonac. & alii contra Dicast. & alios. Valide tamen absolveretur, si adesset debita dispositio: Doctores communiter apud Bosco num. 114. Dubium tamen est, quæ, & quot venialia tunc remitterentur vi absolutionis? Dicast. ait, omnia. Lug. putat

tat ea tantum, quæ Confessarius potuisset in specie percipere, five ex verbis, five ex modo confitendi, five ex aliis circumstantiis; quia illa sola fierent ex vi confessionis sufficienter cognita.

Infers secundo, quamvis imperfectiones morales per se loquendo non sint peccata, tamen licitum, & laudabile etiam esse eas confiteri: Suar. Lug. Dicast. & alii communiter contra Jo. Sanch. singulariter putantem, minus utile esse eas confiteri Sacramentaliter, & reprehendendos Confessarios eas audientes. Ratio communis sententiæ est, quia, quamvis de se non sint materia confessionis tamen ordinarie habent adjunctum veniale, quod est materia sufficiens; ideoque communis præsertim Virorum Sanctorum praxis est de iis se acculare: puta se non paruisse inspirationibus Divinis, attendisse propriis commodis, non retulisse omnes suas actiones ad Deum, non egisse gratias post cibum, non observasse Regulas, &c. Imo Suar. generatim negat, transgressionem Regulæ esse sine aliquo veniali, ob difformationem membri cum toto; ideoque posse Confessarium absolvere nihil aliud confitentes, quam transgressionem voluntariam unius, aut plurium Regularum. Addit tamen Gob. t. 7. num. 513. pro majori securitate addendum aliquod peccatum saltem præteritum. Et non permittendum, ut quis texat longum catalogum talium imperfectionum, cum sit modus in rebus, & habenda sit ratio aliorum pœnitentium, & temporis alia in re melius impendendi.

III. Certum est, Peccata etiam mortalia alias rite, ac directe absoluta, esse materiam sufficientem præsentis confessionis, etsi ea sola dicantur; cum possit pœnitens de iisdem pluries, & à pluribus absolvi, juxta dicenda d. 2. exponi tamen debent cum novo dolore, ut habeatur nova materia proxima cum nova forma absolutionis, juxta ibidem dicenda. Cum autem, per se loquendo, nemo teneatur bis confiteri mortalia semel jam directe absoluta, sequitur, ut ea sint etiam materia libera novæ confessionis, etiamsi hæc instituaturs generalis: per accidens autem possunt evadere materia necessaria præsentis confessionis, juxta dicenda cap. sequ.

CAPUT III.

Quæ sit materia necessaria Confessionis ?

CERTUM est, materiam necessariam confitendam ex Jure Divino esse *Omnia, & singula mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habetur, etiam occulta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant*: ita ex Trid. *sess. 14. de Pœnit. cap. 5. can. 7.* Igitur ex Jure Divino confessio mortalium debet esse integra materialiter, quoad numerum, & species, etiam infimas mortalium. & circumstantias mutantes speciem; de quibus satis dictum est q. 2.

Quæres primo, An necessario confitendum sit peccatum mortale etiam in individuo ?

Respondeo affirmative; quia confitendum est integre prout est factum; & sic institutum esse à Christo constat nobis ex perpetua praxi Ecclesiæ: Doctores communissime. Hinc non solum confitenda est prava voluntas, in qua formaliter habetur malitia peccati, sed etiam actus externus, qui ab ea voluntate processit; quia, quamvis actus externus nihil superaddat malitiæ, cum non sit formaliter liber, tamen simul cum actu interno, à quo procedit, facit unum complete individuum in genere moris; actus enim externus se habet veluti materia, internus veluti forma unius operationis humanæ. Itaque, qui v. g. vulneravit, non satisfacit dicendo, *Volui vulnerare*; satisfacit autem dicendo, *Vulneravi*, quia sic satis exprimit actum internum. Item, qui volens occidere vulneravit tantum, non satisfacit dicendo, *Volui occidere*, sed debet dicere, *Volens occidere vulneravi*.

Quæres secundo, An necessario confitendus sit effectus peccati mortalis ?

Respondeo, Effectum peccati mortalis esse omne id, quod consequitur ad totum peccatum completum in individuo: v. g. voluntas occidendi completur externe in esse peccati per propinationem veneni: mors autem inde sequuta dicitur effectus peccati; & sic de reliquis. Certum est primo, quod si tales effectus nullo pacto fuerint prævisi, non est obligatio eos confitendi; sic non est obligatio confitendi homicidium factum in ebrietate, si nullo pacto fuerit ante prævisum; quia sic nullatenus est in se peccatum, sed merus effectus peccati ebrietas.

tis. Certum est secundo, quod si tales effectus sequuti sint post retractationem causæ, neque sunt confitendi; quia sic sunt omnino involuntarii: sic qui projecit Breviarium in mare, vel propinavit alteri venenum, si statim post tale peccatum sit rite confessus, non tenetur deinde confiteri omissiones Horarum subsequentes, nee mortem postea sequutam. At, si tales effectus, & prævisi, & sequuti sint ante retractationem causæ, quamvis Sanch. l. 9. Matr. d. 45. num. 30. Sot. Lop. Pal. & Thomistæ fere omnes post D. Th. absolute dicant, esse confitendos; tamen probabilius distinguo: Si enim ex peccato sequatur effectus tunc, cum potes adhuc illum impedire, est confitendus, quia sic complet eam omissionem in ratione peccati externi: si vero non potes tunc impedire, per se loquendo, non est obligatio illum confitendi, quia sic nec est in se peccatum, neque externe illud complet: Sal. Gran. Lug. Bon. Tamb. Dian. p. 1. t. 7. r. 64. Itaque in casu veneni, &c. etiamsi voluntatem nondum retractaveris, tamen satisfacis, per se loquendo, si dicas, *Propinavi alteri venenum*, tacenda de morte inde sequuta; & ita de reliquis. Dixi *Per se loquendo*; nam per accidens sæpe addi debent tales effectus, aut quia ratione ipsorum contracta est aliqua censura, aut quia pœnitens est monendus de restitutione ex effectu sequuto; & ideo pœnitentes communiter eos addunt in confessione, ad quod etiam sunt suaviter invitandi, ut inquit Esparfa.

Quæres tertio, An necessario sint confitendæ circumstantiæ peccati mortalis notabiliter illud aggravantes?

Respondeo, Has esse illas, quæ multum augment peccatum intra suam speciem: sic furtum mille ducatorum est circumstantia notabiliter aggravans furtum in specie furti; & similiter odium grave durans continenter per annum, &c. Equidem in hac gravissima difficultate, expono prius duas sententias oppositas, deinde concludam, quod videtur probabilius. Itaque

I. Negant D. Th. D. Bonav. D. Antonin. & alii plusquam 45. probatissimi Auctores, quos refert, & sequitur Dian. p. 1. t. 7. r. 1. & p. 3. t. 4. r. 67. ita ut satis in casu sit dicere: *Furatus sum materiam gravem, odio habui proximum graviter*. Ratio est, quia Trident. sess. 14. c. 5. can. 7. tantum ait, *Necessarium jure Divino confiteri omnia, & singula mortalia . . . & circumstantias, quæ peccati speciem mutant*: ergo sufficienter indicat, circum-

circumstantias tantum aggravantes intra eandem speciem non esse necessario confitendas; alioquin non processisset doctrinaliter, sed valde mance, inquit Lug. d. 16. num. 108. Et confirmatur primo, Quia Trident. expresse ibidem addit, nihil aliud exigi in pœnitentibus ab Ecclesia: Secundo, Quia, cum Trident. ibi agat de obligatione confitendi circumstantias, & non exprimat obligationem confitendi mere aggravantes; præsumendum, hanc obligationem non esse; contra illum enim, qui jus clarum dicere potuit, & non dixit, interpretatio est facienda, ex *Reg. Jur.* Tertio, Quia praxis Confessoriorum, & Pœnitentium non est, vel interrogare, vel confiteri illas, ut notat Vasq. d. 19. a. 1. d. 2.

II. Affirmant necessario confitendas Cajet. Sot. Suar. Henr. Con. Sanch. & alii Auctores non minus nobiles, inquit Carden. quos usqu. ad 25. refert Dian. l. c. quam sententiam Sanch. vocat verissimam, Vasq. in Scholis communem, & Bonæspei deductam ex principiis Fidei. Ratio est: Primo, Quia Catech. Roman. *de Pœnit. c. 9.* ait, *Confitenda etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & gravitatem augent;* qui Catech. jussu Pii V, conscriptus, & ex decr. Trid. editus, hujus mentem videtur optime assequutus: Secundo, Quia cap. *Consideravit de Pœnit. d. 5.* dicitur, pœnitentem debere considerare qualitatem criminis, quantum in eo perseveravit, & ut cognoscat augmentum peccati, *Quia omnis ista varietas est confitenda:* Tertio, Quia id est necessario confitendum, quod scire debet Confessarius, ut Judex, & ut Medicus, ex Trident. cit. Ut Judex autem scire debet has circumstantias, ut pœnam convenientem injungat; ideoque in fine decr. Gratian. designantur pœnitentiæ notabiliter diversæ pro peccatis etiam ejusdem speciei ob solas ejusmodi circumstantias, *cal. 21. 22. 37. & 38.* Similiter ut Medicus scire debet statum ægri, ut possit ei præscribere opportuna remedia: ergo, &c.

III. Concludo primo, Utramque sententiam esse probabilem, utpote nixam gravi auctoritate, & ratione. Quare sequendo in praxi primam sententiam, ne implicite quidem subjaces damnationi Prop. 1. proscriptæ ab Inn. XI. ut contra aliquos recte notat Carden.; quia non exponis Sacramentum periculo nullitatis; cum certum sit, ad ejus valorem non requiri confessionem materialiter integram, quando bona fide proceditur, ut est

in

in casu. Concludo secundo, Secundam sententiam videri probabiliorem ob graviores rationes. Trid. autem ideo tantum posuit, *Circumstantias, quæ speciem peccati mutant*: quia noluit expresse definire hanc quæstionem: cæterum sufficienter adjecisse videtur fundamenta pro secunda sententia; nam per circumstantias mutantem speciem intelligi possunt, quæ mutant, vel formaliter ratione alterius malitiæ, vel æquivalenter ratione malitiæ ita exaggeratæ, ut in æstimatione prudentium censeri debeat aliud quasi specie peccatum; cum species peccati sit apparentia, & æstimatio, quam de eo habent prudentes: sic, si quarta pars ducati sit quid leve, si furens medium ducatum, habetur circumstantia aggravans, quæ mutat speciem, quia mutat apparentiam, & æstimationem viri prudentis.

Quæres quarto; An necessario sit confitenda consuetudo peccandi mortaliter?

Respondeo, Si Confessarius interroget pœnitentem de consuetudine peccati, esse necessario confitentam, ut constat ex Prop. 58. damnata ab Inn. XI. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Ratio est, quia Confessarius ut Judex habet jus cognoscendi, an pœnitens serio proponat emendationem, & ut Medicus habet jus cognoscendi, an forte sit in occasione proxima relapsurus: ergo habet jus interrogandi de consuetudine peccandi, & consequenter pœnitens habet obligationem eam dicendi, & aperiendi peccata illius speciei etiam alias rite confessæ: neque est novum, quod per accidens teneatur quis iterum ea peccata, alias absoluta subicere clavibus; non enim fit, ut de iis novum judicium feratur, sed ut possit aptum judicium ferri relate ad peccata præsentia, cum quibus illa aliquatenus connectuntur, & dari remedia opportuna pro cavendis futuris. Hinc etiam fit, ut respondere similiter teneatur Confessario interroganti de occasione proxima peccandi, ut communissime docent Doctores contra Joan. Sanch. apud Dian. p. 1. t. 7. r. 55. Sicut etiam, si interrogetur de circumstantiis peccatorum notabiliter aggravantibus, etiam si probabile sit, non dari obligationem eas fatendi, si non petantur. Et ratio est, quia horum omnium notitia conducit ad recte judicandum in foro Sacramentali; unde jus habet Confessarius, ne sibi celentur, si de iis interroget. Si vero

COR-

Confessarius non interroget, tunc distinguendum est cum Lug. d. 16. num. 204. Vel consuetudo jam olim contracta inducit ad peccata sine libertate, & advertentia, ut accidit; cum quis ex veteri consuetudine blasphemiat, quin advertat hic & nunc ad malitiam blasphemiam; & hæc consuetudo libere nondum evulsa, est per se confitenda, utpote speciale peccatum omissionis, graviter enim obligamur ad evellendam. Vel consuetudo jam olim contracta inducit ad peccata libere, & advertenter patranda, & videtur etiam per se confitenda, quando quis advertit, quod per illam ponatur in periculo proximo; sed quia ad id homines non advertunt, idcirco raro se accusant de hac consuetudine, atque adeo raro datur obligatio eam manifestandi, antequam Confessarius de illa interroget.

Quæres quinto, Quid significet vox illa *Circiter* addita in confessione numero expresso peccatorum?

Respondeo, Significare parvum excessum supra, vel infra numerum expressum; quod parvum accipi debet respectively ad summam expressam: quare, si numerus expressus est minor, etiam excessus debet esse minor; & quo numerus expressus est major, eo major potest etiam esse excessus: non tamen proportionem Arithmetica, sed quasi Geometrica secundum judicium prudentium, quamdiu scilicet parvus excessus prudenter censetur quasi absorberi in numero expresso. Sic parvus excessus censetur unum respectu quatuor; duo respectu decem; tria respectu 20., quatuor respectu 40., sex vel etiam novem juxta Spor. num. 446. & alios respectu 100. &c. Itaque, si duodecies, v. g. peccasti, & ob incertitudinem dicas, *Decies circiter*, jam sufficienter explicas duodecimum in numero expresso: Addo, quod si excessus sit unius tantum, est aliquid etiam in se parvum absolute; & consequenter, si ob incertitudinem dixisti, *Ter circiter*, & postea reperias quater; non teneris iterum confiteri illud quartum; quia licet unum sit tertia pars trium, tamen est aliquid in se parvum: Dicast. Bosc, Croix num. 490.

CAPUT IV.

*An Peccatum mortale dubium sit materia
necessaria Confessionis?*

Hoc dubium potest esse triplex: Primo de ipso peccato, ut si dubites, an simpliciter peccaveris in materia

materia cæteroqui de se gravi: Secundo de qualitate peccati, ut si scias, te jam peccasse, dubites tamen, an mortaliter, an venialiter: Tertio de confessione peccati, ut si scias, te jam peccasse mortaliter, dubites tamen, an sis de eo confessus. Circa hæc omnia versari potest vel dubium negativum, cum scilicet utrinque sunt quædam motiva, sed adeo levia, ut neutra pars possit prudenter asseri; vel dubium positivum, cum scilicet pro utraque parte sunt gravia motiva, ita ut formari possit prudens iudicium tam pro hac, quam pro illa parte, aut saltem reflexe iudicari possit, quod pro utraque parte stet motivum grave: quando pro una tantum parte stat grave motivum, ea sola erit positive dubia, seu probabilis, & fundans prudens iudicium. His suppositis

Dico primo: In dubio positivo pro utraque parte peccatum non est materia necessaria confessionis: Doctores communiter cum Sylv. Suarez, Henr. Sanchez, Bon. Layman. Lug., & aliis contra Elizal. Gorm. Merol. Con. & complures Rigoristas. Ratio est, quia in tali casu, cum etiam habeas grave motivum tibi favens; potes prudenter iudicare, te non obligari, esse illud non confitens opereris ex opinione probabilis non spectante ad valorem Sacramenti. Dixi *Pro utraque parte*: nam, si tantum sit motivum grave contra te, utriusque teneris confiteri; quia sic non habes prudens motivum, unde excuseris. Neque dicas, in dubio facti, quale est in casu, motiva opposita se mutuo elidere, ut duo testes graves testificantes pro. & contra. Nam tunc motiva opposita se mutuo elidunt, cum sunt ejusdem speciei, & omnino similia, uti sunt duo testes de visu; quia sic certum est, alterutrum eorum velle fallere, & cum ignoretur, quis eorum id velit, neuter meretur fidem. Non vero, si motiva opposita sint diversæ speciei, & dissimilia; uti essent duo testes, qui non de visu, sed ex aliis gravibus conjecturis pro & contra testentur; sic enim uterque meretur prudentem assensum, cum uterque habeat conjecturas probabiles ex motivis omnino diversis. Et ita est in casu nostro, in quo proinde potes prudenter indicare, te non obligari.

Hinc in dubio, an simpliciter peccaveris, in tali actione, si probabile sit, te non advertisse ad peccatum, non consensisse, &c. vel probabile sit, te non plene adver-

advertisse, non plene confensisse, &c. potes de ea actione non confiteri; etiamsi probabile etiam sit, imo & probabilius, te advertisse, plene confensisse, &c., quia sequens motivum probabile tuæ immunitatis à mortali, prudens operaris. Similiter, si certus sis olim, te peccasse graviter, sed probabile nunc tibi sit, te de hoc confessum etiam esse, non teneris iterum de eo confiteri, etiamsi probabile, imo etiam probabilius adhuc tibi videatur non confessum esse; & ratio ulterior est, quia, quamvis inter homines non censeatur per probabilem solutionem satisfactum debito certo, sed danda est pars solutionis juxta proportionem dubii, eo quod homines non censeantur remittere debitum, nisi posita sit perfecta æqualitas; attamen benignius præsumimus de Deo, quod scilicet ad impletionem suorum præceptorum non exigat, plus quam quod prudenter judicemus, nos eis satisfecisse; alioquin exponeremur infinitis anxietatibus, & scrupulis, cum nimis facile obliviscamur eorum, quæ fecimus. Notant tamen Sanchez, Pallav. & alii, in periculo mortis fore obligationem eliciendi contritionem de his peccatis positive dubiis, vel confitendi ad minimum alia peccata, ut scilicet peccata illa dubia, si forte revera fuerint mortalia, necdum ante remissa, saltem indirecte tunc absolvantur; quia secus in ea extrema necessitate exponeretur periculo salutis æternæ. De Baptismo dubie suscepto, vide dicta suo loco in Tract. præced.

Dico secundo: In dubio negativo pro utraque parte mortale dubium videtur potius materia necessaria confitenda; ita Catec. Roman. de Pœnit. c. 9., D. Th. in 4. d. 21. q. 2. a. 3. ad 3., alique Doctores gravissimi, & prope innumeri, quorum 40. refert, & sequitur Sanchez l. 2. Decal. c. 10. n. 66. ita ut certum esse dicant plerique cum Gorm. contra complures etiam graves auctores infra citandos. Ratio est, Primo, Quia ex Trident. cit. tenetur pœnitens confiteri omnia, & singula mortalia, quæ habentur in conscientia, & memoria; sed qui negative dubitat de mortali commisso, illud aliquo pacto habet in conscientia, & in memoria, quia meminit v. g. facti præteriti, in quo dubitat, an peccaverit mortaliter; ergo tenetur illud confiteri.

Scio Ægyd. Con. Caram. Martin. Marchant: Stoz. Joseph à S. Januario, & alios Doctores docere,
nt

ut probabile oppositum; quia mortale dubium, inquit, revera non est in conscientia, quæ à D. Bern. dicitur *Cordis scientia*, & à D. Th. *Cum alio scientia*; neque in memoria, quia memoria est pronunciare, se prius aliquid scivisse: ex Aristot. i. *de Memoria*: & negative dubitans nihil scire, aut pronunciare potest. Addunt insuper: Primo, Dubium, quod facta morali diligentia vinci non potest, æquivalet ignorantia invincibili, & tacere possum in confessione peccatum, quod ex tali ignorantia puto non esse mortale: Secundo, In dubio melior est conditio possidentis, & negative dubitans de mortali est in possessione suæ innocentia: Tertio: In dubio, an lex aliqua existat, non est obligatio eam servandi, & dubium est in casu, an existat lex confitendi peccata dubia. Cæterum, quamvis horum sententia spectatis rationibus intrinsicis videatur probabilior tamen nostra sententia, spectata saltem auctoritate extrinseca, videtur in praxi tenenda; quia in iis, quæ pendunt à voluntate Christi, tenendum est, quod dixerunt antiqui, quos præsumendum est, magis nosse voluntatem Christi, quam pauci Doctores, qui non priusquam ab annis fere 70. cœperunt de hoc dubitare. Et sane nemo negat obligationem confitendi mortale, quod certo scis, te olim commisisse, sed negative dubitas, an confessus sis; quia sic certo possidet præceptum confessionis, cui prudenter judicare nequis esse satisfactum. Si autem dubium negativum sit de ipso peccato, aut de qualitate peccati; per se loquendo, probabilior, & tutior in praxi est nostra sententia obligans ad illud peccatum dubium confitendum.

Dixi *Per se loquendo*. Nam non tenentur, Primo, Scrupulosi; quia eorum dubia ordinarie sunt inanes apprehensiones; qui proinde non tenentur confiteri peccata certa; nisi certo sciant non esse antea confessã: Doctores communiter. Secundo, Nec tenentur, qui sunt timoratae conscientia, si negative dubitent, an peccaverint mortaliter: an venialiter; quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio: cum ergo hi soleant horrere à mortali, habent inde prudens motivum judicandi, se non peccasse mortaliter: Sanchez, Bon. & alii communiter. Tertio, Nec tenetur: qui olim serio fecit confessionem generalem, & nunc negative dubitat, an tunc dixerit tale, vel tale mortale, quia confessio serio facta est in possessione pro sua
inte-

integritate, & non meminisse, te hoc, vel illud esse confessum, non est prudens dubium, quod confessus non sis; cum vix recordemur hesternorum: Stoiz. p. 5. num. 169.; nisi ergo occurrat nunc positiva ratio prudenter dubitandi, non teneris, &c. Gorm. num. 170. & alii communius: unde etiam infert Jo. Sanch., estque valde notandum, inquit Dian. p. 5. t. 4. r. 107., hunc talem non teneri amplius, de vita antea acta cogitare; &, si occurrat dubium, an confessus jam fuerit tale peccatum; an non; an circumstantias, &c., poterit præsumere, quod sic: idemque infert Stoiz n. 164. in confessionibus particularibus serio antea actis; nam, qui semper cum morali diligentia est confessus non tenetur in priorem vitam ulterius inquirere, etsi hic & nunc non recordetur, se hoc, vel illud esse determinate confessum. Ex quibus concluditur, quod obligatio confitendi mortale dubium solum urgeat eos, qui non sunt timoratae conscientiae, vel de quibus ignoratur, an timorati sint, vel an antehac fuerint diligentes in suis confessionibus, ut concludit Croix.

Quæres, An peccatum dubium sit se solo materia sufficiens confessionis?

Respondeo affirmative, Si re ipsa sit commissum; sed cum hoc ipsum sit incertum, per accidens tunc datur obligatio addendi aliud certum, sive mortale alias absolutum, sive veniale, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis: quod, si aliud certum non possit addi, danda est absolutio sub conditione, præsertim in necessitate; maxime cum probabilis sit speculative loquendo sententia Perez, & aliorum Doctorum, quod peccatum putatum (adeoque & dubium) cum vero dolore sit sufficiens ad hoc Sacramentum, & consequenter per eam confessionem satisfieri præcepto confessionis annuæ: si certum sit, te peccasse, & dubitas, an mortaliter, an venialiter, absolvi simpliciter potes absque ullo addito, quia jam exponis materiam certam: Sanch. l. 1. Decal. c. 10. num. 3. Similiter, si Confessarius ex circumstantiis penitentis advertat ut certa aliqua peccata, quæ penitens confitetur ut dubia, potest simpliciter absolvere; quia peccata sunt declarata, prout sunt in conscientia, nec Sacramentum exponitur periculo nullitatis: Spor. num. 56.

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. Y CA-

CAPUT V.

Quæ mortalia antecedentium Confessionum sint materia necessaria Confessionis præsentis?

Dico primo: Qui antehac confessus fuit invalide, undecunque provenerit invaliditas, tenetur eadem mortalia iterum confiteri: Ita omnes. Ratio, quia Christus præcepit confessionem mortalium in ordine ad valorem, & fructum Sacramenti: ergo, quodcumque pœnitens novit suas confessiones fuisse invalidas, five ex defectu sui, five Confessarii, debet illas repetere, & si fuerunt voluntarie nullæ, debet etiam addere sacrilegia in illis, & in subsequentibus etiam communionibus commissa. Contra vero, si confessio fuit valida, sed informis, probabiliter non tenetur peccata sic confessæ iterum confiteri, sed tantum peccatum ommissum, quia absolutio fuit valida, & habebit fructum, cum sublata fuerit fictio: Suar. d. 22. f. 7. num. 2. contra Adrian.

Si Confessarius habebat facultatem in reservata, & invaliditas fuit ex defectu ipsius, eo quod noluit absolvere, probabiliter ablata est reservatio: & si invaliditas fuit ex defectu inculpabili pœnitentis putantis, v. g. non requiri dolorem, &c. probabiliter ablata est etiam censura; quia in primo casu pœnitens satisfecit præsentando se habenti facultatem in reservata: in secundo casu Confessarius absolvit, quantum potuit: Con. Cajet. Henr. & alii contra Layman. Bonac. & alios. Idem putant Pasqual. Rodr. Boss. f. 1. cas. 28., etiam si invaliditas fuit ex defectu culpabili pœnitentis, eo quod possit etiam invitus, nedum indispositus, à censuris absolvi, sed in hoc merito contradicunt alii, quia fraus non potest cuiquam suffragari, nec debet lucrum reportari ex sacrilegio.

Cæterum, si confessiones invalidæ repetantur apud Confessarium diversum à primo, debent omnia, & singula mortalia repeti; quia hic Confessarius, cum sit novus omnino Judex, debet omnia, & singula, quoad fieri potest, cognoscere, Doctores communiter. Si vero repetantur apud eundem Confessarium, qui adhuc habeat distinctam memoriam eorum peccatorum, satis est, si pœnitens dicat defectum confessionum, & communionum præteritarum, & in genere addat, *Etiam me accuso de omnibus peccatis antehac tibi confessis;*
idem

idem etiam dicunt Navar. & alii, si talis Confessarius habeat adhuc confusam memoriam eorum peccatorum, & aliquo pacto recordetur de statu pœnitentis, vel saltem pœnitentiæ injunctæ; quia sufficit aliquando formatum fuisse judicium, de quo nunc meminit. Si autem nec confuse meminit peccatorum; nec pœnitentiæ impositæ, debent distincte repeti eidem peccata, quantum necesse est, ut ex vi confessionis partim præteritæ, partim præsentis possit Confessarius formare judicium saltem confusum de statu conscientiæ, & injungere pœnitentiam congruam: Lug. d. 16. num. 642.

At, si pœnitens sit cæteroqui scrupulosus, regulariter ne permittas quidquam repetere, nisi certum sit, esse male confessum, juxta jam dicta. Imo idem etiam dicunt Fill. & Gob. t. 7. num. 275. , etiamsi pœnitens non sit scrupulosus; quia possessio est pro confessionibus factis, quarum valor præsumi debet, nisi graviter probetur oppositum, cum delicta non sint præsumenda: contra vero, si ille solitus fuerit negligenter se præparare, aut omittere aliqua, præsumptio est contra ipsum, ideoque tenetur repetere id, de quo dubitat, an valide sit confessus. Idemque est, si certus sit de mortali in confessione omisso, & sit dubium negativum, an ex verecundia, an ex justa causa; tenetur enim consistere illud, & reliqua etiam mortalia tunc confessa, quia est etiam dubium negativum de valore ejus confessionis: Moya d. 1. q. 8. n. 17. contra Baucium.

Pro praxi vero, si pœnitens mortale aliquod tacuit, pete, quale illud fuerit, & an, quando illud commisit, putaverit esse mortale; item, an putaverit esse mortale sic illud tacere in confessione: si enim hæc non adsint, nunquam peccavit mortaliter: si hæc consent, tunc pete, an, quoties confessus sit tempore intermedio, memor fuerit obligationis consistendi tale peccatum, & nihilominus perrexerit tacere; si enim bona fide, & cum debita dispositione fecisset has confessiones intermedias, fuerunt validæ, nec opus est has, vel peccata in his confessâ repetere: Doctores communiter: si vero adsuit semper mala fides, tunc, si apud te semper fuit confessus, redit doctrina paulo ante dicta; si non semper est tibi confessus, vel per multos annos sic perrexit, ita ut nec confuse recordari possis reliquorum peccatorum communiter

differendus est pro absolutione, usquedum se examinet, si capax sit ad se examinandum, & hoc antea non fecerit, quia vix fieri potest, ut tam subito omnium recorderetur: Gob. t. 7. num. 261. Addit tamen optimum consilium Croix num. 1226. exquirenda tunc ab eo graviora peccata, quæ illum maxime remordent, ut sic aperto ulcere, & deposita parte verecundiæ facilius deinde redeat: addit etiam, quod si non esset futura occasio redeundi, nec putaretur alteri facile aperturus conscientiam, possis tunc per interrogationes supplere defectum examinis, quantum locus, & tempus ferent, & absolvere, & pro pœnitentia injungere, ut diligentius se examinet, & si quæ alia occurrent, dein confiteatur.

Dico secundo: Mortalia indirecte absoluta in alia confessione sunt materia necessaria præsentis confessionis: ita omnes. Ratio est, quia ex Trid. *sess. 14. c. 3.* Confessarius est à Christo institutus Judex circa omnia, & singula mortalia fidelium; sed Confessarius nondum tulit sententiam de peccatis indirecte absolutis, utpote nondum subjectis directe ejus clavibus: ergo, licet indirecte sint remissa, tamen ex jure divino manet obligatio, ut directe Confessario subjiciantur; non quod illa reviviscant, sed quod novum peccatum omissionis committitur contra jus divinum, si non ita subjiciantur. Talia sunt mortalia inculpabiliter omissa in præterita confessione, vel eorum species, aut circumstantiæ mutantes speciem inculpabiliter omissæ, vel mortalia, dicta quidem in confessione, sed confessario non habenti jurisdictionem in illa, à quo bona fide, aut ex rationabili causa obtinuisti absolutionem directe cadentem super alia peccata sibi subjecta. Hinc damnatur ab Alexandr. VII. hæc Proposit. II. *Peccata in confessione omissa, sive oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Non sic autem in reservatione, aut censura peccati indirecte absoluti: si quis enim ab habente facultatem in talem reservationem, ac censuram generaliter absolvatur à censuris, & à peccatis, probabiliter manet omnino liber à reservatione, vel censura adnexa peccato oblito, quod proinde, si memoriæ occurrat, absolvi directe poterit à quovis Confessario: Regin. Con. Sylv. Nav. & alii apud Dian. p. 2. t. II. r. 19. contra alios. Et ratio est, quia nec reservatio, nec censura est peccatum, sed quedam pœna peccati. Secus vero, si ille Confessarius non habebat

bebat facultatem in talem reservationem, vel censuram, ut patet.

Quæres, An mortale in confessione oblitum, si memoriæ occurrat ante communionem, debeat ante hanc subjici clavibus?

Respondeo affirmative cum communissima apud Lug. *de Euch.* num. 126. contra Regin. Præp. Garz. & alios apud Dian. p. 9. t. 3. r. 1. Ratio potissima est praxis communis fidelium, quæ satis indicat præceptum divinum de præmittenda communioni confessione materialiter integra, excepto casu urgentis necessitatis, juxta dicta q. 1. c. 4.

Dico tertio: Qui bona fide dixit in confessione, se v. g. decies circiter peccasse, si deinde certo sciat, se peccasse undecies, non tenetur iterum illud undecimum clavibus subjicere: Doctores communiter. Ratio est, quia jam subjectum fuit clavibus prout erat in conscientia, & sufficienter inclusum in verbis illis, *Decies circiter*, juxta dicta cap. antecedenti: ergo nulla est obligatio ex jure divino iterum subjiciendi clavibus, cum directe jam sit absolutum: Suar. d. 22. f. 5. Vafq. Con. Lug. & alii communiter contra Perez. Imo Tamb. *de Conf.* l. 2. c. 1. n. 20. ait, rusticos, mulieres, & pueros, qui bona fide crassiori modo confessi sunt, licet postea videant, se in multis defecisse, non esse obligandos ad repetendas ejusmodi confessiones, quia Confessarius satis saltem in confuso peccata eorum perceperit; quod Lugo facilius admittit circa numerum, quam circa speciem, quia major est obligatio exprimendi determinatam speciem, quam determinatum numerum. Illud communiter asserunt Doctores, quod, quando pœnitens post examinatam diligenter conscientiam aperuit in genere statum, vitam, consuetudinem, & tempus, quo in peccatis fuit, non teneatur postea repetere peccata, quamvis in particulari distinctius recordetur hujus, vel illius, in hoc, vel illo loco, aut tempore, cum hac, vel illa persona commissi, quia in illa confusa confessione fuerunt sufficienter intellecta à Confessario, qui potuit de his, & eorum numero formare morale judicium; atque adeo de omnibus directe absolvi: Croix num. 934.

Dico quarto: Mortale dubium confessum ut tale, si deinde deprehendatur ut certum, probabilius tenemur iterum confiteri ut certum: ita communis sententia cum Sanch. l. 1. *Decal.* c. 10. num. 69. contra Arriag. Leand.

Caramuel. & alios. Ratio est, quia ab initio erat obligatio illud assertive confitendi ut certum, & solum tunc excusavit ignorantia, ergo, hac sublata, redit obligatio, maxime quia notabiliter mutatur iudicium Confessarii, debetque alia ferri sententia, & alia imponi satisfactio. Neque obstat primo, quod ab hoc absolutus jam sis directe; nam aliquando etiam datur obligatio iterum fatendi peccata directe absoluta, ut dictum est de consuetudine peccandi: sicuti ergo ibi aperienda est consuetudo Confessario interroganti, ut ferat iudicium de praesenti; ita hic etiam non interroganti fatendum mortale certum, ut feratur de eo iusta sententia, utpote nondum lata. Neque obstat secundo paritas numeri peccatorum inclusi in illa particula *Circiter*; nam numerus certus deinde deprehensus non multum variaret iudicium Confessarii, & sufficienter est expressus in illa particula *Circiter*. Cæterum, si confessus es integre tuum peccatum (r. g. dicendo, te osculatum esse virginem) apud te dubitans, an fuerit mortale, an veniale; non teneris iterum confiteri, si postea deprehendas fuisse mortale; quia confessus es integre, neque ex modo confitendi determinasti Confessarium ad falso iudicandum; Sanch. num. 69. & alii. Et à fortiori non teneris, si peccatum quodcumque confessum bona fide, ut dubium, postea deprehendas fuisse tantum veniale, aut nullum.

Similiter, qui bona fide exposuit integre peccata sua Confessario imperito, probabilius non tenetur iterum confiteri Confessario perito, quia prior Confessarius directe absolvit de communiter notis, etiam si sæpe illa non discernat à venialibus, sed vel iudicium suum suspendat, vel etiam iudicet mortale, quod fuit veniale: Suar. Henr. Sot. Con. Bon. & alii plures contra Sylv. Ricch. Valq. Victor. Val. Turr. & alios. Secus vero, si poenitens mala fide processit, cum sic prior confessio fuerit sacrilega.

C A P U T VI.

Quodnam peccatum sit mendacium in Confessione?

PEC-CATA sunt confitenda, sicut nunc conscientia dicitur fuisse tunc commissa, quando fuerunt patrata; unde, si tunc invincibiliter ignorabas malitiam, vel non advertebas ad aliquam circumstantiam, illam non contraxisti, etsi nunc scias talem malitiam, &c. Itaque pecca-

peccata certa confitenda ut certa, dubia ut dubia, nulla omnino non confitenda; si secus feceris, eris mendax in confessione: sed hoc mendacium esse potest, vel circa materiam necessariam, vel circa materiam liberam. Itaque

Dico primo: Mendacium in confessione circa materiam liberam probabilius est tantum veniale: Suar. Vasq. Lug. Tamb. & alii communiter contra D. Bon. Caj. & alios. Ratio est, quia, licet sit aliqua irreverentia, non tamen gravis, tantum enim decipit in materia libera, sine qua potest stare iudicium Confessarii circa substantialia, & valor Sacramenti; materia autem libera sunt venialia, & mortalia alias rite confessi. Sic venialiter peccas, si falso affirmes, vel neges aliquod veniale; vel, si interrogatus neges mortale antehac rite confessum; modo non faciat ad confessionem presentem, ut diximus de Consuetudinario, &c. Idem est, si mentiaris in re non pertinente ad confessionem, vel si mentiaris in Confessionali quidem, sed ante confessionem, vel post absolutionem: Gob. t. 6. num. 545. Idemque est, si alteri prius confitearis mortalia, & postea tuo ordinario Confessario venialia, à quo interrogatus dicas, te ab ultima confessione illi facta non commisisse mortale, quia decipis circa materiam liberam: Bosc. num. 171.

Dico secundo: Mendacium in confessione circa materiam necessariam est grave sacrilegium contra Sacramentum, ejusque auctorem: ita omnes. Ratio est, quia decipit Judicem in re gravi spectante ad substantiam Iudicii Sacramentalis. Tale est, si absque rationabili causa neget quis in confessione mortale, quod fecit; vel affirmet, quod non fecit: item, si mortale certum dicat ut dubium, vel dubium ut certum; item, si numerum dubium mortalium afferat pro determinato, vel determinatum pro dubio, aut majorem, minoremve, quam ipse putet esse; vel demum sciens v. g. se detraxisse dicat, *Accuso me, si detraxissem, &c.*; quia in his omnibus corrumpitur iudicium Sacramentale in re gravi, quamvis aliquando excuset bona fides, aut ignorantia. Idem est, si confitens mortale dicat, esse veniale, vel confitens veniale dicat esse mortale; vel confitens mortale falso dicat, se illud esse alias confessum, quia notabiliter immutat iudicium Confessarii circa materiam necessariam; Pal. Tamb. & alii communiter contra Dicastil. d. 9. num. 147. Si vero falso dicat, se non esse

esse antehac confessum mortale, quod tamen sit antea rite confessus, probabiliter peccat tantum venialiter, quia decipit tantum circa materiam liberam: Dicant. contra Pal. Tamb. & alios. Qui autem confitetur mortale antehac rite confessum, sed id non exprimat, non peccat, quia confitetur malitiam, quæ est ex parte peccati, quæ semper est materia confessionis: Suar. Sanch. Con. & alii communiter.

Item, qui confitetur mortale, de quo dubitat, an antehac sit confessus, non tenetur dicere, se de hoc dubitare. Imo, qui confitetur mortale antehac non confessum, nec tenetur id exprimere, nisi interrogetur, quamvis videat, Confessarium forte putare esse antehac confessum, dummodo ex vi confessionis eum non inducat in illum errorem, sed mere permissive se habeat: Bonac. Dian. Lug. Dicant. Tamb. & alii contra Hurt. Pal. Turr. immerito vocantem hanc sententiam perniciosam, & improbabilem: excipe tamen, si Confessarius imponat pœnitentiam valde levem; tunc enim per accidens esset obligatio id exprimendi, aut saltem petendi pœnitentiam majorem: ita idem Doctores.

Similiter neque peccat, qui dicit, se velle confiteri generaliter, & peccatis alias confessis miscet nova non antehac confessa, tacendo, hæc non esse antehac confessa; quia per verba illa, *Volo confiteri generaliter*, non dicit, se velle confiteri tantum peccata antehac confessa, sed quæ fecit in vita, Lohn. de Conf. par. 2. c. 12. dicens, id secure practicari: excipe tamen primo, Si inter nunquam confessa esset reservatum, à quo non posset absolvi hic Confessarius; Secundo, Si species peccati nunquam confessi aliter non intelligeretur, v. g. si recenter vovit castitatem, & peccatum oppositum intelligeretur factum ante votum: Tertio, Si Confessarius imponat pœnitentiam valde levem, ut dictum est supra; ideoque ordinarie semper expedit distinguere non confessa à confessis: maxime etiam, quia circa non confessa communiter diligentius interrogare debent Confessarii, ut bene explicetur species, & numerus: Croix n. 1182. Qui autem dicit, se velle confiteri generaliter de tota vita, & sponte omittit aliqua mortalia antehac rite confessa, non peccat mortaliter, quia non mentitur circa materiam necessariam; imo Tamb. n. 7. Dic. & alii putant, nec peccare venialiter, quia sensus illorum verborum communiter est; quod velit confiteri omnia, prout ipsi videtur, & placet, & ita intelligunt Confessarii.

Simi-

Similiter non peccat, qui ex necessitate confitens huic Confessario (cui ex rationabili causa non tenetur dicere peccatum, quod habet in conscientia, vel ejus speciem) id ab eo interrogatus neget; quia nullatenus mentitur, sed loquitur æquivoce: Doctores communiter. Qui autem mentitur circa individuum physicum peccati (puta si dicat; se peccasse tali die, cum sciat, se peccasse alio die, vel occidisse Titium, cum sciat, se occidisse Cajum) Arriag. Bosc. & alii dicunt, esse tantum veniale mendacium; quia moraliter sunt idem individuum peccati, & circumstantiæ illæ physice diversæ non sunt materia necessaria; nisi vero mutent speciem peccati, vel notabiliter judicium Confessarii: Suar. d.22. f.2. n.3.

CAPUT VII.

Quando valeat Confessio formaliter tantum, & non materialiter integra?

CONFESSIO formaliter tantum integra est externa quidem accusatio Sacramentalis, sed non omnium peccatorum, quæ sunt in conscientia, adeoque non est materialiter integra; dicitur tamen integra formaliter, quia nihil ei deest ad valorem, & formam Sacramenti. Hæc autem præcise valet, si adsit impotentia physica, vel moralis confitendi omnia, quæ sunt in conscientia, quia tunc solum ex benignitate Christi cessat suum præceptum de integritate materiali, & ideo transacta postea ea impotentia teneris ex eodem præcepto, mortalia tunc omnia subicere clavibus: Doctores communiter. Sit igitur.

§. I.

Quid de impotentia morali?

SI necessitas sit confitendi (v.g. ob præceptum annuæ communionis, vel ad vitandam infamiam, scandalum, aliudve malum grave, vel, si aliter longo tempore confessio esset differenda) valida est confessio non integra materialiter ob impotentiam moralem in subsequentibus casibus.

I. Si pœnitens nec apud alium Confessarium, nec aliter possit integre confiteri suum peccatum, nisi nominando complicem; tunc enim probabiliter potest illud tacere, quia conservatio famæ, ad quam complex habet jus, videtur excusare: Nav. Armil. Molin. Bon. Busemb. Dian. & alii contra Suar. Lug. D. Bonav. D. Anton. & alios. Si autem sola circumstantia nequeat exprimi sine manifestatione complicis, fatendum est peccatum tacita circumstantia, dicendo v. g. *fornicatus sum*, tacendo circumstantiam incestus, ex qua talis Confessarius facile nosset complicem. Hinc fit, quod, quando confessio fieri integre potest sine complicis manifestatione, illicitum est tum pœnitenti complicem manifestare, tum Confessario complicis nomen interrogare. * Ubi nota, Praxim exquirendi nomen complicis à nonnullis Portugalliæ, nec non Algarbiorum Confessariis usitatam, fuisse nuper à Bened. XIV. felicit. Regn. per literas in forma Brevis ad Episcopos illius Regni scriptas, *Damnata, ac reprobata, tanquam scandalosam. Et perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad Sacrosancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantoperè proficuo; Et necessario usu Fideles abalienantem.* * Si autem gravia damna timerentur à complice, quæ solus Confessarius posset impedire, esset ei manifestandus, quod expediret etiam fieri extra confessionem: Sot. Dian. Lug. Avdrf. q. 18. l. 7. & alii.

II. Si pœnitens ex confessione sui peccati, vel ejus circumstantiæ prudenter timeat grave damnum, sive spirituale, sive temporale sibi, aut Confessario, aut aliis, potest illud reticere; quia præceptum divinum de integritate materiali non obligat cum tanto incommodo: Doctores communiter: ut si prævideas, talem Confessarium fracturum sigillum, aut te odio gravi habiturum, aut aliis graviter nociturum. Item, si mulier v. g. prævideat ex confessione peccati carnalis fore periculum animæ suæ, vel confessarii; nullatenus potest ei confiteri, nisi in casu extremæ necessitatis, in quo etiam illud tacere debet, ob periculum alterutrius; nisi vero hoc omnino cessaverit. Doctores communiter apud Lug. d. 16. n. 361. Item, si Confessarius non posset aliter confiteri suum peccatum, nisi violatione sigilli: v. g. si invalide absolvisset simoniacum, nec posset con-

fiteri

feri, nisi illi, qui facile posset conjicere, quisnam ille esset. In his omnibus casibus requiritur necessitas supradicta confitendi, & defectus alterius Confessarii; Fill. Lug. & alii communiter, monentes, talia damna, & pericula non esse facile fingenda, & præsertim in Religioso vix posse locum habere.

III. Si pœnitens sit mutus; hic enim probabilius non tenetur confiteri scripto, quia scriptura ex natura sua nata est esse publica: Ledesm. Victor. Sotus, Navar. Val. Barb. Dian. Laym. Pal. & alii contra Suar. Vasq. Lug. Escob. & alios. Hinc satis est, si confiteatur per nutus, etiam prævideat, non posse integre intelligi à Confessario. Debet tamen hic, si fieri potest, instrui prius ab ejus domesticis de significatione nutuum. Si id fieri non potest, absolvere eum potest tempore præcepti, imo etiam jubilæi, aliisque celebribus festis, etiam nequeat ulla peccata in specie intelligere, modo tamen ex signis intelligat, eum dolere, & petere absolutionem: Gob. t. 7. n. 476. At, si quis à nativitate fuerit mutus, surdus, & cæcus, cum non videatur ullo modo posse ediscere mysteria fidei, solum est capax baptismi: Gob. t. 7. n. 476. Eadem dic de surdo, cui pariter satis est, si confiteatur integre, quantum scit se explicare: quod, si sit surdaster, neque est interrogandus à Confessario, nisi de plane necessariis, & sine periculo publicitatis: expedit tamen, ut audiat, si fieri potest, in loco remoto: Dian. p. 3. t. 4. r. 120. Eadem dic etiam de puero, rudi, bardo (vulgo *locco*) qui nequeunt se in specie accusare; habent enim potius impotentiam physicam; ideoque in dictis necessitatibus impertienda est eis absolutio sub conditione, si dubites, an noverint mysteria fidei, vel an dent signa doloris, &c. qui autem est semifatuus, putat Gob. t. 7. num. 468. quod, etiamsi singulis mensibus petat absolutionem à Confessario, qui novit eum saltem imperfecte exercere actus necessarios ad hoc Sacramentum, absolvendus est: idem dic proportionaliter de pœnitente barbari idiomatis, qui, etiam possit, tamen non tenetur confiteri per interpretem, cum solum præcipiatur confessio secreta, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Quare in dictis necessitatibus, si non habeat Confessarium intelligentem suum idioma, poterit confiteri per signa. Addunt Val. Arr. Bus. & alii contra Con. Laym. Lug. & alios, quod ne in articulo quidem mortis teneatur confiteri

confiteri per interpretem; sed optime monet Averf. teneri tunc per illum confiteri aliquod saltem veniale, ob majorem securitatem salutis: & Dian. suadet, sic etiam tunc conatenda omnia, cum non sit certum non adesse obligationem ad hoc ex præcepto divino.

IV. Magnus concursus pœnitentium non est causa moralis sufficiens dimidiandi confessionem, ex Propof. 50. damn. ab Inn. XI. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ; adhuc tamen putat Lumb. sufficere, si tunc sit pœnitens non rediturus ad confessionem, vel accedat peregrinus non bene examinatus, qui abire statim debeat: sed hoc negat merito Carden. nisi etiam adsit impossibilitas moralis, qualis esset, si ille esset valde rudis, nec alias posset confiteri; hic enim, si solitus sit confiteri generice tantum non explicando species peccatorum, posset tunc Confessarius audire peccata ab ultima confessione, & rudi aliqua cognitione præcedentium eum absolvere: Laym. l. 5. t. 6. c. 9. n. 4.*

§. II.

Quid de impotentia physica?

I. **H**ÆC est in periculo mortis, in quo non sit tempus confitendi omnia, ut in naufragio, terræmotu, prælio, aut alio simili; tunc enim sufficit dicere tantum in genere, *Accuso me de peccatis meis*: Doctores communiter ex Rit. Romano. Imo, quando imminens periculum aliud non permittat, possunt multi simul dolorem ostendere Sacerdoti, & sic omnes simul absolvi. Addunt tamen Con. Lug. Tamb. & alii, quod, quamvis tunc neque obliget publica confessio, tamen pro majore securitate expedit, ut quisque manifestet aliquod saltem veniale in specie, de quo minus erubescit, ut sic ab illo directe absolvatur, & indirecte à reliquis. Idem proportionaliter dic pro tempore pestis; si enim Confessarius accedens ad pestiferum non possit immorari ob periculum contagii, poterit unum tantum peccatum audire, & absolvere: illud tamen debet esse mortale, si sit in conscientia, quia, cum sit materia necessaria, debet dici, si potest. At, si ob tale periculum non possit Confessarius accedere, satis est dicere publice aliquod veniale, ut supra, & sic absolvi: v. Laym. l. 5. t. 6. c. 13.

II. E&c

II. Est in articulo mortis, quando probabile periculum est, ne infirmus ante absolutionem moriatur, vel plus animo debilitetur, vel mortem acceleret: sufficit etiam unum mortale, aut, si hoc non habet, veniale fateri Confessario, & sic absolvi: Doctores communiter. Quod si non possit in specie, dicat saltem in genere, *Peccavi graviter*; & si neque hoc totum, proferre possit, dicat, *Peccavi*: si nec loqui possit, det signum doloris, vel desiderii absolutionis, puta, tundat pectus, vel manum Confessarii stringat, vel interroganti annuat, quia sic etiam habetur sufficiens confessio sensibilis, & accusatio externa. Itemque est, si oculos ad cœlum tollat, si Sacram Imaginem devote intueatur, &c. Si autem dubium sit de signo aliquo, absolvendus est sub conditione; quia probabile est, illud esse signum pœnitentiæ, cum probabile sit, quemlibet etiam scelestissimum in eo articulo velle remedium animæ suæ, idque eo signo, cum aliter nequeat, manifestare: Doctores communiter. Quod si Confessarius eum inveniat lapsum in lethargum, phrenesim, aut etiam in delirio dicentem, se nolle absolvi, potest, ac debet pariter absolvere, si unus saltem fide dignus testetur, eum antea petivisse absolutionem, aut dedisse aliquod ex prædictis signis, quia sufficit confiteri per alium, uti per interpretem: & non est certum, se retractasse, aut confessionem sensibilem non perseverare moraliter, Moya, Averf. Dian & alii communiter, ex Rit. Rom. *de Penit. c. ult.* Addunt etiam sufficere, si id testetur hæreticus, vel infidelis, quia præsumi non potest, quod hi dicant falsum, ut fiat Sacramentum. Addunt etiam sufficere, si testis referens Sacerdoti id tantum audierit ex relatione alterius. Addunt demum etiam sufficere, si testis hoc dixerit absens à moribundo, ad quem deinde accedat solus Sacerdos.

Difficultas maxima est, si hic talis neque per se, neque per alium dederit signum pœnitentiæ? Qua in re dicendum est, quod, si certum sit, nullum prorsus signum dedisse, non possit ne sub conditione quidem absolvi; quia tunc certum est, absolutionem fore nullam, cum confessio aliqua externa sit de essentia Sacramenti: Doctores communiter, præsertim Societatis Jesu, quibus in ratione studiorum prohibitum est docere hanc thesim: *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos, nec sciat, nec prudenter putare possit, præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi*

absolvi potest. Talis certitudo haberetur, cum ille videretur infidelis, vel hæreticus, aut in eo articulo expressè diceret nolle confiteri, velle mori in peccato, &c. & hæc dicat, aut faciat non delirans, sed utens ratione. At, si hæc certitudo indispositionis non sit, sed ita improviso mortis articulo quis obruatur, ut nullum signum externum dare possit doloris, &c. Lug. Haun. Moya, Pallav. & alii dicunt, sufficere vitam christiane antea ductam, & confessiones sæpe ante factas in signum externum doloris præsentis, quem etiam probabile est interne habere. Negant Illi. & alii, quia vita christiane antea facta, &c. non est signum externum, quo ille active manifestet dolorem præsentem; aliter frustra, & deceptorie Concilia, & Canones requirerent in moribundo aliud signum, quod vel ipse Sacerdos viderit, vel de quo alii testentur.

Dico tamen, posse hunc absolvi sub conditione, quia sufficit quodcunque signum externum doloris, quamvis à Sacerdote clare non cognitum, sed sub dubio tantum præsumptum; Avers. l. 19. & alii dicentes, *Locum dubitandi adesse, quodocunque non constat oppositum.* At qui in casu posito, cum non constet oppositum, præsumi potest, illum dare hoc signum; nam nescitur, an non utatur ratione, & tales moribundi ordinarie dant extrema aliqua signa, quæ possunt, quibus forte manifestare volunt suum dolorem, quale signum esse potest etiam ipsa anxia respiratio moribundis omnibus consueta: ergo absolvi potest conditionate, cum sic nec fiat injuria Sacramento, & succurratur extremæ necessitati. Unde, si potest, debet ex gravi obligatione charitatis ita absolvi: Moya, Sanchez, & alii multi. Quando autem Concil. & Can. requirunt aliud signum, loquuntur de absolute absolute, non de conditionata, ut fertur etiam hanc contulisse ipsum Clem. VIII. cuidam decedenti à fabrica D. Petri, dicendo, *Si capax es, absolvo te à peccatis tuis.* Idem dicunt Ponc. Gorm. & alii multi contra Bosc. etiam si is antehac male vixisset; quia sufficit, si constet, fuisse Catholicum, ut habeatur aliqua saltem tenuis probabilitas accipiendi motus, quos facit, in signum doloris. Unde etiam infert Gorm. num. 226. quod, licet quis actualiter peccando subito destitueretur sensibus, regulariter sine absolute dimitti non deberet: & Tamb. Carden. alique addunt, Catholicum in duello, vel adulterio confossum, si supersit aliquid temporis ante mortem,

mortem, vix dimittendum sine absolutione sub conditione. Secus vero, si sit infidelis, vel hæreticus, quia ille est omnino incapax, hic certe dispositus, nisi vero serio antea dixerit, se velle mori ritu catholico. Denique, si quis adveniente Sacerdote sit mortuus, certum est, non posse Sacramentaliter absolvi, quamvis antea dedisset signa pœnitentiæ, cap. *Multiplex 49. de Pœnit. d. 1.* quia non est amplius in statu viæ: neque citetur in oppositum Opusc. 65. D. Th. nam hoc falso ei adscribitur: Moy. n. 16. neque citentur aliqui Medici dicentes, animam rationalem manere etiam uno, vel altero quadrante post mortem vulgariter existimatam; nam ea opinio est communiter improbabilis; si autem auctoritate, vel ratione fieret alicui saltem dubie probabilis, posset is absolvere sub conditione.

QUÆSTIO V.

De Operis Satisfactione.

OPERIS satisfactio, ut vocatur à Florentino, est *Executio pœnitentiæ impositæ à Confessario*: ideoque est pars hujus Sacramenti, non quidem essentialis, cum sine illa adhuc sit essentialiter validum; sed certe integralis pertinens ad integrum ejus complementum. Hinc dicitur pœnitentia Sacramentalis, & causat ex opere operato remissionem pœnæ temporalis, non quidem omnis omnino, cum hoc sit proprium baptismi, sed certe majoris, quam si fieret sine Sacramento. Dividitur autem in mere pœnalem, seu vindicativam culpæ præteritæ, & in medicinalem, seu præservativam etiam à culpa futura. Videnda hic est ejus impositio, acceptatio, executio, & commutatio; tum demum satisfactio per Indulgentias.

CAPUT I.

Quid de impositione Pœnitentiæ?

DICO primo: Confessarius absolvens tenetur imponere pœnitentiam: Doctores communiter. Ratio est,

est, tum quia ex Trid. *sess.* 14. c. 5. Confessarius est Judex, & Medicus: ergo debet eam imponere, tum in punitionem, tum in medelam; tum quia ex eodem Trid. c. 8. Sacerdotes tenentur curare integritatem Sacramenti; ideoque *Debent Sacerdotes salutare, & convenientes satisfactiones injungere*: peccant igitur, si non injungant; & quidem graviter, si non injungant in confessione mortalium; si autem non injungant in confessione venialium, aut mortalium alias directe absolutorum, satis probabile est, peccare tantum venialiter ob levitatem materiæ: Lug. Tamb. & alii; & nihil peccant, si pœnitens in articulo mortis nullam exequi possit pœnitentiam, ut si impos sit mentis, omnino debilis, &c.; quia vel physice, vel moraliter est incapax; at si potest minimam, injungi debet, puta proferre semel nomen Jesu, elevare mentem ad Deum, &c. Cæterum non expedit injungere, ut perferat patienter infirmitatem, cum fieri possit, ut id magnam ei molestiam afferat timenti, se non rite satisfacere, ut notat Bon. Si Confessario revelatum sit, quod pœnitens per se perfecte satisfecerit, nec indigeat in futurum remedio, Con. Suar. & alii putant, posse nullam pœnitentiam injungi; sed melius contradicit Croix n. 1238. quia integrandum est Sacramentum; quod, si nulla luenda sit pœna, satisfactio illa manebit in Thesauris Ecclesiæ. Idem est, si pœnitens certo lucratus sit indulgentiam plenariam contra Sotus, Tambur. & alios. Idem, si pœnitens velit lucrari jubilæum; etsi tunc possit minorari pœnitentia vindicativa, non tamen medicinalis; quia æque ac aliis debet impediri relapsus: Suarez, Bon. & alii.

Neque obstat Gloss. in Extrav. *Antiquorum, de Pœnit. & Remis.* dicens, Bonif. VIII. ibi noluisse per Confessarios in Jubilæo injungi pœnitentias; nam tantum ait Bonifacium tunc voluisse pro pœnitentia injungi tantum opera jubilæi à se præscripta; ideoque hæc tenebantur injungere Confessarii. Sed, quidquid sit de hoc, nunc Pontifices in jubilæis communiter addunt, ut pœnitentia salutaris injungatur, ideoque imponenda est, præsertim medicinalis.

Si pœnitens statim post absolutionem addat novum peccatum, cujus nova detur absolutio, Amic. putat, non esse opus injungi novam pœnitentiam, si peccatum illud

illud non mutet notabiliter statum pœnitentis ; & idem putat Tamb. si scrupulosus sæpius redeat cum novis culpis ; sed melius Croix n. 1239. ait, ad integrandum Sacramentum aliquam levem addendam, vel saltem priorem injungendam pro utraque confessione.

Nota demum, pœnitentiam imponendam post audita peccata, quia est actus judicialis post cognitionem causæ; sed ante absolutionem, ut videatur, an pœnitens sit parere paratus ; quamvis etiam imponi possit post absolutionem, modo moraliter cum ipsa conjugatur : Tambur.

Dico secundo : Pœnitentia injungenda est pœnitenti sub aliqua obligatione præcepti : Vasq. Turrian. Con. Lug. Arriag. Amic. & alii contra alios dicentes, posse injungi etiam sub consilio. Ratio est, Primo, quia Confessarius eam injungit, ut Judex, ex Trid. cit. & Judex obligat reum ad pœnam promeritam : Secundo, quia ex eodem Trid. c. 8. eam injungit ex potestate, quam habet ligandi, & non ligat, nisi obligat ; ergo, &c. Addit tamen Aversa, Primo, Posse ex rationabili causa pœnitentiam de se gravem, & pro mortalibus debitam imponi sub obligatione tantum levi, puta nimium scrupuloso in ea exequenda : Secundo, Posse imponi sub disjunctione hanc, vel illam, ita ut ad eam obligetur pœnitens, quam ipsemet elegerit : Tertio, Posse præter pœnitentiam obligatoriam injungi alia opera pro libertate pœnitentis agenda, quia sic vi absolutionis probabiliter elevantur ad satisfaciendum etiam ex opere operato ; quamvis enim verba illa Confessarii, *Quidquid boni feceris, &c.* probabiliter nihil operentur ex opere operato, cum non auctoritative, sed mere deprecatorie dicantur ; tamen aliquid operantur ex institutione Ecclesiæ, quæ potest concedere indulgentias, ideoque D. Th. *Quodlib.* 3. a. 13. ait, *Opera per hoc accipere vim expiandi peccata.*

Dico tertio : Pœnitentia debet esse proportionata peccatis, non absolute, sed respective ad pœnitentem : Doctores communiter. Ratio est, quia Trid. *sess.* 14. c. 8. ait, Confessarios debere injungere *Salutares, & convenientes satisfactiones, quantum spiritus, & prudentia suggererit* : ergo pœnitentia non debet esse proportionata peccatis absolute, sed respective ad facultatem, dispositionem, & utilitatem pœnitentis. Hinc, quamvis olim pro quovis mortali injungenda erat pœnitentia septennis, jejunandi in pane, & aqua die Lunæ, Vene-

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. Z ris,

ris, & Sabbati; ut colligitur ex Canon. Pœnitential. Decr. Gratiani adjectis: tamen hodie merito remissus est talis rigor; non quia refrixit charitas, ut perperam dicunt Rigoristæ, sed primo, ne confessio ab hæreticis impugnata, ut impossibilis, per duras pœnitentias reddatur magis odiosa: Secundo, quia notum est, benignas potius prodesse, quam rigidas, eo quod sic magis alluciantur fideles ad frequentiore usum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: Tertio, quia usus introductus indulgentiarum occasione Belli Sacri est modus satisfaciendi utilior, & facilior: v. Franc. Cler. Rom. p. 2. c. 1.

Itaque quantitas, & qualitas pœnitentiæ ex Trident. citat. prudentis Confessarii arbitrio relinquitur, *Prout spiritus, & prudentia suggererit.* Et primo attendit facultas pœnitentis; nam pro iisdem delictis non eadem pœnitentia injungi debet debili, ac forti, pauperi, ac diviti, puero, vel mulieri, ac viro, &c. Secundo, Utilitas pœnitentis, ob cujus spiritualem infirmitatem sæpe expedit moderata pœnitentia etiam pro gravissimis delictis, ne scilicet scandalizetur, & omittat, ne confessionem fugiat, vel certe Confessarios ineptos adeat, qui eum curare nesciant: Lugo. d. 25. l. 5. addens, monendum tunc pœnitentem de insufficientia pœnitentiæ, & suadendum usum indulgentiarum, & aliquando imponendum, ut per se satisfaciatur: Tertio, Dispositio pœnitentis, ob quam multum minui potest pœnitentia, si v. g. pœnitens accesserit maxime contritus, si per se præstet multa bona opera pœnalia, si humiliter exceperit correctionem Confessarii; item, si adsit obligatio restituendi, se reconciliandi cum offenso, vel inimico, vitandi occasiones, &c. cum hæ obligationes sint per se graves, & pro parte pœnitentiæ injungi possint: Quarto demum, si adsit jubilæum, aut indulgentia, minui potest pœnitentia vindicativa, non autem medicinalis, juxta jam dicta. Si autem nulla ex his adsit rationabilis causa, peccant graviter Confessarii imponentes pro gravibus delictis pœnitentiam levem, quia Tridentin. cit. ait, *Eos fieri peccatorum participes, qui sine justa causa, &c.* In dubio autem, an adsit justa causa, inclinandum est in partem benigniorem, quia in ea minus est periculi, juxta illud Auctoris Op. Imperf. in Matth. *Etsi erramus, modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem?*

delitatem? Quare nunquam imponenda est pœnitentia perpetua, vel ingressus in Religionem, vel votum perpetuum: quod, si in pœnam admittat Confessarius votum pœnitentis de non relabendo, expedit, ut non permittat hoc votum, nisi ad tempus, ut videat, an possit, necne; & similiter, si imponat pœnitentiam conditionatam: v. g. ut toties jejundet, quoties relabitur, præfinitum est tempus v. g. usque ad proximam confessionem. Neque imponi potest pro delictis occultis pœnitentia publica, quia saltem indirecte revelaretur sigillum: D. Th. Suar. & alii. At pro delictis publicis, si opus esset ad tollendum scandalum, posset, ac deberet imponi, secundum Trident. *sess.* 24. c. 8. *de Refor.* quia aliunde esset jam ad id obligatio, ideoque nec revelaretur sigillum. Denique monet S. Franc. Sales *in instr.* c. 9. non dandas pœnitentias ex multis rebus diversis, quia pœnitens, vel obliviscitur, vel exequitur sine fervore.

Dico quarto; Pœnitentia debet esse opus bonum pœnale: Doctores communiter cum D. Thom. Ratio est, quia non satisfacit pro pœna, nisi exhibeatur opus pœnale. Talia ex Trid. *sess.* 14. *can.* 13. sunt jejunia, orationes, & eleemosynæ, &c. Ad jejunia reducuntur quælibet aliæ macerationes corporis, ut verbera, castigationes sensuum, subtractiones commoditatum, &c. quæ & pœnalia sunt, & medicinalia contra peccata carnis, gulæ, &c. Ad eleemosynas spectant quævis opera misericordiæ, etiam spiritualis; & imponi possunt divitibus, avaris, &c. caveat tamen confessarius, ne eleemosynas sibi, vel suis applicare velit. Ad orationes pertinent reliqua bona opera etiam interna, ut actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, &c., item Orationes vocales, Confessiones, Communiones, Meditationes, Lectiones Librorum Spiritualium, Visitationes Ecclesiarum, &c. Quod si ad hæc opera pœnitens aliunde teneatur, possunt etiam injungi pro pœnitentia; & aliquando ita expedit, ut majorem diligentiam in eis pœnitens adhibeat; & si omittat, contrahit novam malitiam contra integritatem Sacramenti: Vasquez, Lug. & alii. Regulariter tamen expedit imponere opus distinctum; imo, si nihil addat Confessarius, ita intelligitur; v. g. si dicat, *Audias Missam*, intelligitur præter illam, ad quam aliunde teneris. At si dicat, *Hoc die Festo audias duas Missas*, ex tali modo injungendi colligitur, quod

quod velit, ut præter Missam debitam festo, unam aliam audias, Con. Tambur. & alii: Similiter, si dicat, *Per 15. dies audias quotidie duas Missas*, non ideo teneris die festo tres audire; & si dicat, *Quotidie per mensem audias Missam*, satisfacis die festo audiendo unam; quia ita præsumitur mens Confessarii, cum pœnitentias per plures dies imponit. Dian. Avers. Amic. & alii.

Potest etiam pro pœnitentia imponi opus, cujus tum impetrationem, tum satisfactionem applices pro aliis, pro defunctis, &c, quia satisfactio ex opere operato ratione Sacramenti semper applicatur tibi; & insuper ipsa applicatio pro defunctis est tibi satisfactoria: Lug. d. 25. l. 5. num. 62. Probabiliter etiam potest ipse Confessarius subire partem operis injungendi, eamque applicare pœnitenti; quia sic fit moraliter ejus opus, & satisfacit ex opere operato; & similiter potest concedere pœnitenti facultatem, ut pœnitentiam per alium persolvat D. Thom. Sot. Suar. & alii; quamvis probabilius dicant Vasquez, Layman, Bonac. & alii, tunc partem integram Sacramenti esse tantum ipsam procuracionem, ut alius secundum voluntatem Confessarii ponat opus. Cæterum, si Confessarius nihil exprimat, pœnitentia persolvenda est ab ipso pœnitente; damnatur enim ab Alex. VII. hæc Prop. 15. *Pœnitens propria auctoritate substituere alium sibi potest, qui loco illius pœnitentiam adimpleat*: si autem opus injunctum sit eleemosyna, perinde est, si eam des propria, vel alienam manu, & idem est, si imposita sit restitutio.

CAPUT II.

Quid de acceptatione & exequutione Pœnitentia?

DICO primo: Tenetur pœnitens acceptare pœnitentiam impositam à Confessario, si sit tolerabilis; Doctores communiter ex Trident. cit. Ratio est, quia Confessarius ex dictis tenetur illam imponere: ergo à fortiori tenetur pœnitens eam acceptare, utpote qui tenetur ei obedire, ut Judici recte judicanti, & integrum reddere Sacramentum. Hinc Suar. Bonac. & alii temerariam post Trident. dicunt sententiam Cajet. Med. Nav. & aliorum putantium, posse à pœnitente eligi aliam pœnam, vel eam luere in Purgatorio, quamvis
Sot.

Sot. Reginal. & alii addant, hanc sententiam servire saltem, ut neminem non absolutum dimittas, si saltem levem pœnitentiam subire velit: vid. Dian. p. 3. t. 14. r. 51. Dixi, *Si sit tolerabilis*, nam, si pœnitenti iustis de causis videatur suæ fragilitati minus accommodata, potest rogare Confessarium, ut eam minuat, quantum potest; & Confessarius in tali casu tenetur ei annuere, ut suavius efficiatur jugum confessionis. Quod si non annuat, poterit pœnitens nolle ab eo absolvi: v. Suar.

Dico Secundo: Peccat graviter pœnitens, si postea non exequatur pœnitentiam acceptatam, impositam in confessione valida pro mortali prima vice confesso: Doctores communiter. Ratio est, quia facit contra obligationem in re gravi: censetur autem materia gravis una Confessio, vel Communio, item unum Rosarium, & similia. Si autem omittas unam ex decem communionibus tibi impositis, probabile est, esse tantum veniale, quia unum respectu decem videtur quid leve: Gob. Croix n. 1267. Si injunctum sit absolute, ut recites v. g. septem Psalm. Pœnitentiales, potes recitare stando, vel sedendo; at, si injunctum sit, ut eos recites flexis genibus, Dian. Tamb. & alii putant, fore mortale, si ita non recites; quia id est quid grave spectans ad substantiam molestiæ: sed de hoc vehementer dubitat Croix num. 1280. quia non videtur esse molestia tanta. Dixi primo *Pœnitentiam gravem*: nam, si non exequaris pœnitentiam levem, etiamsi pro mortali injunctam, peccas tantum venialiter, quia materia de se levis non est capax obligationis gravis: Averf. l. 6. contra Jo. Sanch. Neque obstat, quod non integretur Sacramentum; nam completio integralis per materiam levem non obligat, nisi leviter: Croix num. 1276. Censetur autem materia levis unum *Miserere*, & similia; si vero hoc imponatur per multos dies, evadit materia gravis, si omnino omittatur. Dixi secundo *Pro mortali prima vice confesso*; nam, si quis omittat pœnitentiam gravem impositam pro mortalibus alia vice directe absolutis, probabiliter est tantum veniale: quia talis pœnitentia, in quantum est gravis, non est necessaria, cum Confessarius neque sub gravi, neque sub levi pœnitentiam gravem teneatur pro talibus peccatis imponere; imo nec videtur posse, cum debeat obligare ut iudex proportionate ad materiam non necessariam: Nav. Palud. Ledes. Suari Layman. Fill. & alii

contra Con. Fagund. Lug. & alios. Dixi tertio in confessione valida; nam, si fuit invalida, nulla est obligatio exequendi pœnitentiam, cum nullum sit Sacramentum, quod compleri debeat; & alias teneretur pœnitens persolvere duas pœnitentias pro iisdem peccatis: Escob. Fagund. & alii. Si vero fuit Sacramentum validum, & informe, tenetur exequi, ut patet.

Cæterum, si pœnitentia injuncta evadat deinde physice, vel moraliter impossibilis, non amplius obligat, nec necesse est aliud opus subrogare; quia id non potes propria auctoritate, nec teneris eadem peccata bis confiteri; idemque est, si omnino sis oblitus: Sot. Nav. Amic. Averf. s. 6. contra Ricch. & Sylvestr. putantes, talem confessionem esse repetendam: neque obstat, quod Sacramentum non integretur; nam sufficiens excusatio est, ne cogaris bis confiteri eadem peccata. Si tamen convenire potes eundem Confessarium, qui saltem confuse minor sit tui status, expedit petere commutationem, ut sic integretur Sacramentum; similiter, si oblitus sis quantitatis pœnitentiæ; si autem non potes commode eum convenire, exequere, quantum videtur pro ratione dubii.

Denique, si materia pœnitentiæ sit divisibilis, nec possis partem majorem exequi, debes persolvere partem minorem, ut colligitur paritate de Horis Canonicis ex Proposit. 54. damnata ab Inn. XI. Hinc etiam probabilius videtur contra Dian. p. 9. t. 9. r. 54. quod, si sit injunctum jejunium in pane, & aqua, si sic non possis, tenearis jejunare more Ecclesiastico; quia manet substantia jejunii separabilis ab ea circumstantia; v. dicta in Tract. de Leg. d. 2. q. 4. c. 1.

Dico tertio: Peccat graviter Pœnitens, si pœnitentiam gravem diu differat exequi ultra tempus præfixum à Confessario, Bon. & alii communiter. Ratio est, quia facit contra obligationem in re gravi, ut patet in simili de obligatione restitutionis, vel voti adimplendi. Dixi tamen, *Si diu differat*; nam, qui jussus v. g. jejunare die Veneris, & jejunet Sabbato proximo; aut jussus communicare proxima Dominica, & differat ad octiduum à Confessione, ordinarie peccat tantum venialiter, quia plerumque præceptum Confessarii cadit magis in rem ipsam, quam in tempus præfixum: Dian. p. 9. t. 7. r. 57. Hinc recte monent Doctores cum Mendo, Bon. Averf. non cessare obligationem Jejunandi, quamvis

vis transferit ille dies Veneris, utpote qui erat statutus non ad terminandam, sed urgendam obligationem, seu non differendam absque iusta causa. Ideoque recte addit Mendo, quod, si Confessarius unicum tale opus imponat una vice persolvendum, non præsumitur, quod velit alligare illi diei; quia præsumi non debet, quod voluerit Sacramentum manere posse incompletum integraliter. At, si injunctum sit opus persolvendum pluribus vicibus, tunc ex circumstantiis colligenda est mens Confessarii; si enim dicat, *Singulis v. g. mensibus confitearis*, præsumitur sic statuere, non ad terminandam, sed urgendam obligationem. Hinc, quamvis Lugo putet, esse mortale, si vel unicum diem differas ultra mensem; tamen melius negat Averf., quia præsumitur mens Confessarii esse, ut tunc sequenti mense bis confitearis: unde, si occasione Festi, vel indulgentiæ differas ad octo dies in alterum mensem; Dian. Pal. & alii dicunt nullo modo peccare; quod magis valet, si simili occasione anticipes, ut addit Averf. Si vero dicat, *Jejunes omni Sabbato in honorem B. V. vel Communices omni Festo B. V.* Con. Gob. Bon. & alii putant, quod, si tali die negligas, peccas quidem, sed non teneris alia die supplere; quia mens Confessarii videtur fuisse, alligari opus tali diei.

Dico quarto: Si Confessarius nullum præfixit tempus Pœnitentiæ, persolvenda est primo tempore, quo commode fieri potest: Doctores communiter. Ratio est, quia in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentis die debetur: *Reg. Jur. 14.* ubi ly *Præsenti die* sonat primo quoque tempore. Hinc diu eam differre v. g. ad medium annum communiter censetur mortale; maxime si pœnitentia fuerit medicinalis. Si vero fuerit tantum pœnalis, non videtur mortale differre ad mensem: Croix n. 1288. Cæterum, exequi pœnitentiam ante communionem, non est necesse, ut infertur ex Prop. 22. damnata ab Alexand. VIII. cit. in Tract. de Euchar. d. 4. q. 1. c. 4. §. 2.

Quæres primo, An possit satisfieri pœnitentiæ eodem tempore, quo satisfit alteri præcepto?

Respondeo affirmative, Si unum opus non impediatur alterum: ut si pro pœnitentia recitare debeas Rosarium, satisfacis recitando intra Missam, ad quam tenearis die Festo: Croix n. 1191. At, si pro pœnitentia debeas audire duas Missas eodem die, ordinarie præsumitur

præcipi à Confessario, ut eas audias successive: Croix n. 128r. contra Sanch. Ledes. & alios putantes, posse audiri simul.

Quæres secundo, An pœnitentia sit persolvenda cum aliqua intentione saltem virtuali integrandi Sacramentum, vel obediendi Confessario?

Respondeo probabilius affirmative, Quia, ut ea aliquid efficiat ex opere operato, debet esse pertinens ad Sacramentum: Vasq. Dicastil. Palav. Mend. Averl. & alii contra Sanchez. Lug. & alios. Neque obstat, quod aliis præceptis satisfiat sine tali intentione reflectente ad præceptum; nam illæ non sunt actiones Sacramentales, uti est ista.

Quæres tertio, An peccet, qui exequitur pœnitentiam existens in mortali?

Respondeo probabilius negative; Primo, Quia Confessarii ipsi sæpe imponunt pœnitentiam persolvendam, antequam absolvant à mortalibus: Secundo, Quia pœnitentes passim non faciunt sibi scrupulum, quod eas expleverint in mortali, creduntque, id melius esse, quam diutius differre: ergo ex communi sensu non est peccatum: Sot. Tann. Lug. Dicast. & alii contra Suar. Pal. Layman. Bonac. Buf. & alios putantes, peccare saltem venialiter, eo quod minus digne tractent Sacramentum: sed hoc videtur falsum; nam etiam dolor, & confessio sunt partes, & quidem essentielles Sacramenti, & tamen sine ullo peccato ponuntur à pœnitente existente in mortali.

Quæres quarto, An satisfactio posita ab existente in mortali habeat suum effectum?

Respondeo: Etsi nullum habeat effectum ex opere operantis, cum ex se sit opus mortuum; tamen probabiliter habet effectum ex opere operato, saltem postquam removetur obex; quia sic est actio Sacramentalis ex institutione, & quasi nomine Christi posita; quo sensu Deus sic eam respicit, non prout est hominis, sed prout moraliter est Christi; sicut etiam Missa ab impio Sacerdote dicta valet ad effectus suos ex opere operato: Cajet. Suarez, Henr. Con. Art. Lugo. Fagun. Layman. Dian. & alii contra Ledes. Val. Turr. Præp. Dicast. & alios ex D. Th., qui tamen expli-

explicari potest de opere operantis. Qui autem implet pœnitentiam in gratia, sed per actionem ex circumstantia venialiter peccaminosam, certe non privatur fructu ex opere operato, quia veniale non impedit effectum remissionis pœnæ debitæ aliis peccatis jam remissis: Croix n. 1257. Imo putat Lug. n. 33. neque id impediri, etsi interveniat mortale, dummodo pœnitentia quoad substantiam impleatur.

CAPUT III.

Quid de Commutatione Pœnitentiæ?

DICO primo: Non potest pœnitens propria auctoritate commutare sibi pœnitentiam in aliud opus, etiamsi melius: Doctores communiter contra Dicast. inclinantem in oppositum. Ratio est, Primo, Quia reus non potest mutare pœnam sibi impositam à Judice; uti nec subditus opus sibi injunctum à Superiore: Secundo, Quia id, in quod commutabit, non erit satisfactio integrans Sacramentum, neque adeo remittet pœnam ex opere operato, quia non veniet à potestate clavium. Neque obstat, quod vovens possit sibi commutare materiam voti in aliquid melius; nam obligatio voti orta erat ab ipso vovente. Hinc, si pœnitentia sit medicinalis, pœnitens non liberabitur ab ejus onere, si lucretur indulgentiam plenariam, quia hæc non ita præservat à lapsu: Doctores communiter cum D. Thom. in 4. d. 29. At, si pœnitentia erat tantum pœnalis, liberari tunc dicunt Tann. Granad. Lug. Medin. Bonac. Dian. p. 5. t. II. r. 3. & p. 9. t. 6. r. 36. non quidem ex propria auctoritate, sed quia Confessarius ipse ita præsumitur intendere: sed probabilius negant Val. Marchant. Avers. Gob. Croix & alii; tum quia pœnitentia ordinarie est etiam medicinalis; tum quia incertum est, an quis indulgentiam plenariam lucretur; tum demum quia pœnitentia ut à Confessario imposita, pertinet ad integritatem Sacramenti, unde non præsumitur alia mens Confessarii.

Dico secundo: Potest idem Confessarius in alia confessione quocumque tempore facta commutare priorem pœnitentiam, si recordetur status pœnitentis, vel saltem in confuso, peccatorum, ob quæ fuit à se imposita: Doctores communiter. Ratio est, quia potest Judex mutare, & moderari pœnam à se latam, quamdiu

executioni non est data. Extra confessionem negant id fieri posse Suar. Con. Averf. Amic. Dicast. & alii, quia Confessarius nullam habet potestatem clavium, nisi dum sedet pro Tribunali, & agit partes Confessarii. Sed probabiliter etiam affirmant Lugo, Salas, & alii, quia sicut Judex etiam transacto judicio habet jus agendi circa impletionem pœnæ, ita etiam confessarius circa commutationem, si reus petierit; censetur enim moraliter perdurare idem judicium, quamdiu pœna imposita non est impleta; consentiunt Arriag. & Haunold.

Dico tertio: Pœnitentia ab uno Confessario imposita, non potest mutari, aut minui ab alio Confessario, nisi pœnitens apud hunc repetat peccata, ob quæ fuit imposita: Doctores communiter cum Sot. Vasq. & aliis. Ratio est, quia unus Judex, qui non est Superior, non potest ultimam, & definitivam alterius sententiam mutare, aut reformare; cum par in parem non habeat jurisdictionem; & in hoc fere omnes Confessarii sunt pares. Econtra vero, si pœnitens apud secundum Confessarium peccata repetat, poterit ille commutare, & minuere, quia sic secundus Confessarius est veluti successor primi; ideoque, ut potest prior, ita & posterior: idque verum est, etsi prior pœnitentia fuerit medicinalis, dummodo non sit absolute, & simpliciter necessaria, vel substituatur alia similiter medicinalis.

Potest pariter secundus Confessarius commutare pœnitentiam impositam à Confessario Superiore; quia, præscindendo à reservatione casuum, omnes Confessarii habent æqualem potestatem ad ligandum, & solvendum, adeoque etiam ad commutandam pœnitentiam. Si autem hæc fuisset imposita à Superiore propter peccata sibi reservata, Suarez, Lugo, Arriag. & alii negant, commutari posse ab inferiore non habente facultatem in reservata, quia inferior non potest mutare præceptum Superioris. Sed probabiliter etiam affirmant Henr. Sanchez, Bonac., Dicastil., alii, quia, cum semel sublata sit reservatio, æqualis remanet in omnibus Confessariis potestas.

Si pœnitens petat à secundo Confessario commutationem pœnitentiæ, eo quod sit sibi nimis difficilis, Navar. Tol. Henr. Rodr. Sa, Layman. Gob. Dian. Marchant. & alii multi apud Bosc. docent, posse commutari, etiam si non repetantur peccata; quia, licet sic secundus

dus Confessarius judicare non possit de illis, tamen videtur habere potestatem judicandi, an talis pœnitentia hic & nunc ei expediat. Sed longe melius Suar. Vasq. Con. & alii communius hoc negant; quia nullus Judex potest agere, circa id, quod ad suum Tribunal non est delatum, ut esset in casu: ideoque Jo. Sanch. dicit, priorem sententiam esse improbabilem; quamvis Lug. num. 109. dicat probabilem saltem ex principiis extrinsecis. Cæterum, ut possit secundus Confessarius mutare pœnitentiam, non requiritur exacta repetitio peccatorum, sed sufficit ei aperire præcipua, ob quæ præsertim talis pœnitentia erat injuncta. Et fortasse sufficiat, inquit Averf. quod ob similia, qualia nunc confitetur, talem pœnitentiam acceperit.

Illud hic principaliter notandum, in commutatione, vel minoratione pœnitentiæ, nullum Confessarium id posse sine justa, & rationabili causa; quia, sicut in dispensatione legum humanarum requiritur justa causa, ita multo magis in commutatione, vel minoratione pœnitentiæ, quæ est pars Sacramenti à Christo instituti. Justæ autem causæ esse possunt necessitas, vel notabilis utilitas pœnitentis, vel ejus difficultas, vel obli-
vio pœnitentiæ.

Quæres, An post commutationem pœnitentiæ in aliam liberum sit pœnitenti alterutram persolvere?

Respondeo affirmative; Quia commutatio erat in favorem ipsius, & posterior pœnitentia non erat imposita absolute, sed sub conditione, *Si nolit priorem exequi*: Suar. Reginal. Bonac. Les. Dicastil. num. 231. contra Lug. At, si pœnitens, confitendo de novo peccata præterita, taceat priorem confessionem, & impositionem pœnitentiæ, Averf. Arriag. & alii dicunt, non commutari priorem pœnitentiam, ideoque exequendam esse utramque; quia, quamdiu non revocatur prior obligatio, manet in possessione; sed adhuc alii multi cum Dicastil. num. 119. probabiliter dicunt, posse etiam nunc peragi alterutram pœnitentiam, quam malueris: & Bosc. num. 357. probabiliter ait, secundam esse complementum utriusque Sacramenti. Qui autem sic confiteatur eadem peccata secundo Confessario, ut se liberet à pœnitentia injuncta à primo, Suar. Con. Lug. Averf. & alii dicunt, non peccare, nisi venialiter; &, si id faciat ex justa causa, nullo modo peccare.

CAPUT

CAPUT IV.

De Satisfactione per Indulgentias.

QUONIAM nunc alibi de Indulgentiis recurret sermo; idcirco, quæ ad hanc materiam pertinent, duobus hic §§. breviter expendemus, in quorum I. Videbimus, Quid, & Quotuplex sit Indulgentia, Quis, & Qua causa possit eas concedere? In II. Qui sit Indulgentiarum effectus, & Quæ dispositio requiratur in eas lucraturus?

§. I.

Quid, & Quotuplex sit Indulgentia, Quis, & Qua causa possit eas concedere?

I. **I**NDULGENTIA definitur à Clem. VI. in Extrav. *Unigenitus, de Pœnitentiis, & Remissionibus: Remissio extra Sacramentum pœnæ temporalis Deo debitæ per applicationem satisfactionis Christi, & Sanctorum, idque vel per modum absolutionis erga subditos Ecclesiæ, vel nudæ solutionis erga non subditos, ut defunctos, & catechumenos, quibus proinde tantum dantur indulgentiæ per modum suffragii: Suar. Fil. Sanctarell. Bon. Ubi nota, indulgentiis frui posse etiam, qui eas concessit; &, cum sint gratiæ, non expirare morte concedentis; imo, ex Sa, neque ante notitiam revocationis: largeque esse interpretandas, servata tamen verborum proprietate.*

II. Dividitur primo, Ex Extrav. cit. in Totalem, & Partialem: Totalis seu Plenaria remittit totam pœnam in purgatorio luendam: Partialis vero solum pœnæ partem. Totalis dicitur etiam plena, plenior, plenissima ob majorem explicationem gratiæ, & dispensationis à Pontificibus concessæ. Partialis eam tantum pœnam remittit, quæ in ejus concessione exprimitur, quæ aliquando est indeterminata, & proportionaliter ad culpas: ut dum remittitur tertia pars pœnæ pro peccatis debitæ; aliquando est determinata, ut dum conceditur indulgentia septem annorum, &c. & sensus est, remitti pœnam, quæ remitteretur per pœnitentiam 7. annorum ab Ecclesia, ut olim fiebat, impositam, & à Pœnitente completam: Sot. Palud. & alii communiter ap. Suar. d. 50. sect.

sect. 5. Dividitur secundo in personalem, localem, & realem. Personalis est, quæ personæ conceditur, ut si Papa concedat Petro indulgentiam, quoties communicat, ubicunque sit: Localis est, quæ addicitur loco, ut si concedatur indulgentia visitanti Ecclesiam Cathedrallem: Realis est, quæ affigitur alicui rei e. g. Cruci, Rosario, Imagini. &c. quæ ab iis acquiritur, qui coram tali Imagine, Cruce, &c. preces impositas ad Deum fundunt. Dividitur tertio in perpetuam, & temporalem: Perpetua est, quæ perseverat, donec revocetur: Temporalis, quæ conceditur ad tempus determinatum, quo finito cessat. Demum Indulgentia carena (sic dicta à *carendo* cibo, potu, hominumque commercio) erat, qua talis abstinencia, seu jejunium remittebatur, non secus ac septena, qua pœna remittebatur septem annorum.

Quæres, An, si pluries Ecclesia visitetur, poterit pluries acquiri indulgentia plenaria tali Ecclesiæ concessa?

Respondeo cum distinctione, ex Suar. & aliis communiter; & affirmo, si concessa sit indulgentia visitantibus Ecclesiam indefinite, quia nulla apparet ratio illam limitandi ad semel in vita, in anno, in hebdomada, &c. (Bene tamen semel in die, tum ex consuet. tum ex Decr. Innoc. XI. quidquid contra senserint Nav. & Laym. hic c. 3.) Negó tamen, si concessa sit definite quoad tempus, puta pro una tantum vice: Suar. Probabile tamen videtur, quod adhuc pluries eodem die lucrari possimus indulgentiam plenariam pro variis defunctis. Neque id videtur derogare cit. Decr. quia stat ejus veritas, si pro se quis non poterit pluries eadem die indulgentias applicare. Eo vel magis, quod in revocatione Indulgentiarum non intelliguntur revocatæ indulgentiæ applicabiles pro defunctis, nisi id exprimitur, cum talis revocatio sit odiosa, proindeque restringenda. Illud hic nota, indulgentias non posse applicari defunctis, nisi à Papa id expresse concedatur.

III. Pontifex habet à Christo facultatem immediate concedendi indulgentias tam pro vivis, quam pro defunctis; ei enim dixit Christus: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, &c.* Doctores communiter. Episcopus non jure divino, sed ex concessione Papæ potest Indulgentias concedere: ita Suar. ex D. Th. & alii communiter. Ratio est, quia in Conc. Later. sub Inn. III. potestas concedendi indulgentias est ita restricta Episcopis, ut non
nisi

nisi unius anni indulgentia in die Dedicationis Ecclesie, & ob aliam justam causam 40. tantum dierum ab iis concedi possit, quæ restrictio certe non facta fuisset à Concilio, si potestatem haberent ex jure divino: probabilius tamen in Episcopis hujusmodi potestas est ordinaria, adeoque delegabilis, ex Lug. & aliis contra Nagnum, quia illis competit ratione proprii muneris, non secus ac potestas jurisdictionis in ordine ad absolvendum à peccatis. Porro relate ad mortuos nulla indulgentia concedi potest ab Episcopis: ita Suar. cum communi; quia Episcopis solum conceditur, ut possint eas suis subditis elargiri ex c. *Quod autem*: Mortui autem non sunt ipsius subditi. Cardinales etiam non Episcopi possunt de jure communi Indulgentias concedere in Ecclesiis suorum titularum, quia in his habent omnem Episcopalem jurisdictionem ex cap. *Is, qui, de Majoratu, &c.* Non autem Abbates, Parochi, aut alii, qui Episcopi non sunt; unde hi solum ex concessione speciali poterunt illas elargiri, ut infert Bell. ex cap. *Accedentibus, de excessibus Prælatorum.*

IV. Indulgentia sine legitima causa est nulla: Doctores communiter: ratio est, quia per illas dispensatur thesaurus Ecclesie, cujus Papa non est Dominus, sed merus dispensator, qui, si sine justa causa res Domini sui dispensat, dispensat nulliter. Adde, quod Dispensator sine causa neque remittere potest credita sui Domini: Papa autem eas largiendo credita remittit Christi Domini; ergo, &c. Justa autem, & rationabilis causa est, quæ pia, & grata sit Deo; & pariter proportionem aliquam habeat cum indulgentia, quæ conceditur: Bon. Nav. alique communiter apud Bell. l. i. c. 12. Duo ergo requiruntur, primum, ut concedatur ad pium aliquem finem, puta ad deprimendos hostes Ecclesie, &c. alterum, ut opus injunctum ad indulgentiam dicat proportionem cum fine intento, seu aptum sit ad eum consequendum, e. g. preces ad Deum factæ dicuntur opera apta ad assequendam depressionem hostium. Notat Bell. l. c. hæc duo examinanda utique esse à solo concedente indulgentias, non vero à subditis: unde indulgentias semper magni faciendæ sunt, etsi Pontifex levissimas ob causas videatur illas concedere. Illud hic certum, quod ad habendam prædictam proportionem non requiritur, ut opus injunctum per se sufficiat pro remissione poenarum, quæ per indulgentiarum lucrum remittuntur; secus

secus indulgentia non esset indulgentia, quæ ex ipsa nominis etymologia fert remissionem cum liberalitate conjunctam.

Dubium est, An possit aliquando Papa concedere indulgentiam, nullum opus injungendo ad ejus assecutionem? e. g. an possit Petro decedenti in gratia indulgentiam in articulo mortis concedere?

Respondeo affirmative, Ex Suar. & Con. d. 12. d. 6. quia etiam in tali casu haberi potest justa causa, puta ob Petri merita erga Ecclesiam, & alia opera jam præstita, &c. & proportio habetur etiam propter opus proportionatum, sive quod antecessit, ut in casu, sive quod consequatur, cum æque dispensatio sit justa, sive fiat ob bona opera injuncta, sive ob jam posita. Illud hic non omittendum, ex defectu proportionis prædictæ accidere sæpissime, ut licet æquale opus injunctum ponatur ab uno, atque ab altero ob finem lucrandi indulgentias omnibus concessas, non tamen uterque illas plenarie consequatur. Ratio est, quia, qui maximas pro peccatis pœnas debent, si tepide opus injunctum peragant, periculum est, ne ab indulgentia plenaria consequenda deficiant, ex Extrav. 1. Bon. VIII. de Pœnit. &c. & ex D. Bonav. dicente, *Homines plus, vel minus participare de indulgentia, prout plus, vel minus ad illius causam ascendunt.*

§. II.

Qui sint Indulgentiarum effectus, & Quæ dispositio requiratur in eas lucraturo?

I. **R**ESPONDEO ad primum, Esse remissionem, vel totalem, vel partialem pœnæ temporalis (non culpæ) luendæ tum in Purgatorio, tum in hac vita, sive ea injuncta sit in confessione Sacramentali, sive non. Ratio est, quia secus Pontifex non posset solvere omne vinculum impediens ingressum in Regnum Cœlorum, contra illud Christi Domini, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Hinc potest quis per indulgentias liberari in omnibus pœnis pro peccato debitis, etiam quando in Bulla indulgentiæ expresse conceduntur *De pœnis injunctis*, quia in cap. *Ex parte 17. de decimis* dicitur, *Ubi majus conceditur. etiam minus concessum esse videtur, quod*

quod valet in iis, quæ sunt ejusdem rationis, & per se pertinent ad idem privilegium & potestatem: & clausula illa *De injunctis pœnis* ponitur, non ad limitandam, sed ad augendam concessionem. Porro, An affectus indulgentiam plenariam teneatur ad pœnitentias Sacramentales, si minus pure satisfactorias, saltem medicinales? v. dicta c. 1. & 3. hujus quæst.

Quæres, Quid requiratur, ut indulgentiæ defunctis applicabiles illis profint?

Respondeo, Requiri, ut opus injunctum ea intentione fiat, ut indulgentiæ defunctis acquirantur: nec opus esse, ut opus injunctum sit de se satisfactorium, cum id sit solum conditio, qua posita Pontifex applicat indulgentias huic, vel illi: Con. d. 7.

Quæres iterum, An indulgentiæ pro defunctis concessæ profint infallibiliter illis, quibus applicantur?

Affirmant Sot. Nav. Val. Suar. Con. aliique apud Laym. cap. 7. Negant Bonav. Riec. Caj. & alii, ex quibus probabilis redditur doctrina Henr. & Rodr. quod Deus longe facilius acceptet suffragia oblata pro iis defunctis, qui in hac vita magis studuerunt satisfacere pro suis peccatis, lucrari indulgentias, & pro defunctis orare.

II. Respondeo ad Secundum, Requiri primo, Ut sit baptizatus: Secundo, Ut sit subditus indulgentiam Concedentis; quamvis ex Laym. & Pal. concedi possit ab Episcopo v. g. Neapolitano suis subditis facultas, ut indulgentias ab alio Episcopo, v. g. Nolano concessas, lucrentur: Tertio, Ut non sit excommunicatus excommunicatione majori: Quarto, Ut saltem, quando ponitur ultimum opus injunctum, sit in gratia. Dixi, *Saltem, &c.* quia Cajet. Sot. & alii apud Bellar. l. 1. c. 12. putant, necesse esse, ut omnia opera injuncta fiant in gratia, quia opera peccatoris, utpote mortua, sunt inutilia ad placandum Deum, ejusque beneficia impetranda. Verum, quamvis hæc sententia tutior sit, probabilior tamen putant Suar. & Con. sententiam oppositam, ex usu Ecclesiæ; nam in Jubilæis jejunia præscripta, visitationes Ecclesiæ, &c. plerumque præmittuntur confessioni, & tamen probabile est, quamplurimos non justificari ante confessionem. Quamvis autem opus peccatoris mortuum sit, non tamen in casu nostro est inutile ad finem; valet enim ad excitandam populi devotionem, ad diligentiorum præparationem ad Confessionis, & Communionis Sacramenta, & ad placandum Dei

Dei iustitiam; hic enim, licet peccatores obstinatos non audiat, audit tamen volentes converti; aliter frustra clamarent, *Convertite nos, Deus salutaris noster.* Hinc, si conceditur in Bulla, ut possit quis pro alio vivente indulgentiam acquirere (quod fieri posse, certum videtur Con.) licet is, cui indulgentia applicatur, debeat esse in gratia, quia non remittitur poena inimicis ex D. Th. & Theologis communiter, non tamen is, qui ponit opus praescriptum, ut alius indulgentiam assequatur: secus vero, si sibi eam lucretur: Quinto, Ut nullum opus injunctum praetermittatur, etsi inculpabiliter; quia indulgentiae tantum valent, quantum sonant: Doctores communiter ex D. Th. ap. Bell. l. 1. cap. 13. unde, si quis ponat mediam partem operum praescriptorum, non proinde mediam partem indulgentiarum lucrabitur, nisi hoc ipsum in concessione exprimatur. Quod si in Bulla concedatur, ut possit à Confessario opus injunctum commutari ex justa causa, tunc certe poterit quis indulgentiam lucrari, ponendo opus à Confessario subrogatum: Sexto, Ut habeatur intentio lucrandi indulgentiam, vel actualis, vel virtualis, ex Cordub. Leon. Vega; quamvis Sanctarell. de *Jubil.* cap. 15. dub. 4. & Laym. putent, sufficere habitualement, & interpretativam: imo Lug. Portell. Mol. probabilius docent, indulgentias prodesse posse etiam amentibus, si à Papa iis conferantur, ut possunt, nullo opere iis injuncto, cum satis fit ad indulgentias lucrandas passive se habere, modo is non fit invitus; beneficia enim isthaec invitis conferri non debent.

Hinc infero, Primo, Adhuc lucrari indulgentiam, qui ponit opera injuncta principaliter ob alium finem, e. g. ob curiositatem; quia Papa non jubet, poni opus principaliter ob indulgentiam lucrandam, sed tantum praecipit, ut opus ponatur: Suar. Gran. Boss. Pasq. Secundo, Videri probabile, quod lucretur indulgentiam, qui e. g. visitat Ecclesiam, praecise ob curiositatem, nil cogitans de indulgentia, dummodo ibi oret; quia ponit conditionem à Papa requisitam: Tertio, Probabile esse, confessionem non requiri in Bullis Indulgentiarum, tanquam opus injunctum, sed tanquam conditionem requisitam ad tollendum obicem, si est, peccati: in quo casu nec requiritur contritio, sed sufficit attritio cum Sacramento, etsi in Bullis concedantur indulgentiae poenitentibus *Vere contritis, & confessis*, quae
R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. A a omnia

omnia nec requiruntur in eo, qui non est in peccato mortali: Quarto, Veniale peccatum impedire tantum ne remittatur poena ipsi nondum remissa debita, non vero debita aliis venialibus, & mortalibus jam remissis; quia culpa remanente non remittitur poena: at veniale non impedit, ne remittatur aliud veniale, aut mortale; unde à fortiori non impedit, ne remittatur poena illis debita: &, dum conceditur indulgentia plenaria, sensus est, quod concedatur plenissime juxta capacitatem subjecti: Demum, Indulgentiam probabiliter reviviscere, recedente fictione, seu peccati obice, ex Henr. Quintan. Palud. Gran. Dian. & aliis apud Pasqu. q. 30. quia effectus indulgentiæ est infallibilis ex opere operato: communius tamen docent oppositum Suar. Sa, Fill. Sot. Pal. quia effectus indulgentiæ pendet à voluntate Papæ concedentis tantum pro tempore, quo sunt primo posita opera à se præscripta, & dummodo tunc ponantur in statu gratiæ, licet possit Papa aliter indulgentias concedere. De Bulla Jubilæi, vide dicenda infra q. 3. c. 3. §. 3. quæsito 5. De Jubilæo autem Anni Sancti, vide uberrime dicta tom. I. in calce Tr. I. in Appendice.

DISPUTATIO II.

De iis, quæ pertinent ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ.

ARS artium est regimen animarum, præsertim in confessionibus audiendis, ut ex D. Gregor. inquit Gerson. ideoque Ludovicus de Ponte ait, *Audire, & absolvere Pœnitentes esse actum plane heroicum, vixque posse porrigi eleemosynam, quæ isti valori. Et pretio æquivalet.* Quinque autem ad tale Ministerium pertinent hic explananda: I. Potestas: II. Officium: III. Casuum reservatio: IV. Absolutio: V. Sigillum. Sit itaque.

QUÆ.

QUÆSTIO I.

De Potestate Confessarii.

Ad expeditam potestatem Confessarii tria requiruntur, potestas Ordinis, potestas Jurisdictionis, & approbatio. Si unum horum desit, Sacramentum Pœnitentiæ ministratur invalide.

CAPUT I.

Quid de Potestate Ordinis?

Dico primo: Solus Sacerdos complete ordinatus potest esse Minister hujus Sacramenti, ex Trident. *sess. 14. cap. 6.* Ratio est, quia solis Sacerdotibus in personis Apostolorum dictum est illud Joannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Per quæ verba traditur potestas clavium, seu tollendi impedimentum intrandi in Regnum Cœlorum. Dixi, *Complete Ordinatus*; nam, si quis esset ordinatus Sacerdos per traditionem Calicis, & non per impositionem manuum, quibus accipitur Spiritus Sanctus, esset incomplete Sacerdos, & tantum haberet potestatem in verum Christi Corpus ad consecrandum, non vero in Corpus Christi mysticum ad absolvendum: Doctores communiter contra Val. & alios ap. Dian. p. 3. t. 4. r. 187. ex quorum sententia, cum sit etiam probabilis, si Episcopus post traditionem calicis deficeret, deberet ab alio Episcopo ordinari per impositionem manuum. Si autem quis esset ordinatus per impositionem manuum, & non per traditionem calicis, nec posset valide consecrare, nec absolvere; quia secunda potestas essentialiter supponit primam, ideoque neque incomplete esset Sacerdos: Arriag, cum communi.

Infers, Neminem non Sacerdotem posse valide absolvere Sacramentaliter, ne per errorem quidem communem, aut titulum coloratum; etsi aliquando ex delegatione absolvere posset à censuris: & ratio est, quia hoc est ex institutione Ecclesiæ, illud ex institutione Christi; ideoque in hoc, non in illo, supplere potest Ecclesia. Imo, si quis non Sacerdos absolvat sacramentaliter, vel incipiat audire confessionem sacramentalem,

est denunciandus, utpote suspectus in Fide; si delictum sit notorium, evadit Irregularis, & infamis.

Dubitatum est olim, an, si quis in extrema necessitate confiteatur Laico, Deus tunc suppleat effectum gratiæ, quæ conferretur ab hoc Sacramento? Nam videtur id affirmari cap. *Quem poenitet* 88. de poenitentia dist. 1. & à D. Th. & à Magistr. sentent. in 4. Sed id merito negant omnes apud Raynaudum; etfi aliquando esset utile sic confiteri extra Sacramentum Laico, ut ille deinde referat peccata Sacerdoti superventuro; vel ut juvet ad contritionem de illis, vel ut dirigat circa restitutionem, &c. vel ut ea humiliatione impetres à Deo veniam: Atque hoc sensu intelligi debent textus citati.

Denique, quamvis communior sententia neget, posse Laicum in extrema necessitate absolvere à censuris; tamen oppositum probabiliter tenent graves Doctores ap. Dian. p. 3. tr. 40. resol. 133. eo quod putant, piam Matrem Ecclesiam, quæ certe id Laico delegare potest, nolle pro eo articulo poenitentem moribundum privari beneficio Ecclesiasticæ sepulturæ, & communium suffragiorum; unde infert Sanch. Laicum teneri pro tali casu absolvere à censuris; & Quintanad. infert, etiam posse Laicum in defectu Clerici, adeoque debere, applicare Indulgentias ei concessas in articulo mortis, si talis applicatio fieri debeat per alium.

Dico secundo: Quilibet Sacerdos, etiamsi sit Suspendus, Irregularis, Excommunicatus vitandus, Degradatus etiam realiter, Hæreticus, Apostata, &c. potest quoscunque Fideles à quibuscunque peccatis, & censuris valide, & licite absolvere in articulo mortis: Doctores communiter ex Trident. *sess. 14. cap. 7.* Ratio est, quia potestas absolvendi data est à Christo, ad salvandas animas; ergo restringi non debet, ubi extreme periclitatur anima. Hinc Durand. Armil. Vasq. & alii putant, simplicem Sacerdotem habere pro tali articulo facultatem expeditam à Jure divino per præcisam potestatem Ordinis; sed melius D. Th. & alii communiter docent, præter potestatem Ordinis, habere tunc à jure Ecclesiastico tacitam approbationem, & jurisdictionem à Papa; ut colligitur ex Trident. cit. ubi dicitur, *Ne aliquis peccat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet Poenitentes à quibuscunque peccatis, & censuris absolvere possunt.*

Infer

Infers primo, Moribundum per simplicem Sacerdotem à quibuscunque peccatis reservatis absolutum, si convalescat, non teneri se sistere Superiori, quia ex Trident. cit. nulla tunc fuit reservatio; ideoque absolutus est directe ab illis, & sine ullo onere: Bonac. & alii communiter. Hinc, si ea peccata tunc dicere non potuit, satis est, si postea aperiat cuivis Confessario, quia simplex ille Sacerdos ex potestate, quam habebat, absolvit, quantum potuit: Navar. Reg. & alii.

Infers secundo, Idem dicendum esse de censuris, quæ retardarent moribundum à consecutione Gloriæ, qualis esset excommunicatio, & interdictum personale, non autem si esset suspensio, interdictum locale, aut irregularitas, quia pro his non militat ratio Tridentini *Ne aliquis pereat*, &c. Sanch. Bonac. aliique. At, si excommunicatio erat reservata, fuit quidem directe absolutus ab illa, sed cum onere se præsentandi, quamprimum commode poterit, Superiori, non ut iterum absolvatur, sed ad præstandam obedientiam, ex cap. *Eos, qui*, &c. de sententia excommunicationis in 6. Addunt tamen probabiliter Januar. Marc. & alii apud Dian. p. 10. tr. 14. r. 63. solum haberi hoc onus, si excommunicatio erit denunciata; tum quia simplex ille Sacerdos absolvit tunc ex potestate delegata; tum quia Tridentinum dicens, quod tunc nulla sit reservatio, correxit jus antiquum.

Dubium est primo, An in tali articulo valide absolveret Sacerdos simplex, si præsens etiam adesset Parochus, vel alius Confessarius approbatus? Affirmant Ledesma, Rodriq. Hurt. Barb. Sayr. Reg. Tamb. & alii, quos refert, & sequitur Illung, quia Trident. dicit universaliter, *Omnes Sacerdotes*; &, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; maxime cum beneficium Principis sit ampliandum. Negant Suar. Vatq. Sanch. Con. Laym. Bonac. & alii communiter, tum quia ratio Tridentini est extrema necessitas, *Ne aliquis pereat*; quæ ratio cessat, si adest alius habens facultatem; tum etiam quia idem Tridentinum confirmat, *Quod in Ecclesia Dei custoditum semper fuit*, & ex cap. *Jubet*, &c. 26. q. 6. custoditum fuit, ut simplex Sacerdos absolvat, *Si absit Prælati Ordinarius*: ergo, si hic adfit, non potest ille absolvere. Hæc secunda sententia, cum sit tutior, est in praxi tenenda, quia in articulo mortis sequi debemus tutiora. Limita tamen primo

cum Sanch. si Parochus superveniat confessioni jam cœptæ apud simplicem Sacerdotem, quia hic cœpit jam iudicium, quod debet complere. Limita secundo cum Bonac. Si Parochus sit excommunicatus, vel habeat aliud impedimentum canonicum, quia sic decentius est confiteri alteri. Limita tertio cum Croix ex D. Th. Si moribundus horreat manifestare sua peccata Parocho, quia secus haberetur periculum confessionis non integræ. Limita demum cum Lessio, si moribundus, præsentem privilegiato, eligat suum Parochum, quamvis non habentem potestatem in reservata, quia mens Tridentini, & Canonum est, ut Parochus habeat tunc omnem potestatem.

Dubium est secundo: An, quæ dicta sunt de articulo mortis, procedant etiam in periculo mortis? Negant Sotus, Can. Coy. Valen. & alii, quia extrema necessitas habetur tantum in articulo mortis, quando scilicet hæc certa est moraliter, & proxime instat; non vero in ejus periculo, quando scilicet probabiliter sub dubio timeretur. Sed probabilius affirmant Sylv. Med. Suar. Sanch. Laym. Avers. aliique communiter, quia in jure canonico quoad rem præsentem pro eodem sumitur articulus, & periculum mortis, ut constat ex cap. *Si quis suadente, &c.* & cap. *Eos, qui, &c. de sententia excommunicationis in 6.* & ex ratione Tridentini *Ne aliquis pereat*, quæ militat etiam in periculo mortis, in quo scilicet est prudens dubium, quod morte quis præveniatur, antequam Sacerdotem approbatum habeat, ut notat Tamb. &c. Hinc, si nullus haberi possit Confessarius, potest simplex Sacerdos æque absolvere eum, qui suscipere debet navigationem periculosam, iter prædonibus expositum, pugnam, &c. In tali periculo sunt etiam Banniti, item, qui inter pestiferos agere debent: item Prægnans primo partui proxima, vel si in simili experta sit periculum vitæ; item, qui timet insaniam proximam, vel insidias hostium, vel incidit in febrem malignam, & similia, in quibus sub timore probabili expectatur mors, antequam habeatur copia Confessarii. Cæterum, sicut in articulo, ita in periculo mortis absolutio à censuris reservatis per simplicem Sacerdotem datur cum triplici onere Pœnitentis, scilicet comparendi coram Superiore sub pœna reincidentiae, standi mandatis Ecclesiae, & satisfaciendi parti læsæ, de quibus talis Sacerdos, si potest, debet eum monere: imo, si sit censura Bullæ Cœnæ, tenetur ab eo exigere juramentum, ut colligitur
ex

ex verbis Bullæ: in aliis vero censuris Filliuc. Bosc. Bord. Pelliz, aliique contra alios probabiliter putant, sufficere solam promissionem, quia jura exigentia juramentum videntur loqui de absolutione in foro externo: v. Tambur. de Pœnitentia cap. 12. §. 4.

Dico tertio: Extra articulum, vel periculum mortis non potest simplex Sacerdos licite absolvere à venialibus: probabile tamen est, quod valide absolveret. Ratio primæ partis est, quia Innocentius XI. decreto de communione quotidiana An. 1679. sic præcipit Episcopis, & Ordinariis: *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario*: ergo talis absolutio nunc est saltem illicita; quidquid antea dixerint Doctores. Ratio secundæ partis est, quia ex hoc, quod Pontifex tantum velit prohiberi, non sequitur irritari talem absolutionem, vel tolli jurisdictionem in venialia concessam cuivis Sacerdoti ex immemorabili consuetudine Ecclesiæ: Carden. & alii contra Platellum; Idemque est de mortalibus alias rite confessis, quia hæc sunt etiam materia libera novæ confessionis. Imo, si quis simplici Sacerdoti bona fide confiteatur prima vice mortalia simul cum venialibus, probabile etiam est valide absolvi à venialibus quidem directe, indirecte à mortalibus, quæ proinde, si resciat, subicere debet clavibus apud alium approbatum: Lugo d. 19. & alii contra alios. Denique, si veniale habeat adnexam excommunicationem minorem, Nav. Fil. Tamb. & alii &c. adhuc putant, valide absolvi à simplici Sacerdote; sed in hoc melius contradicunt alii communiter quia cap. *Nuper, de sententia Excommunicationis* tantum dicitur, excommunicationem minorem absolvi posse *ab Episcopo, vel à proprio Sacerdote*; & hoc nomine in jure venit Parochus, vel Confessarius approbatus ab Ordinario.

CAPUT II.

Quid de Potestate Jurisdictionis?

CUM absolutio Sacramentalis sit actus judicialis, & hic exerceri valide non possit sine jurisdictione in subditos, sequitur, ut Sacerdos, præter potestatem Ordinis, quam habet à Christo Domino adnexam characteri, habere etiam debeat ab Ecclesia potestatem jurisdictionis,

nis, per quam fideles fiant ejus subditi, & valide absolvantur. Hinc, quamvis Sacerdoti consecranti non possit Ecclesia reddere irritam consecrationem, cum hæc sit actus tantum Ordinis; tamen Sacerdoti sacramentaliter absolventi potest reddere irritam absolutionem, cum hæc sit actus simul Ordinis, & jurisdictionis. Dividitur hæc jurisdictio in ordinariam, delegatam, & eam, quæ habetur ex errore communi cum titulo colorato; & de singulis hic agendum.

§. I.

Quid de Jurisdictione ordinaria?

HANC habent ii Sacerdotes, qui ex vi proprii Officii habent curam animarum, ut Papa pro tota Ecclesia, Cardinalis pro sua, Legatus pro sua Provincia, Episcopus pro sua Diœcesi, & similiter Vicarius ejus Generalis, & Vicarius Capitularis Sede vacante: item Archiepiscopus pro Diœcesi etiam suffraganei, quando actu eam visitat, vel si suffraganeus injuste absolutionem negaverit, ut addit Barbosa: item Parochus pro sua Parochia; & similiter Abbas, Archipresbyter, & Archidiaconus pro suis Collegiatis, & Superiores Regulares pro suis Religiosis. Hi omnes jure ordinario absolvunt suos subditos: subditi autem Episcopo, vel Parocho jure ordinario sunt, qui intra ejus Diœcesim, vel Parochiam habent domicilium, quod scilicet acquiritur à primo die, quo ibi corporaliter habitant cum animo ibidem perpetuo manendi, etiamsi deinde animum mutent, dummodo corporaliter etiam non discesserint. Qui vero habent ibi quasi domicilium (hoc est alibi habent domicilium, sed habitant ibi majori, vel saltem æquali parte anni, ut sunt studentes, mercatores, litigantes in Curia, famuli, &c.) censentur utrobique subditi. Vagi vero, qui scilicet nullibi habent domicilium, aut quasi domicilium, censentur subditi ejus Parochi, in cujus Parochia hic & nunc reperiuntur: Doctores communiter, &c.

Quæres primo, An, qui habet jurisdictionem ordinariam absolvendi suos subditos, possit eam delegare alteri?

Respondeo, Per se loquendo, affirmative; quia actus proprius jurisdictionis ordinariæ etiam est ipsiusmet delegatio: Doctores communiter: idque verum est, etiamsi
eam

eam habens non sit Sacerdos, qualis esse potest v. g. Vicarius Generalis Episcopi: licet enim nequeat ipse uti sua jurisdictione absolvendo sacramentaliter, cum non habeat potestatem ordinis, potest tamen illam delegare alteri Sacerdoti, constituendo eum Confessarium. Imo Episcopus v. g. existens extra suam Diœcesim etiam potest eam delegare alteri, constituendo eum Confessarium pro sua Diœcesi; ut dicemus etiam de approbatione cap. 3. Dixi *Per se loquendo*; nam Parochus (& idem est de Abbate, Archipresbytero, & Archidiacono) quamvis habeat jurisdictionem ordinariam absolvendi, tamen non potest eam delegare simplici Sacerdoti ad absolvendos suos subditos; quia ex jure novo Trident. requiritur approbatio Episcopi, vel ejus Vicarii juxta dicenda cap. 3. Potest tamen, Episcopo saltem non contradicente, eam delegare alteri Parocho ejusdem Diœcesis ad absolvendos suos subditos in sua Parochia: Suarez, & alii communiter: imo probabiliter etiam Parocho alterius Diœcesis: ut iidem addunt apud Tambur. c. 5. de Pœnitentia §. 3. n. 5. Quamvis quoad hoc probabilius ex dictis videatur oppositum. Econtra vero Superiores Regulares delegare possunt suam jurisdictionem cuivis Sacerdoti etiam alterius Ordinis, etiam Seculari ad audiendas confessiones suorum Religiosorum; etiam si ille non sit approbatus ab Episcopo; quia Tridentinum requirit hujus approbationem tantum ad audiendas confessiones Secularium.

Quæres secundo, Quando cessat jurisdicção ordinaria?

Respondeo cessare, Primo Amissione officii, cui erat adnexa; destructo enim principali corrumpitur accessorium: hinc Parochus amittens, vel resignans alteri Parochiam, non potest amplius valide absolvere, nisi alias approbetur ab Episcopo; & Vicarius Generalis Episcopi, cum eo mortuo, vel amoto statim desinat esse Vicarius, statim amittit hanc jurisdictionem. Secundo cessat per excommunicationem, aut suspensionem ab officio, in quibus sit vitandus; sic enim, nec absolveret, nec delegaret valide: si vero non sit vitandus, valide absolveret, ac delegaret; &, si esset requisitus, etiam licite. Putant Vasq. Bonac. & alii, posse Parochum per Episcopum suspendi à sua jurisdictione ordinaria. Sed Lugo dist. 21. & alii apud Tambur. negant, quia

ea gaudet Parochus jure Tridentini : ideoque non potest ab Episcopo privari, nisi removeatur ab officio. Denique nec cessat jurisdictio ordinaria per interdictum, & probabiliter neque per irregularitatem, nisi huic officium supervenerit, juxta dicenda in Tract. de censuris.

§. II.

Quid de Jurisdictione delegata?

I. SACERDOTES Regulares, cum constituuntur Confessarii, habent Jurisdictionem delegatam à Papa ad absolvendum sacramentaliter quoscunque Fideles undecunque ad se accedentes ; sed communicatur ipsis per suos Superiores, posita etiam approbatione Episcopi tamquam conditione essentialiter requisita à Tridentino pro absolvendis Secularibus, vel Monialibus. Hinc posset Confessarius Regularis absolvere etiam Religiosos alterius Ordinis. Sed hodie quivis ordo habet privilegium, ut sui Religiosi non possint absolvi ab aliis extra Ordinem, nisi ex licentia sui Superioris : si autem Regularis absque licentia sui Superioris approbetur ab Episcopo, tunc nec poterit valide absolvere, quia non habet Jurisdictionem sibi communicatam per suos Superiores, qui possunt eam negare, limitare, &c. Quod si Episcopus approbando communicet etiam suam jurisdictionem (quam, dum approbat, communicat, nisi quid expresse limitet) juxta hanc valide absolveret Seculares, illicite tamen, quia contra voluntatem sui Superioris. Excipe Religiosos Ordinis Prædicatorum, qui, si absque licentia suorum Superiorum approbentur ab Episcopo, invalide omnino absolvunt ex speciali Bull. Jul. III. Vide Tamb. de Pœnitentia c. 5. n. 26.

II. Sacerdotes seculares, cum constituuntur Confessarii, habent jurisdictionem sibi delegatam ab Episcopo eos approbante. Hac ergo habita jure non possunt absolvere subditos alterius Diœcesis ad se accedentes ; sed hodie possunt ex consuetudine, & tacito simul consensu Ordinariorum, vel potius Papæ, quo subditi alterius Diœcesis per delegationem subduntur illis, dum ad eos accedunt. Putant tamen Bon. Con. Vasq. Garza & alii, Peregrinum invalide absolvi, si ex industria e
sua

fua Diœcesi difcedat, ut abfolvatur à Confeflario hujus Diœceſis, quia fic operatur in fraudem, adeoque non præſumitur fui Ordinarii, vel Papæ conſenſus. Sed probabiliter contradicunt Ponc. Tambur. & alii ex illa regula Juris: *Nullus videtur dolum facere, qui utitur jure ſuo*; unusquisque autem habet jus adeundi alium locum, ibique ſe in ſtatu gratiæ ponendi; nec unquam Ordinarii, vel Papa in dicto calu ſignum aliquod fui diſſenſus dederunt: ut notat Tambur. &c.

III. Sacerdos, ſive Regularis, ſive Secularis, conſtitutus jam Confeflarius, quamvis ex quadam æquitate petere debeat licentiam à Parocho, ut audiat confeſſiones in ejus Eccleſia; tamen ſi non petat, valide abſolvit, quia Confeflario ſeculari ſufficit juridiçtio delegata ab Ordinario, qui eam habet in tota Diœceſi, & Regulari ſufficit juridiçtio delegata à Papa, qui eſt Ordinarius Ordinariorum. Imo, quamvis Epifcopus in delegatione addat: *De licentia tamen Reçtorum in Eccleſiis eorum*, tamen Suar. d. 27. Bon. & alii contra Abbat. & alios dicunt, illam non eſſe proprie conditionem, ſed modum, quem deberes ſaltem ex æquitate ſervare, etiam ſi non admoneris ab Epifcopo. Similiter ſi Epifcopus tantum prohibeat, ne Regulares v. g. extra proprias Eccleſias audiant confeſſiones, adhuc hæ erunt validæ extra illas, ob eandem rationem; illicitæ tamen, niſi excuſet hic & nunc Epikeja.

Extra Diœceſim poteſt Paroçhus abſque ulla alia facultate jure ſuo audire confeſſiones ſuorum ſubditorum; quia ratione muneris eſt eorum Paſtor: & ſimiliter Confeflarii Principum, qui reſpectu illorum ſunt veluti Paroçhi, poſſunt eos abſolvere, quando per varias Diœceſes, vel Provincias eos comitantur: Illſung, Laur. & alii. Idem dicit Laym. de Miſſionario Caſtrenſi alicui Legioni præfecto, qui merito cenſetur veluti Paroçhus illius Legionis tamquam Paroçhiæ ambulantis; ideoque abſolvere eos poterit, ubicunque terrarum Legio fuerit, licet novi milites accedant, vel ſuccedant. Item Confeflarius ſecularis hujus Diœceſis ex communi Doctorum ſententia apud Suarez d. 28. ſect. 6. poteſt extra hanc Diœceſim audire confeſſiones eorum, qui ſubditi ſunt huic Epifcopo; quia ad hoc habet jam juridiçtionem delegatam, quæ, cum ſit voluntaria, exerceri poteſt extra territorium Epifcopi in ejus ſubditos. Econtra
vero

vero Confessarius regularis hujus Diœcesis non potest extra hanc Diœcesim audire confessiones eorum, qui subditi sunt huic Episcopo, nisi sit approbatus etiam ab illo Episcopo, juxta dicenda cap. 3.

Quæres primo, Quid requiratur ad acquirendam Jurisdictionem absolvendi sacramentaliter?

Respondeo, Requiri consensum sive expressum, sive tacitum concedentis, dummodo sit de præsentis: Doctores communiter. Hinc, si Episcopus v. g. videat, aut sciat, simplicem Sacerdotem audire confessiones, & non prohibeat, quando sine incommodo posset, valida est absolutio ex tacito ejus consensu: Avers. sect. 4. Si tamen, nondum existente eo consensu, incipiat talis Sacerdos audire confessionem, peccat, quia invalide incipit: Conin. Dian. & alii. Rursus si Sacerdos vi, aut metu extorsit jurisdictionem ab Ordinario, probabiliter etiam valide absolvit, dummodo Episcopus aliquo signo externo annuerit; quia talis concessio, etiam sic extorta, manet simpliciter voluntaria: Sanch. Con. & alii contra Azor. Pont. & alios. Addunt Tancr. & alii, quod, si Sacerdos petat ab Episcopo licentiam audiendi confessiones, & nulla subit ratio denegandi, & Episcopus taceat, habetur licentia pro concessa, quia positus his conditionibus silentium est signum externum concessionis. Contra vero non sufficit consensus interpretativus, vel prudenter præsumptus, quem scilicet Episcopus daret, vel certo creditur daturus, si rogaretur. Neque sufficit rati habitio danda de futuro; quia ad actualem jurisdictionem requiritur consensus de præsentis existens, & aliquo signo saltem tacite manifestatus: Lugo d. 19. & alii communiter. Requiritur etiam, ut Sacerdos delegatus habeat notitiam concessionis sibi factæ, sive oratenus, sive per literas, aut internuncium destinatum à Delegante, alioquin invalide absolvit, etsi aliunde id resciat; quia non censetur concessa facultas, nisi legitime acceptetur: Avers. q. 16. sect. 5. Si autem concessa sit jurisdictio Ordini religioso, Ordo acceptat pro singulis suis Religiosis, ideoque quivis illorum valide absolveret, etiam si ignoraret, se illam habere: Lug. n. 27. Item, si Sacerdos putans, se habere jurisdictionem ex uno titulo, cum tamen habeat ex alio titulo sibi ignoto, valide absolvit, quia intendit facere, quantum potest, ex quocunque titulo possit: Lugo n. 18.

Quæ-

Quæres secundo, Quando cessat jurisdicção delegata absolvendi sacramentaliter?

Respondeo primo, Cessare, si Sacerdos delegatus incidat in excommunicationem, aut suspensionem ab officio, in quibus sit vitandus; si autem non sit vitandus, adhuc valide absolvit, sed illicite, nisi sit requisitus; Doctores communiter. At non cessat per interdictum, & probabiliter neque per irregularitatem, etsi supervenientem; quia talis jurisdicção, cum sit mere delegata, non fundatur in officio, vel beneficio, quibus privat irregularitas, ex dicendis de censuris. Neque cessat, si Episcopus ipse, postquam delegavit, evadat excommunicatus vitandus, quia est gratia facta jam delegato, quæ neque cessat morte concedentis. Cæterum præcinciendo à censuris.

Respondeo secundo, Si jurisdicção concessa sit ad certum tempus, puta ad annum, hoc transacto statim cessare, quia facultas non extenditur ultra voluntatem concedentis. At, si bona fide cœpta sit aliqua confessio, quæ finire non potuit intra illum terminum præfixum, proseguendus est actus judicialis usque ad absolutionem, & postea cessabit facultas; Doctores communiter. Imo probabiliter potes iterum ea uti, si Pœnitens redeat cum mortali invincibiliter antea oblito, quia tunc sequens confessio pertinet ad integritatem prioris: Tambur. Dicass. & alii contra Fagun. & alios: secus vero, si redeat etiam cum novo peccato; tunc enim neque conjunctim absolvi poterit cum oblito: Dian. p. II. tr. 7. r. 28.

Respondeo tertio, Si jurisdicção concessa sit ad tempus incertum, ut si Episcopus concedens dicat, *Quamdiu vixero*, eam cessare morte concedentis, nisi vero tunc cœpta sit aliqua confessio, quæ postea est finienda, juxta modo dicta: idem est, si dixerit, *Ad meum beneplacitum*, vel *Donec ego voluero*: quia beneplacitum, seu voluntas finitur morte personæ; Doctores communiter, ex cap. *Gratioso*, & *de rescriptis in 6.* contra Tamb. & alios, &c. Idemque est, si concedens removeatur ab officio: Perez d. 47. *Matr.* f. 7. n. 15. Si vero dicat: *Pro uno anno ad beneplacitum*, cessat, statim ac concedens intra annum moritur, aut removetur ab officio: Suar. *de Legibus* lib. 8. cap. 31. Idemque est, si dicat, *Ad annum, & beneplacitum meum*; Perez ibid. At, si dicat, *Ex beneplacito ad annum*, non cessat, nisi post annum,

num, quia beneplacitum hic ponitur, ut principium gratiæ factæ per annum: Perez n. 18.

Respondeo quarto: Si jurisdictio concessa sit absolute, nunquam cessare, nisi concedens, vel ejus successor revocaverit; quia Episcopus sic delegans censetur velle favere ipsi Sacerdoti, judicando absolute idoneum ad confessiones; ideoque est gratia facta, quæ non expirat morte concedentis, juxta regulam Doctorum ex cap. *Si cui, &c. de Præbendis in 6. &c.* Idem est, si dicat *Ad beneplacitum Sedis*: Ratiq est, quia cum Sedes sit perpetua, perpetua erit concessio, donec revocetur. Idem, si dicat *Ad beneplacitum Sedis, & personæ*: Sanch. lib. 8. *de Matrim. dist. 28. num. 5.* Idem demum, si dicat, *Donec revocavero*: vel *Donec aliud ordinavero*, quia revocatio, & ordinatio sunt actus positivi, qui non habentur præcise post mortem: Perez num. 10.

Respondeo quinto, Si jurisdictio concessa sit certo Sacerdoti ad audiendam pro una vice confessionem certi Pœnitentis, non cessare morte concedentis, si tunc res non sit integra, hoc est, si Sacerdos cœperit jam audire confessionem, quam nondum potuit perficere; quæ per actum juridicum firmata est in eo jurisdictio, donec ponatur Absolutio: at, si res sit integra; hoc est nondum cœpit audiri confessio, Sanch. num. 82. & alii communiter dicunt, cessare; quia sic non est gratia facta, sed facienda, & gratia facienda cessat morte concedentis, ex opposita regula Doctorum in cap. cit. Sed probabiliter etiam contradicunt Con. Lug. Perez, Tamb. & alii &c. quia sic concedens voluit favere Pœnitenti, ideoque talis jurisdictio concessa Confessario est gratia à concedente facta ipsi Pœnitenti, & consequenter neque expirat per ejus mortem, & idem dicunt in aliis concessionibus, nisi aliter sit receptum in jure. Vide dicta in Tract. de Leg. d. 4. q. 4. c. 2.

§. III.

Quid de errore communi cum titulo colorato?

ERROR communis habetur, quando Sacerdos communiter putatur habere jurisdictionem ad absolvendum, quam non habet, titulus coloratus, seu putativus habetur, quando fuit à legitimo Superiore coloratus ei titulus ad talem jurisdictionem, ut titulus Parochi,

rochi, Confessarii, &c. Sed vel fuit nullus ob aliquod occultum impedimentum, vel jam amissus, & talis amissio communiter ignoratur. Certum communiter est apud Doctores ex *l. Barbarius, ff. de officio Prætoris, & cap. Infamis 3. q. 7.*, errorem communem cum titulo colorato dare tali jurisdictionem absolvendi, etiamsi cæteroqui illam non habeat. Ratio est, quia tunc Ecclesia, cum possit, tacite supplet talem jurisdictionem ob bonum communitatis bona fide ita existimantis; aliter innumeræ animæ invincibili errore perirent: ergo valide absolvit talis Sacerdos, si adsit error communis cum titulo colorato; peccat tamen, si sciat nullitatem sui tituli, quia scienter usurpat jurisdictionem, quam non habet.

Porro ad talem errorem communem sufficit, si sit communis in hac Civitate, etiamsi alibi non sit talis error; puta si Confessarius sit alibi excommunicatus denunciatus: sed id communiter hic ignoretur: Tamb. *de Pœnitent. cap. 5. § 7.* Idem valide absolvit, si fuerit excommunicatus denunciatus, sed tantum temporis sit elapsus, ut communiter ignoretur ejus denunciatio: Navar. Cajet. & alii, &c. Item Sacerdos approbatus per annum, hoc elapso, etiam valide absolvit, si id communiter ignoretur. Idemque est, si absolvat virtute privilegii jam revocati, si revocatio communiter ignoretur: Henriq. & alii, &c. Idem, si Episcopus ficto dederit licentiam audiendi confessionem, sed fictio illa communiter ignoretur: Sanch. lib. 3. *Matrim. d. 22.* Si post errorem communem incipiat populus dubitare de jurisdictione talis Sacerdotis, tunc debet investigari prius veritas; aliter error esset crassus, & supinus, nec sufficiens ad dandam jurisdictionem ex tacito consensu Ecclesiæ: at, si facta morali diligentia, adhuc manet dubium, erunt validæ absolutiones, quia, dum vinci non potest dubium, prævalet possessio acquisita ex præcedenti errore communi. Si tu, vel etiam alii pauci privati sciant talem Sacerdotis defectum, adhuc valet ejus absolutio, quia scientia privata non tollit errorem communem; tu tamen, si scias, illum scire suum defectum, invalide absolveris, quia cooperaris ejus peccato: fecus vero, si prudenter putes, illum nescire, & tu non possis aliter confiteri, quia sic necessitas te excusat à cooperatione illa peccato materiali alterius. Econtra vero, si non sit error communis, sed

tuus

tuus tantum, vel etiam paucorum, invalide absolveris, faltem à mortalibus prima vice confessis; quia Ecclesia non supplet jurisdictionem ob errorem privatam: Doctores communiter.

Quæres primo: An Ecclesia suppleat jurisdictionem, si adfit error communis, sed sine titulo colorato?

Respondeo, Duas esse in hac re sententias: Prima cum Suar. Con. Bon. & aliis comm. negat; quia, quoties jura statuunt ex errore communi suppleri jurisdictionem, semper faciunt mentionem auctoritatis Superioris, quæ intervenire debuerit conferendo titulum: ergo non sufficit solus error communis. Secunda cum Poncio, Sanch. Rod. Dian. & aliis affirmat; quia etiam hic militat ratio Boni communis, ob quam Ecclesia tacite supplet jurisdictionem, ut scilicet provideatur salutis communi animarum inculpabili errore laborantium: quod autem jura id concesserint, cum adest ritulus, hic fuit occasio concedendi; absolute tamen concesserunt, quoties vitandum est commune damnum, ut notat Con. ergo credendum, piam matrem Ecclesiam etiam velle supplere stante solum errore communi; si nimirum Sacerdos communiter putetur Parochus, vel legitimus Confessarius, quamvis absque auctoritate Superioris per se sit intrusus in Parochiam, vel Confessionale. Prima sententia est probabilior, faltem auctoritate extrinseca: tamen Castro, Tambur. & alii plurimi dicunt, utramque esse probabilem.

Quæres secundo: An Ecclesia suppleat, seu tacite det jurisdictionem Confessario absolventi ex opinione probabili citra suam jurisdictionem?

Respondeo affirmative. Dummodo talis opinio sit solide probabilis: Ratio est, quia licet ex cap. *Si Episcopus: Ec. de Poenit. & remissionib. in 6. se sola non conferat jurisdictionem absolvendi Sacramentaliter; tamen potest conferre, si accedat consensus saltem tacitus Ecclesiæ, ut docent communiter Doctores ex Trident. sess. 22. de reform. cap. 3. Sed apud Confessarios communiter adest consuetudo absolvendi ex opinione probabili circa suam jurisdictionem, idque scit Ecclesia: ergo videtur tacite consentire, adeoque dare jurisdictionem, si ea forte non esset. Ita communior sententia apud Carden. cum Suar. Sanch. Con. Bon. & aliis plurimis; ita ut Lugo dicat, hanc esse praxim omnium fidelium, & totius*

totius Ecclesiæ; &, cum hæc communis persuasio sit saltem error communis cum titulo colorato, nempe auctoritate Ecclesiæ per communem praxim satis nobis explicata, est tutissima; cum non exponatur Sacramentum periculo nullitatis, eo quod suppleat Ecclesia jurisdictionem, quam Sacerdos probabiliter putat se habere. Hinc infert Bonac. quod, qui sequitur opinionem probabilem Doctorum sentientium, ipsum habere jurisdictionem absolvendi ab hoc, vel illo reservato in tali, vel tali casu, &c. valide, & licite absolvit, etiamsi forte opinio illa sit falsa; nam Ecclesia supplet jurisdictionem, ne sequantur incommoda in communitatem. Addit Vericelli apud Tamb. contra Averſa, id valere, five probabilitas sit circa jus, five circa factum, ut si probabile sit, quod in hoc, vel illo casu non sit incurſa reservatio; si probabile sit, quod jurisdictionis nondum expiraverit, non sit revocata, &c., quia ratio utrobique est eadem. Addit insuper id etiam valere, quomodocunque ea ratio sit probabilis, five ex auctoritate extrinseca, five ex intrinseca ratione de novo à docto viro considerata, dummodo sit solide probabilis.

Dixi, *Si sit solide probabilis*, hoc est nixa gravi fundamento apto movere virum prudentem ad ejus assensum, vel de ejus probabilitate, etsi æque, vel etiam probabilius sit oppositum; quia sic etiam prudenter operaris; &, si forte ea opinio sit falsa, cum communiter ignoretur, supplet Ecclesia: contra vero invalide absolvis ex opinione tenuiter probabili circa tuam jurisdictionem; puta, si sit opinio, quam unus, vel alter asserit, & non habet rationem intrinsecam, vel adeo levem, ut virum prudentem non moveat; si unus, vel alter eam docet: complures autem Doctores eam parum tutam pronuntiant; si per transitum unus, aut alter eam innuit sine sufficienti examine, præsertim si alius, qui ex professione de ea agit, firma ratione oppositum docet: in his enim opinio sit leviter probabilis, vel ad summum dubiæ probabilitatis; ideoque Ecclesia non dat jurisdictionem sic imprudenter operanti.

Quæres tertio, An licite absolvat Sacerdos in dubio de sua jurisdictione?

Respondeo, Affirmative, si coepit bona fide eam possidere, & postea negative dubitet, an valide eam obtinuerit; quia sic melior est conditio possidentis, &.

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. B b si

fi forte adfit error, supplet Ecclesia: Con. Dicast. Gobat. tract. 7. n. 21. Econtra vero, si cœpit mala, vel dubia fide possidere; aut negative dubitet; an unquam eam obtinuerit, vel an jurisdictio, quam habet, extendat se ad casum allatum à pœnitente, an peccatum à pœnitente allatum sit reservatum, necne, &c., quia tunc non ipse est in possessione; Lugo d. 19. n. 28. Cæterum, si legitimus Confessarius cœpit audire pœnitentem afferentem plura peccata, & oriatur dubium, an habeat jurisdictionem circa unum, aut alterum illorum, licite etiam absolvit (mönendo tamen pœnitentem, ut postea accedat ad habentem certam jurisdictionem; si adfit necessitas: puta ad vitandum scandalum, aut infamiam, si tunc pœnitens non communicet; vel si alioquin deberet omittere Confessionem annuam, vel diu manere deberet in statu peccati mortalis: Gobat. n. 120., ubi Hurtadus non audet resolvere, an spatium unius noctis sit in hac materia habendum pro diuturno, quod tamen merito negat Diana, quicquid ingeniose dicat Caramuel. Addit tamen Laym. c. 12. n. 11., aliqualem urgere necessitatem, si talis pœnitens bona fide confessus ægro animo discedat non absolutus, & coactus bis confiteri, modo ejus peccato non sit adnexa excommunicatio reservata.

CAPUT III.

Quid de Approbatione?

APPROBATIO est *Judicium, quo Superior declarat, aliquem Sacerdotem esse idoneum ad audiendas confessiones.* Sine hac Sacerdos, sive secularis, sive regularis invalide absolvit; quia ex dictis potestas ordinis non censetur expedita, nisi accedat potestas jurisdictionis, & hæc non confertur, nisi per approbationem. Agendum de Approbato I. Ad confessiones secularium: II. Ad confessiones Regularium: III. Ad Confessiones Monialium: IV. Ad Confessiones Privilegiatorum.

§. I.

Quid de Approbatis ad Confessiones Secularium?

TRIDENTINUM *sess. 23. cap. 15. statuit: Nullum etiam Regularem posse confessiones secularium; etiam Sacr-*

Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari; nisi, aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat. Itaque.

Primo, Approbatio fieri potest tripliciter, vel per collationem beneficii Parochialis. vel per examen: si est necessarium, vel sine examine, si alias idoneus quis judicetur. Præcipitur etiam, ut detur gratis; tamen, quamvis peccet, qui eam non det gratis, at probabile est, sic etiam valere, quia verba Tridentini quoad hoc sunt tantum præceptiva, non irritantia: Suarez, Lugo, disp. 21. Probabile etiam est valere, si detur ex vi, & metu, juxta dicta de jurisdictione: probabile item est valere, si Episcopus in approbando erret circa idoneitatem: Suar. Bon. & alii, &c. Addit Lugo num. 25., probabiliter etiam valere, si Episcopus externe tantum approbet, quem non judicat idoneum, sed in hoc contradicunt Suar. Bon. & alii, &c. quia Trid. dicit, *Si idoneus judicetur.*

Secundo, Superior approbans ad confessiones secularium est Episcopus ex Tridentino citato, vel ejus Vicarius Generalis, qui habet potestatem ordinariam, & facit unum Tribunal cum illo; vel Vicarius Capitularis sede vacante, qui succedit Episcopo: Doctores communiter. Approbare potest Episcopus, etiam si nondum sit consecratus, modo sit *ctus*, & confirmatus; quia approbatio non est actus ordinis, seu meræ jurisdictionis: Lug. n. 27. Addunt Bossius, & Tambur. Episcopum etiam excommunicatum vitandum posse valide approbare; quia approbatio est tantum simplex testificatio Episcopi, prout Superior est, qualis in excommunicatione videtur etiam manere: sed communiter negant Avers. Poncius, & alii; quia approbatio est actus jurisdictionis Episcopalis, quam non habet Episcopus vitandus: Possunt pariter approbare, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem in Diocesi nulli Episcopo subjectam. Item Nuncius Apostolicus, & Legatus à latere pro sua Provincia. Item Capellani Majores relate ad confessiones militum, vel domus Regiæ: Episcopus existens extra suam Diocesi potest approbare Sacerdotem pro sua Diocesi; quia approbatio non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, quæ extra proprium territorium exerceri potest: Putant tamen Doctores cum

Bb 2

Lugo

Lugo Lib. 1. *Respons. Moral.* dubio 17., Episcopum v. g. Neapolitanum existentem Capuæ non posse approbare Sacerdotem Capuanum pro suis subditis ibidem existentibus; quia sic nullo modo potest esse Superior respectu talis Sacerdotis, cum non posset illum punire, si Capuæ circa confessiones Neapolitanorum delinqueret: & ideo nec potest ipsemet Episcopus ibidem confiteri tali Sacerdoti non approbato, ut supponitur à suo Episcopo Capuano, ut constat ex declaratione Sacræ Congregationis apud eundem: Econtra vero poterit eum ibi approbare pro audiendis Confessionibus in sua Dicecesi Neapolitana; quia sic evadere potest ejus superior potens illum punire, si quoad hoc deliquerit in sua Dicecesi. Uti etiam potest Capuæ approbare Sacerdotem Neapolitanum pro audiendis confessionibus Neapolitanorum Capuæ existentium, cum sit verus ejus Superior.

Tertio, Sacerdos, five secularis, five regularis, hoc ipso, quod obtinet beneficium Parochiale, est ipso jure approbatus, quia Canones volunt, illud obtineri per concursum, vel saltem prævio examine ex Trident. *sess. 24. cap. 18.* Hinc, si per fraudem, vel per incuriam Episcopi, vel aliter sine examine, aut Episcopi judicio pervenisset ad Parochiam, indigeret approbatione: Croix num. 1533. Item indiget approbatione Superior Regularis; quia talis revera non est Parochus, cum non habeat beneficium Parochiale, ut requiritur à Tridentino: Doctores communiter contra Valerum, & alios paucos. Si Parochus mutet Parochiam, quamvis in aliquibus Dicecesibus non iterum examineetur, tamen merito in aliis fit oppositum; quia idoneus pro uno loco, non semper est idoneus pro alio, in quo esse possunt oves diversæ exigentes in Parocho diversas qualitates, & scientiam. Si autem desinat esse Parochus, desinit ejus approbatio, nisi prius fuisset aliunde approbatus absolute: Suarez, Henric. & alii communiter: At, si moriatur, non ideo desinit approbatio Sacellani dati ei ab Episcopo, ut requisitus eum adjuvaret: quia hic approbationem habet ab Episcopo, & non præcise ratione Parochi, sed loci: tamen non potest assistere matrimoniis, quia hæc pendebant immediate à Parocho ad singulos actus suo modo ipsum delegante: Croix n. 1543. Putant Suar. Sanch. Lugo, Averfa, & alii, Parochum vi beneficii Parochialis approbatum esse jure communi Tridentini, tamquam publicum Ministrum Ecclesie;

elefiæ; unde inferunt, Parochum unius Diœceſis poſſe etiam in alia Diœceſi abſolvere illius Parochianos ex licentia tantum illius Parochi (modo non contradicat Epifcopus, ut addit Suarez diſp. 28. ſect. 4. n. 9.) quia ex jure communi Eccleſiæ habet approbationem, & ibi acquirit jurisdictionem ex delegatione illius Parochi. Probabiliter tamen contradicunt Layman. Gutierrez: Garzia, & alii, &c. quia ex diſpoſitione Tridentini videtur approbatus tantum à ſuo Epifcopo, cujus ſolius examen, & judicium requiritur. Illud videtur communius admiſſum, Parochum etiam extra Diœceſim poſſe audire confeſſiones ſuorum ſubditorum, juxta dicta, & mox ſuſius dicenda.

Quarto, Sacerdos ſive ſecularis, ſive regularis ad confeſſiones ſecularium indiget approbatione Epifcopi ex Tridentino cit. Quare non ſufficit approbatio Univerſitatis ad gradus Licentiati, Magiſtri, Doctõris, &c., quia Tridentinum requirit approbationem ab Epifcopi judicio provenientes. Nec ſufficit, eſſe ſemel approbatum in Urbe à Vicario Papæ, ut cenſeatur approbatus in toto orbe; quia Urbanus VIII. anno 1628. revocavit omnia Privilegia audiendi confeſſiones ſine approbatione ab Epifcopis Diœceſanis, & abſque examine factõ ab Ordinario.

Dubium eſt primo, A quonam Epifcopo fieri debeat hæc approbatio? An ſcilicet ab Epifcopo Pœnitentis, ut ait Sylveſter, an Confeſſarii, ut Suarez, an Loci, in qua fit confeſſio, ut Gutierrez, an demum à quovis Epifcopo, ſive Loci, ſive Confeſſarii, ſive Pœnitentis, ut Henriquez?

Equidem dico cum Lugo diſp. 21. n. 35., requiri, & ſufficere approbationem ab Epifcopo, qui ſit Ordinarius ipſius Confeſſarii, non quomodocunque, ſed in ordine ad hoc miniſterium audiendi Confeſſiones talium Pœnitentium: Ratio eſt, quia ſic optime verificantur verba Tridentini, & Decretorum ſubſequentium, ut mox patebit. Hinc quivis Sacerdos etiam Regularis, etiam Peregrinus, poteſt in hac Diœceſi approbari ab hoc Epifcopo ad Confeſſiones ſuorum Diœceſanorum; quia in ordine ad iſtos quivis Sacerdos poteſt hic ei ſubdi, tanquam ſuo ordinario, hoc ipſo, quod velit eos audire: ergo poteſt, ac debet ab illo approbari, cum ad illum ſpectet judicare de idoneitate volentis curare ſuas oves; & ſi deinde in hoc deliquerit, punire. Item Sacerdos Pere-

grinus, five secularis, five regularis ab hoc Episcopo approbatus, hoc ipso, quod egreditur extra hanc Diocesim, amittit approbationem; quia non amplius subditur huic Episcopo, à quo nec potest, si deliquerit, puniri. Similiter Sacerdos Diocesanus, five secularis, five regularis, hoc ipso quod mutat domicilium extra hanc Diocesim, amittit approbationem. At, si deinde redeat ad pristinum domicilium, eam reparat, si fuerat absoluta, necdum ab Episcopo revocata: Lug. loc. cit.

Dubium est secundo, An Confessarius secularis Diocesanus approbatus absolute quoad locum, si peregrinetur extra hanc Diocesim, possit ibi absolvere subditos hujus Diocesis pariter peregrinantes?

Communis sententia cum Suar. & Sanch. lib. 3. Matr. disp. 19. num. 8. contra Mattheucci, & alios paucos affirmat; quia etiam ibi manet subditus sui Episcopi approbantis in ordine ad tales Pœnitentes, & exercet jurisdictionem in foro conscientiae; & in iis, quæ fiunt sine strepitu judicii, non violatur jus alterius: Neque obstat primo responsum Sacræ Congregationis Episcopo Valentino, *Approbatum ab alio, quam à Valentino Episcopo, in Diocesi Valentina non censi approbatum ab Ordinario.* Nam, ut bene notat Lugo num. 42. hoc responsum intelligi debet juxta intentionem interrogantis, quæ erat ad confessiones illorum, qui subduntur Episcopo Valentino. Neque obstat secundo Constitutio Innocentii XII. *Cum sicut, &c. 19. Aprillis 1700. Confessarios, tam seculares, quam regulares, quicumque illi sint, nullatenus posse audire pœnitentes Bullæ Cruciatos sine approbatione Episcopi loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, & Confessarios eligunt; neque ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum Diocesum obtentam, etiamsi pœnitentes illorum Ordinariorum, qui tales Confessarios approbassent, subditi sint.* Non, inquam, obstat; nam hæc etiam intelligi debent secundum intentionem Episcoporum Portugalliæ, quorum querelis Pontifex hac constitutione respondet. Querelæ autem non erant, imo nec esse poterant, quod subditi alterius Episcopi peregrinantes in sua Diocesi absolvebantur vi Bullæ Cruciatæ à Confessariis illius Episcopi pariter peregrinantibus; quia id, etiam præcisa Bulla, erat communiter à Doctoribus admissum; & Episcopi ipsi ratum haberent, cum sic possent etiam ipsi extra suam Diocesim confiteri suo Confessario Diocesano absque approbatione alterius

alterius Episcopi. Quærelæ ergo erant, quod absque sua licentia sui subditi in sua Diœcesi, vi Bullæ Cruciatæ hispanico sermone traditæ, eligebant in Confessarium Sacerdotem per quemcunque alium ordinarium approbatum; & extra Diœcesim eligebant Regularem *Semel tantum* ab ipsis approbatum, etiam si ipsi repugnassent, vel approbationem revocassent; ut videre est apud Doctores tractantes de Bulla Cruciatæ apud Tamb. cap. 5. §. 4. num. 11. Remanet ergo integra sententia communis, quod possit Confessarius secularis Diœcesanus absolute approbatus audire extra Diœcesim Diœcesanum suum peregrinantem.

Dubium est tertio, an idem dici possit de Confessario Regulari Diœcesano pariter extra Diœcesim peregrinante?

Affirmant Ledesma, Peyrinus, Lugo num. 49. & alii, qui scripserunt ante Clementem X. Sed Constitutio Clementis X. *Superna*, &c. 2. Augusti 1670. ita statuit: *Religiosos ab Episcopo ad confessiones secularium approbatos non posse in alia Diœcesi eos absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati.* Adhuc tamen Platellius, Taberna, & alii apud Croix n. 1513. putant, Confessarium Regularem in una Diœcesi approbatum, dum iter agit per alias Diœceses, audire posse confessiones quorumcunque secularium in locis, in quibus Ordinarii non existunt, dummodo Parochi non repugnent, ex privilegio Gregorii XIII.; putant enim plures apud Dianam, Decreta Pontificum, quæ videntur talem facultatem revocare, tantum loqui de potestate audiendi confessiones permanentes, non autem transeunter. Verum, cum Clemens X. loquatur indefinite, & revocet qualiacunque data privilegia, non audeam hanc sententiam sequi.

Quinto, Ad approbationem pro confessione secularium non sufficit esse idoneum, & esse præsentatum Episcopo, sed requiritur ejus judicium tacite, vel expresse manifestatum. Hinc ab Alexandro VII. damnatur hæc Prop. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato; sed ab eo injuste reprobato.* Si ergo non satisfacit, ideo est, quia confessio est invalida, etsi bona fide accesserit: Doctores communiter. Hinc Episcopus potest approbare, vel absolute, vel limitate ad tempus, locum, aut personas: puta ad sex menses, in Cathedrali, pro viris tantum, &c.

Putant tamen Henric. Fagundez, & alii apud Dian. pag. 1. tr. II. r. 10. restrictionem approbationis v. g. pro viris tantum non valere, si fiat ex mero Episcopi arbitrio, & Sacerdos, præsertim regularis, sit absolute idoneus: sed communiter rejiciuntur, quia, sicut non est simpliciter Confessarius, qui etiam ex arbitrio Episcopi non est simpliciter approbatus, utut cæteroque sit idoneus, ita &c. Cæterum, licet Episcopus possit non admittere ad examen, si tamen admiserit, & repererit idoneum, peccat contra justitiam, si sine justa causa neget approbationem, quia intervenit quasi contractus: Lug. Gorm. & alii: & quoad Regulares ex Constit. Clem. X. cit. debet Episcopus Regularem repertum idoneum simpliciter approbare; nec potest iterum examinare, revocare, aut limitare priorem approbationem, quam ipsemet dedit (secus vero, si eam dederit suus Vicarius, vel Antecessor) nisi accedat nova justa causa ad confessiones pertinens. Nec potest, inconsulta Sede Apostolica, suspendere facultatem audiendi confessiones omnium simul unius Conventus. Denique Regularis simpliciter approbatus potest in ea Diocesi quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque, etiam infirmorum, confessiones audire absque ulla Parochorum licentia: tenetur tamen eorundem infirmorum Parochum illico certiore facere, saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. Hæc ex Constit. cit.

§. II.

Quid de Approbato ad Confessiones Regularium?

AD Confessiones Regularium exemptorum (uti hodie sunt fere omnes) non requiritur approbatio Episcopi, quia Tridentinum hanc tantum requirit ad confessiones secularium. Requiritur tamen approbatio, seu designatio Superioris regularis, qui ad confessiones suorum subditorum potest deputare quemvis Sacerdotem, etiam alterius ordinis, imo etiam secularem non approbatum ab Episcopo: Doctores communiter: Nomine Religiosorum veniunt hic etiam equites melitenses, secundum Sanch. contra Aversa: & ex praxi id eis conceditur Melitæ, negatur extra Melitam: Diana, Tamb. & alii.

Exten-

Extenditur hoc etiam ad Novitios, quia in favorabilibus communicant cum Religiosis: Sanch. & alii communiter: possunt tamen Novitii, etiam absque licentia Superioris (quod non possunt Religiosi) confiteri Confessario seculari, vel alterius Ordinis approbato ab Episcopo; quia in odiosis non communicant cum regularibus: Doctores communiter. Extenditur etiam ad seculares domus Religiosæ, *Qui inibi sunt veluti de familia, & continui commensales; non autem qui tantum illis serviunt*: excitata Constit. Clem. X. quæ, cum sit novissima in hac materia, ad eam reduci debent reliqua in hoc punctum privilegia. Itaque familiares domus Religiosæ non sunt Hospites, Ruricolæ, aliive ei inservientes, sed extra commorantes. Sunt vero Tertiarii, Oblati, Educandi, Famuli, etiam si Mercenarii, cæterique Seculares, et si solventes expensas, modo hi omnes intra septa Religiosorum degentes communi eorum tecto, & victu continenter utantur. Item Alumni, & Convictores in Seminariis Religiosorum, ut addit Bordonus, modo locus ille sit Religiosorum; secus vero, si immediate, & per se sit erectus in Seminarium, cui Religiosi ministrent, ut recte limitat Lug. l. 4. *Resp. Moral.* dub. 33. Tenentur tamen prædicti familiares ire ad Parochialem Ecclesiam pro communione Paschali, ex Decr. S. Congreg. 2. Febr. 1676. quamvis non desint, qui dicant oppositum de famulis, de quibus est privilegium bullatum concessum à Leone X. cui per Decretum S. Congreg. derogari non potuit.

Confessarius Regularium potest etiam extra Conventum, imo in quacunque Diœcesi peregrinetur, absolvere Regulares ejusdem Conventus pariter itinerantes; & similiter etiam Novitios, & Familiares ejusdem Conventus, quia Constitutio Clementis X. tantum id limitat de secularibus non familiaribus, Cespedes, & alii: imo Regularis (saltem Societatis Jesu) in itinere confiteri debet Socio ejusdem Ordinis, etiam si alias à Superiore non approbato; quia Superior tacite tunc illum approbat. Si vero non habeat Socium ejusdem Ordinis, poterit (nisi sit Carthusianus, aut Capuccinus) confiteri cuivis Confessario alterius Ordinis, vel etiam seculari approbato ab Episcopo; imo etiam simplici Sacerdoti, ut addunt Suar. Tamb. & alii, &c. contra Vasq. & alios, quia præsumitur Superior illum tacite approbare, si sit consuetudo, vel necessitas communicandi in via. Denique,

si talis Religiosus in itinere divertat ad aliquam Domum sui Ordinis, tenetur confiteri aut Socio itineris, aut uni ex Confessariis illius Domus, qui in quovis conventu esse debent duo, vel tres, aut plures, juxta numerum Religiosorum ex Decr. Urbani VIII. & usus est, ut in magno Conventu sint quatuor.

§. III.

Quid de Approbatis ad Confessiones Monialium?

UT dicatur quis approbatus ad confessiones Monialium, non satis est, eum esse generaliter approbatum ad omnes Christi-fideles; sed requiritur specialis approbatio, in qua fiat expressa mentio de Monialibus; imo approbatus pro uno earum Monasterio non censetur approbatus pro alio, & approbatus pro una vice non potest pro pluribus vicibus, nisi iterum approbetur. Doctores communiter ex Decreto Sacrae Congregationis confirmato à Gregorio XV. & Urbano VIII. & novissime ex citata Constitutione Clementis X. Addit Pellizarius, approbatum ad audiendam confessionem duarum, vel trium Monialium ex aliqua peculiari occasione non posse audire confessionem aliarum Monialium ejusdem Monasterii; quia approbatio est limitata.

Approbatio ad confessiones Monialium dari debet ab Episcopo Diocesano, etiamsi Moniales sint exemptae, seu subjectae regularibus ex citata Constitutione Clementis X. Ut autem audiri possint exemptae, praeter specialem approbationem Episcopi, requiritur etiam licentia Superiorum Ordinis, in quo est ista exemptio; quia Pontifices non intendunt derogare Constitutionibus, & Privilegiis Religionum, vbi quorum non possunt Regulares confiteri, nisi Confessariis ab eorum Superiore designatis: si autem non sint exemptae, sufficit sola specialis approbatio Episcopi, quamvis Superiores Ordinis nolent: Croix num. 1533.

Haec omnia procedunt de Confessario Monialium, sive ordinario, qui durat ad tres annos, sive extraordinario, qui bis, aut ter in anno offeratur ab Episcopo, & aliis Superioribus ex Trid. *sess. 25. cap. 10. de Regularibus*. Itaque, si Monasterium sit subjectum Episcopo, hic debet bis, aut ter in anno offerre extraordinarium; si sit subjectum Praelatis regularibus, ad hos spectat offerre, appro-

approbante Episcopo; quod si hi non offerant, potest de se assignare Episcopus: Pellizar. tr. 10. de Regularibus cap. 10.

Cæterum, Novitiæ, Educandæ, aliæve feminæ in Monasteriis Monialium commorantes, confiteri etiam possunt cuius Confessario generaliter approbato ab Episcopo; quia in odiosis non veniunt nomine Monialium; ob quam rationem Pellizarius cum aliis idem probabiliter dicit de Abbatissis, nisi obstet consuetudo. Et certum est, idem esse de iis, quæ vivunt in Conservatoriis, etiamsi ibidem votum emittant; quia Conservatoria non veniunt nomine Monasterii, aut Monialium. Idem demum est de Moniali, quæ cum licentia degit extra Monasterium, quia Constitutio Clementis X. intelligitur de Monialibus in Monasterio degentibus: Croix, & alii.

§. IV.

Quid de Approbatis ad Confessiones Privilegiatorum?

PRIVILEGIATI hic sunt, qui, five à jure, five à consuetudine, five ab homine habent facultatem eligendi sibi Confessarium non approbatum ab Ordinario.

I. A jure hoc habent Episcopi, ex cap. *Ne pro dilatione, &c. de Pœnit. & Remiss.*; etiamsi sint Episcopi tantum titulares, vel tantum confirmati; imo etiamsi sint excommunicati, suspensi, aut depositi, cum neque sic priventur dignitate, neque adeo ejus privilegiis; secus vero, si sint degradati, aut nondum confirmati, licet sint electi: Pasqual. dec. 87. Cæterum, Episcopus sic eligendo approbat; ideoque potest Episcopus v. g. Neapolitanus, etiam existens in Diœcesi Nolana, eligere sibi Sacerdotem Neapolitanum, cum possit etiam ibi eum approbare; imo etiam potest ibi eligere sibi Sacerdotem Capuanum approbatum tantum à suo Episcopo; quia ille est vere approbatus idoneus, & ipse ex vi privilegii potest sibi eligere Sacerdotem idoneum, nec ibi est alius Ordinarius, ad quem spectat de hoc ei providere, Lug. d. 21. n. 38. At non potest ibi eligere Sacerdotem five Nolanum, five Capuanum non approbatum à suo Episcopo; quia ibi non potest ei dare approbationem ex Decr. Sacr. Congr.; quidquid dicant Pasqu. & alii, quod tale Decr. non sit in forma authentica.

A

A jure etiam privilegium habent Prælati minores exempti, ex text. cit. ut sunt Abbates exempti, non autem Abbatissæ exemptæ: item Vicarii Generales Episcopi: item Prælati Curia Romanæ, ut Auditores Rotæ, Clerici Camera Apostolicæ, Magister Sacri Palatii, &c. Quamvis, ut notat Dian. non audeant uti privilegio. Hoc certe non habent Parochi, ut constat ex Prop. ubi damnata ab Alex. VII. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Ratio est, quia non sunt exempti: à jure etiam privilegium habent Superiores Regulares, ex text. cit. apud Pasqu. qui etiam id concedit eorum Vicariis; sed quidquid fit de aliis Religiosis, id certe non competit nostris Oeconomis, nisi sint Vice-Rectores.

II. Ex consuetudine, vel etiam à jure, ut addunt Abbas, & alii, &c. hoc privilegium habent Cardinales, etiam si non sint Episcopi; quia habent jurisdictionem Episcopalem in suis Ecclesiis titularibus; &, cum sint Prælati univ. Ecclesie, possunt, sive Romæ, sive alibi commorentur, eligere sibi non approbatum ab Ordinario. Imo, cum Cardinales sint Ordinarii propriae familiae, possunt unicuique de familia providere de Confessario, vel tribuere facultatem eligendi sibi Sacerdotem idoneum; talis enim concessio est simul approbatio. Ex consuetudine etiam, tacitaque approbatione Ecclesie possunt Reges, & Principes Absoluti eligere sibi in Confessarium Sacerdotem simplicem, ubicunque fuerint: sed id ad eorum familiam non extenditur; Buf. & alii, &c.

III. Ab homine privilegium habere possunt ii, quibus Pontifex, vel Episcopus concesserit. Hi autem nunquam concedunt, ut possint eligere Confessarium non approbatum; imo, si Episcopus id concederet, invalide concederet; quia non potest dispensare in jure Trident. Ita Suarez d. 28. s. 3. Cæterum, qui habet Bullam Cruciatæ, nullam habet in hoc speciale privilegium, ex Constitut. Innoc. XII. cit. §. i. idemque est de Bulla Jubilæi.

Hinc inferitur, Approbatum pro viris tantum non posse tempore Jubilæi audire confessiones mulierum: Suar. Lug. & alii contra alios apud Dian. An autem tempore Jubilæi possint Regulares absque licentia Superioris eligere sibi Confessarium approbatum tantum ab Episcopo? Affirmant Lug. Pelliz. Fill. & alii; quia in Bulla Jubilæi Por-

Pontifices derogant privilegiis omnibus in oppositum, etiam si speciali mentione dignis: sed melius negant Rodriguez, Reginald. & alii; quia cap. 1. de Privilegiis prohibetur, ne quis Religiosos absolvat invitis suis Superioribus. Idem à fortiori dicunt Faustus, Pelliz. & alii contra Bonac. Peyrin, & alios, &c. de Monialibus; quia, sicut approbatus pro viris tantum non potest tempore Jubilæi eligi à Mulieribus, ita nec à Monialibus, qui non est specialiter approbatus pro illis.

QUÆSTIO II.

De Officio Confessarii.

CONFESSARIUS quadruplex gerit Officium, Ministri, Judicis, Medici, & Doctoris, ex Trid. *sess. 14. de Pœnit. c. 2. 5. 6. & 7.* Hinc plures habet obligationes, nimirum probitatis, & scientiæ: item admittendi, ac docendi Pœnitentem: item injungendi Pœnitentias, Restitutiones, Denunciationes, Juramenta, & Ecclesiasticam Sepulturam. Porro de Pœnitentiis, necnon de Restitutionibus nihil hic, cum abunde dictum de eis sit propriis locis. De cæteris hic agendum. Itaque sit

CAPUT I.

Quid de probitate Confessarii?

PRÆCIPUA Ministri Sacramenti Pœnitentiæ dos est *Vita integritas, ac morum honestas*, ex cit. Constit. Clem. X. Maxime requiritur status gratiæ, dum absolvit: hinc

Quæres primo, Qualiter peccat Confessarius ministrans hoc Sacramentum in statu peccati mortalis?

Respondeo, Committere grave sacrilegium, utpote qui agit ut Minister Christi specialiter consecratus, adeoque est reus gravis irreverentiæ in Sacramentum; ejusque auctorem, cujus nomine conficit Sacramentum, & confert Gratiam: ergo omnino illicite, quamvis valide operatur: Doctores communissime.

Quæres secundo, Quid agere debeat talis Confessarius, si petatur ad audiendas confessiones?

Respon-

Respondeo, Non teneri determinate ad confitendum suum peccatum; teneri tamen vel confiteri, vel elicere actum contritionis juxta dicta d. l. q. l. c. 5. Si autem incipiat audire confessionem, & se conterat, antequam absolvat, per se loquendo, non videtur peccare, quia dum audit, nondum operatur, ut Minister Christi, seu nondum causat gratiam: Henr. Lug. Dian. Tambur. & alii contra Suarez, Arriag. Gon. & alios; per accidens tamen peccat, si nimirum temere, & imprudenter differt suam contritionem ad illas angustias temporis, quia se exponit se periculo non bene tunc conterendi. At, si vocetur ad audiendam confessionem alicujus mox morturi, & ob angustias temporis non possit sine magna difficultate se recolligere ad conterendum, non peccat, si non conterat; quia defectus contritionis in tali casu non imputatur illi, sed extremæ necessitati alterius; imo peccaret contra charitatem, si tunc non absolveret: Tamb. Lugo, & alii.

Quæres tertio, An Confessarius ligatus censura peccet absolvendo, si per contritionem se ponat in gratia?

Respondeo affirmative, loquendo extra casum necessitatis, & de censura impediente actum Ordinis, & Jurisdictionis: qualis est excommunicatio major, suspensio ab officio, & interdictum personale speciale: & invalide quidem absolveret, si hæc censuræ essent vitandæ. Si vero non sunt vitandæ, illicite tantum, & quando se ingereret; si enim non se ingerat, sed esset requisitus, valide, & licite absolveret: Doctores communiter, ex Concil. Constant.

C A P U T II.

Quid de Scientia Confessarii?

CONFESSARIUS ea scire debet, quæ ad officium suum pertinent; ita ut mortaliter peccat, si sine debita scientia extorqueat licentiam audiendi confessiones, aut hanc exerceat extra articulum mortis: & similiter peccat Superior, qui scienter ipsum eligit, tolerat, aut permittit; quia exponitur periculo non rite administrandi hoc Sacramentum: Doctores communiter. Igitur, ut licite ministret Confessarius, triplicem habere debet scientiam, Habitualement, Actualement, & per interrogationes acquisitam.

§. I.

Quid de Scientia Habituali?

ANTEQUAM ad audiendas confessiones accedat, tria scire debet Confessarius: Primo, Quæ pertinent ad seipsum, quam scilicet habeat potestatem, in quos pœnitentes, ad quæ peccata, ad quos casus, & censuras, & quænam sit formula absolutionis? Quare scire debet saltem in confuso, quot sint casus, & censuræ, à quibus ob reservationem nequit ipse absolvere, de quibus agendum q. seq. Secundo, Scire debet, quæ pertinent ad Pœnitentem, quo scilicet examine, dolore, ac proposito debeat esse dispositus, qua integritate confessionem instituire debeat, quam pœnitentiam pro qualitate peccatorum, & personæ subire debeat, de quibus actum est disp. anteced. Tertio, Scire debet, quæ pertinent ad ipsa peccata, quænam scilicet habent onus restitutionis, aut satisfactionis parti, denunciationis, aut alterius obligationis; quænam ex se sint mortalia, quænam venialia, unde discerni possint eorum species, & circumstantiæ mutantis speciem, de quibus partim actum est etiam disput. anteced. partim agendum infra.

Quæres primo, An talium scientia sit in Confessario requisita tum ad licite, tum ad valide absolvendum?

Respondeo, Requiritur tantum ad licite absolvendum, dummodo sciat formam essentialem absolutionis, quia valor Sacramenti satis habetur, si ponatur à pœnitente materia proxima, & à Confessario forma cum debita intentione; & ad hoc sufficit, si Confessarius sciat formam essentialem, & peccatum sub ratione saltem confusa peccati, ut patet in articulo mortis, in quo quilibet indoctus Sacerdos moribundum valide absolvit: Suar. d. 28. f. 2. n. 12. & alii communiter contra Boss. putantem, invalide absolvere, qui ignorat distinguere inter mortale, & veniale. Si autem sit ita indoctus, ut ne sciat quidem rationem confusam peccati, invalide absolvit, quia non potest habere intentionem absolvendi, quod ne confuse quidem agnoscit: Tamb. c. 6, n. 6. addens, hunc casum esse difficilem, nisi is sit mente læsus.

Quæres secundo, Quanta debeat esse talis scientia in Confessario ad licite ministrandum hoc Sacramentum?

Respon-

Respondeo, Non requiri scientiam summam; imo hæc aliquando est minus utilis, quam scientia mediocris conjuncta cum naturali judicio, & praxi; quia, qui subtiliter vult omnia revocare ad apices theologiæ, sæpe seipsum, & pœnitentem implicat scrupulis, redditque odiosam Confessionem: Croix n. 1787. Satis ergo est scientia mediocris, qua ita in communi cognoscat, que frequenter in Confessionibus occurrunt, ut de aliis minus frequentibus saltem dubitare possit, sicque ea, vel ex libris, vel ex aliis Doctoribus sciscitari possit; quia secus nullus reperiretur aptus ad confessiones, cum nullus fere cognoscat omnes peccatorum rationes, & omnes casus difficiliore: Suarez d. 28. f. 2. Bon. & alii. Addunt etiam communiter Doctores, majorem scientiam requiri in Confessario pro Civitate, quam pro oppido, rure, &c. quia majores, & magis impliciti sunt ibi casus, quam hic; item majorem in Confessario Ecclesiasticorum, quam tantum laicorum, quia ibi requiritur scientia etiam suspensionum, irregularitatum, &c. Cæterum, si Confessarius ipse dubitet, se non habere scientiam suo muneri sufficientem, deponere potest dubium, dum videt se rite approbari ab Ordinario: Bon. Tamb. & alii. Addunt demum Gob. t. 7. n. 321. & alii communiter, Confessarium debere scire plures sententias oppositas, quæ tamen solide sint probabiles, circa materias morales, quia sæpe, ubi non agitur de valore Sacramenti, non potest, nec expedit dirigere pœnitentem secundum unicam sententiam; sicuti nec Medicus potest omnes unica methodo curare. Tenetur autem sequi eas sententias, quæ, salvo valore Sacramenti, sunt utiliores pœnitenti; &, si sic possit, debet sequi probabiliores, ad magis vitandum periculum erroris etiam materialis: quare, si pœnitens sit paratus, eas sequi debet etiam Confessarius; sin minus, poterit se accommodare opinioni illius, juxta dicenda quæst. 4.

Quæres tertio, An peccat pœnitens, qui de industria quærit Confessarium minus doctum?

Respondeo affirmative; quia talis Confessarius nequit ei utiliter mederi: Suarez d. 27. f. 2. Præp. Dian. Tambur. & alii; secus vero, si non de industria; nam præsumere semper debet, omnes Confessarios expositos sufficienter esse doctos: quare, nisi contrarium tibi constet, potes pro libito mutare Confessarium, si forte ob ver-

cundiam

cundiam nolis confiteri tuo ordinario, dummodo vere doleas, & proponas emendationem; quia uteris jure tuo; adeoque non est fraus ulla, aut dolus malus. Hinc monent communiter Doctores cum Bosc. d. 7. c. 7. n. 172. Confessarios non debere ita arctare pœnitentem, ut sibi tantum confiteatur; hoc enim esset tyrannice sibi usurpare libertatem à Christo omnibus pœnitentibus exhibitam, inquit Sanchez; quare, etsi sit valde expediens semper uni confiteri, tamen relinquenda est talis libertas, ne detur occasio sacrilegii; cum infirmum pœnitentem sæpe pudeat aliquid fateri suo ordinario, ne bonam æstimationem apud eum perdat.

§. II.

Quid de Scientia actuali?

SCIENTIAM actualem voco, quam habere debet Confessarius hic & nunc ex ipso pœnitente, audiendo ejus confessionem; quæ scientia consistit in attentione ad peccata, quæ affert pœnitens, & in judicio, quod de his ferre debet ipse Confessarius. Hinc

Dico primo: Peccat Confessarius, si audiendo confessionem non attendat ad peccata pœnitentis: Doctores communiter cum Suar. d. 28. s. 2. Ratio est, quia debet ferre sententiam per modum judicii, adeoque cum cognitione causæ: ergo debet, quantum moraliter fieri potest, ad omnia peccata pœnitentis attendere: uti debet pœnitens omnia, & singula ei dicere: peccat ergo, si eum absolvit, cujus peccata ob negligentiam non satis intellexerit; valide tamen absolvit, si propter somnum, aut aliorum cantum, aut animi distractionem, aliqua mortalia non intellexit; quæ tamen, si pœnitens postea sciat non fuisse tunc audita, tenetur iterum confiteri apud eundem, aut alium Confessarium ad integritatem confessionis servandam: Doctores communiter. Hinc specialiter cavere debet Confessarius, ne inter audiendum dormitet, ne distrahatur, ne omnino obliviscatur peccatorum, antequam injunxerit pœnitentiam. Si autem casu distrahatur, & ob notam sibi conscientiam pœnitentis præsumere possit id, quod non intellexit, esse quid leve, nec possit sine ejus molestia interrogare, potest tacere, & absolvere. Imo addit Gob. t. 7. n. 239.

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. Cc quod.

quod, si per experientiam sciat, suum pœnitentem non solere committere mortalia, sed tantum se accusare v. g. de mendaciis possit illum absolvere, etiamsi ob distractionem non sit memor ullius peccati ab eo expressi: sed pro praxi expedit, ut jubeat repeti unum saltem veniale, puta ultimum, & sic absolvat.

Quæres, Quomodo Confessarius debeat recordari peccatorum pœnitentis, dum eum absolvit?

Respondeo, Si confessio fuerit valde longa, vel interrupta, satis esse, si recordetur, vel peccatorum in confuso, vel status pœnitentis, vel pœnitentiæ impositæ; & sic, si confessio fuerit interrupta per aliquot dies, sufficit, si pœnitens uno verbo dicat, *Accuso me de omnibus, quæ jam dixi* (addendo tamen alia, si forte de novo occurrerint) Ratio est, quia hæc sufficiunt Confessario ad iudicium, vel absolutionem ferendam: Suarez d. 22. s. 6. in fine. Imo, si Confessarius pœnitentiam jam imposuerat, non est necesse, quod recordetur peccatorum, aut status pœnitentis, aut pœnitentiæ impositæ, dum actu absolvit; quia status ille recolendus fuerat ad formandum iudicium, & taxandam pœnitentiam; ergo satis tunc erit recordari, quod ille fuerit sibi confessus, & iudicatus dignus absolutione: Suar. ibidem. Si autem, quando audiebat confessionem, non habebat jurisdictionem, non audiebat ut Judex; ideoque debet repeti confessio saltem in confuso dicendo, *Me accuso de illis, quæ jam tibi dixi*; quia sic Confessarius poterit resumere cognitionem peccatorum, vel status pœnitentis: v. Tamb. l. 3. Conf. c. 2.

Dico secundo: Debet Confessarius formare iudicium de auditis in confessione, antequam absolvat; non tamen tenetur iudicare de singulis peccatis in particulari: Doctores communiter cum Suarez d. 20. s. 2. Bonac. & aliis. Ratio primæ partis est, quia tenetur taxare debitam, ac proportionatam pœnitentiam: ergo debet prius facere iudicium de merito causæ. Ratio secundæ partis est, quia multoties nequit ferre iudicium determinatum in hoc vel illud peccatum pœnitentis, an fuerit mortale, an veniale; sive quia pœnitens nequeat se melius explicare; sive quia discerni nequeat, an adfuerit plena advertentia, plenus consensus, &c. sive demum quia ipse Confessarius ignoret omnes rationes, & circumstantias peccatorum in particulari, ad quod ex dictis non

non tenetur, sed sufficit, si sciat communiter, quæ sint mortalia, quæ venialia, ut possit debitam pœnitentiam, & remedia prudenter humano modo injungere; sic enim virtualiter fert iudicium eo modo, quo ea potuit cognoscere: Bon. Tamb. & alii.

Hinc, si post datam in tali casu absolutionem Confessarius, vel Pœnitens, re melius considerata, advertat, esse veniale, quod absolutum fuit, ut mortale, ad nihil tenetur; si advertat esse mortale, quod absolutum fuit ut veniale, tunc, si Confessarius poterat illud mortale absolvere, ad nihil etiam tenetur; quia fuit directe absolutum; si vero non poterat absolvere, utpote reservatum. &c. tenetur pœnitens illud iterum confiteri, ut absolvatur directe; ut & Confessarius eum monere de hoc debet, juxta infra dicenda. Cæterum, si pœnitens confitendo asserat casum difficilem, quem Confessarius nequeat hic & nunc resolvere, potest primo Confessarius adjuvari ab ipsomet pœnitente, si is satis pius, & doctus sit, cujus iudicio stare possit; præsertim quando casus est de professione, quam pœnitens peritus exercet, ut si sit peritus mercator, poterit Confessarius ei fidem dare dicenti v. g. talem contractum non continere usuram, &c. Secundo, Potest differre absolutionem, donec libros consulat, vel doctiores interroget de casu tacita persona, quod sit præsertim in casibus pertinentibus ad jus: Tertio, Si agatur de restitutione, satisfactione partis, &c. poterit etiam tunc absolvere, si pœnitens promittat, se facturum quidquid deinde iudicatum fuerit: Bonac. & alii.

§. III.

Quid de interrogationibus Pœnitenti à Confessario faciendis?

Dico primo: Confessarius non tenetur interrogare pœnitentem, si sciat, eum bene nosse quid requiratur ad validam confessionem: Doctores communiter. Ratio est, quia obligatio Confessarii ad interrogandum succedit ad defectum pœnitentis: ergo, &c. Hinc pœnitentes, qui prudenter existimantur docti, ut Religiosi, Sacerdotes, alique in Theologia versati, non sunt facile interrogandi, nisi manifestum sit omitti, vel non

facile discerni aliquod necessarium. Imo, si vir doctus in aliis peccatis addat circumstantias, numerum, &c. & in uno aliquo hæc omittat, præsumi potest, quod in ejus commissione, vel non advertit ad tales circumstantias, vel non apprehenderit ut mortale.

Dico secundo: Confessarius tenetur interrogare penitentem, si advertat, eum deficere in integritate confessionis, aut ignorare, quid requiratur ad ejus valorem, &c. Doctores cum D. Th. contra Med. Sot. Henr. Vasq. & alios putantes, non teneri interrogare eum, qui se examinavit, nisi quando cederet in detrimentum tertii. Ratio communis sententiæ est, quia Confessarius, ut Judex, cognoscere debet causam penitentis secundum omnia mortalia, numerum, species, & circumstantias mutantem speciem, quæ penitens tenetur ei dicere, ejusque sententiæ submittere: ergo, si advertat penitentem in his deficere, tenetur interrogare, etiam si penitens sit Princeps, Imperator, &c. Similiter tenetur interrogare peccata omissionis spectato statu penitentis, si advertat, eum ad hæc non animadvertere; & similiter interrogare tenetur, si advertat, eum deficere in dolore, &c. ideoque etiam penitentem sæpe lapsum post ultimam confessionem tenetur interrogare de consuetudine præterita, occasione proxima, &c. juxta dicta d. i. q. 4. Cæterum pro praxi fit hæc regula: Confessarius non tenetur exactius interrogare, quam teneatur penitens se examinare. Hinc

Infers primo, Confessarium post moralem diligentiam in interrogando non teneri amplius interrogare, etiam si putet, quod, si plus interrogaret, plus nosceret, aut distinctius intelligeret tale peccatum; ideoque non expedit minutissimis interrogationibus torquere penitentem, sed humano modo, quamvis omittenda sit aliqua differentia, aut numerus alias aperiendus: Tamb. & alii.

Infers secundo, Non teneri, nisi leviter interrogare, si timeat, vel sibi, vel penitenti aliquod periculum peccati exactius examinando; quia præceptum integritatis materialis non obligat, si impleri non possit sine periculo, scandalo, aut gravi molestia. Hinc caute procedendum in peccatis præsertim carnalibus, ut non instruat penitentem ad peccandum, ut inquit D. Thom. ne Confessarius ipse, maxime si juvenis sit, scandalum pariat, vel de seipso suspicionem faciat, ut ait Gob.
Quare,

Quare, si spectatis omnibus prudenter iudicet Confessarius interrogandum de peccatis carnalibus, utatur formulis, quoad fieri potest, honestis, & primo interroget de verbis; si pœnitens neget, & sit puer, vel puella, plerumque non opus est ulterius procedere. Si affirmet, interroga, quo sine hæc dixerit, & si fateatur finem pravum, interroga, quid inde fecerit, & sic deinceps procedendo ad opera: si enim non sic interrogentur pueri, sæpe tacebunt. Sæpe etiam homines rudes interrogandi sunt de cogitationibus pravis, quia plerumque putant, quod non sint peccata. At non facile interrogas conjuges de debito conjugali: sed, si prudenter suspicaris, quod illud denegent, quære, an inter se sint unanimes, & si rei sint, facile erumpent.

Infers tertio, Interrogationem debere esse discretam, spectato statu, sexu, ætate, qualitate, natura, & viribus pœnitentis: ideoque minus interrogandus est æger, quam sanus, ne nimium fatigetur; magis rusticus, quam civis, quia rudiores minus sciunt confiteri; magis qui è longo tempore, quam qui brevi non est confessus; magis qui plura peccata, quam qui pauciora solet afferre, quia hic facilius recordatur. Sæpe etiam ex circumstantiis personæ oritur motivum interrogandi, ut si homo alias innocens dicat, se habuisse delectationem morosam, est interrogandus, an voluntariam, an cum plena advertentia; secus vero, si assuetus sit rebus venereis. Denique complicum nomina nullatenus requirat, ne sub prætextu quidem, quod velit, aut possit eis prodesse.

Infers quarto, Pœnitentem rudiolem ordinarie interrogandum, an sciat articulos fidei, quando ultimo sit confessus, an aliquid tunc omiserit, an tunc doluerit, an pœnitentiam expleverit, & an sit ligatus matrimonio: si incidat dubium, an prior Confessarius satis illum examinaverit, præsume satis examinatum, nisi clare deprehendas oppositum, quia præsumi debet officium suum bene explevisse: Gob. t. 7. n. 321. An autem possit Confessarius supplere defectum pœnitentis, qui nihil se examinavit, dictum est d. 1. q. 2. c. 1. ubi id fieri tantum posse diximus, cum pœnitens est ita rudis, ut nequeat seipsum examinare.

Infers demum, Confessarium teneri interrogare pœnitentem tacentem mortale, quod clare commisit, dummodo

modo advertat, tale silentium oriri ex malo examine, aut verecundia. At quid, si ille interrogatus neget? Dico, si Confessarius scit illud peccatum ex aliorum relatione, potest dissimulare, & absolvere, quia in tali casu pœnitentis potius dicto stare tenetur, cum non sit major ratio credendi aliis; si vero ipsemet Confessarius illud vidit; tunc, si non constat, eum scienter, & deliberate peccasse, nec alias confessum fuisse, nec habere causam rationabilem negandi, potest etiam absolvere, quia in dubio quilibet debet præsumi bonus, atque ideo recte dispositus, nisi contrarium clare constet: si vero Confessarius sciat evidenter, quod peccatum commiserit, & quod alias confessus non sit, & quod non habeat rationabilem causam negandi, non potest absolvere, quia tunc constat, absolutionem esse nullam: Suarez d. 32. f. 3. & alii: sed, ut bene Tambur. rarissima est talis evidèntia, ideoque regulariter videtur danda absolutio.

CAPUT III.

Quid de obligatione admittendi, & docendi pœnitentem?

VIDENDUM, Quis Confessarius, & Quoties teneatur admittere pœnitentem ad confessionem, ejusque ignorantiam docendo, ac monendo tollere? Sit

§. I.

Quid de Confessario admittente Pœnitentem ad Confessionem?

DICO primo: Parochus, aut alius habens ex officio curam animarum, regulariter tenetur sub gravi admittere subditum ad confessionem toties, quoties subditus vult ei confiteri: Doctores communiter cum Suarez d. 32. f. 1. n. 4. contra Med. Armil. Reginal. & alios paucos. Ratio est, quia Parochus tenetur ex justitia ministrare Sacramenta suis subditis, ideoque dicitur Confessarius ex officio: ergo regulariter toties tenebitur, quoties subditus petierit ei confiteri. Dixi *Regulariter*; nam non peccat, si tunc temporis detineatur gravioribus negotiis, ita ut nequeat illius confessionem excipere; neque,

que, si subditis irrationabiliter petat, aut si non expediat ejus saluti, ut accidit cum scrupulosis, qui sæpius redeunt ob inanes apprehensiones: excusant tamen à mortali Nugnus, & alii Parochum, qui semel, aut iterum deneget confessionem petenti etiam rationabiliter, quod nec improbat Bonac. d. 5. q. 7. p. 4. n. 23. modo sciat, illum non solere confiteri nisi venialia, & importune, & nimis frequenter confiteri velit; quia habenda est etiam ratio aliorum negotiorum, & obligationum, quibus premuntur Parochi, ut notat etiam Suar. Ex qua ratione à fortiori excusatur Episcopus, cum habeat universalis regimen, & quamplura negotia, quibus passim detinetur; ideoque, si petatur à subdito, potest (præcisa gravi necessitate) eum remittere ad Parochum, vel ad alium substitutum, ut audiatur: Bon. ib.

Infers ex dictis, Parochum tempore pestis non posse populum suum deserere, nisi alteri æque idoneo officium suum cum consensu Episcopi committat, aut resignet: Laym. Val. & alii communiter. Si autem tunc sit solus, potest deserere, quem prudenter putat non esse reum mortalis, ut se servet incolumem pro aliis indigentibus confessione; ideoque etiam curare debet, ut ex loco libero, seu aere non infecto eorum confessiones audiat, & tunc pœnitens peste affectus dicere publice potest unum tantum veniale, juxta dicta q. 1. c. 1.

Dico secundo: Reliqui Confessarii, qui non habent ex officio curam animarum, non tenentur admittere ad confessionem pœnitentes, nisi in extrema necessitate: Doctores communiter. Ratio est, quia hi non sunt Confessarii ex officio, sed voluntarii: ergo liberum ipsis est, quos volunt, & quando volunt, ad confessiones admittere; nisi urgeat præceptum charitatis: puta, si peccator moriturus sit, nec adsit Parochus, à quo absolvatur; idemque est, si populus laboret peste, nec adsit Parochus, aliusque Confessarius, in quibus casibus tenetur etiam simplex Sacerdos assistere, quia *Debemus pro fratribus animam ponere*, Joan. Ep. 1. Si autem simplex Confessarius suscipit curam alicujus pœnitentis, quem existimat dignum frequenti communione, & is petat confiteri, quoties communicat, agit saltem contra consilium si non admittat, inquit Jo. Sanch. d. 31. n. 12. imo etiam contra decretum Inn. XI. *de Communionem quotidiana*, inquit Croix l. 6. p. 1. num. 670.

§. II.

Quid de Confessario Penitentem docente?

SI Confessarius advertat pœnitentem ignorare mysteria necessaria fidei, tenetur ante omnia eum docere, vel absque absolutione remittere ad Parochum, ut addiscat, juxta dicenda q. 4. Si advertat, eum ob ignorantiam, sive culpabilem, sive inculpabilem accedere indispositum, tenetur ante omnia docere, ac disponere, quia tunc proprie debet agere munus Doctoris. Cæterum homines bene educati, & qui frequenter confitentur, prudenter supponuntur scire hæc omnia; ubi tamen esset prudens ratio dubitandi, tenetur Confessarius docere. Difficultas est, quando pœnitens accedit cum ignorantia inculpabili circa tale, vel tale peccatum, vel circa obligationes inde sequentes? Qua in re

Dico primo: Si talis ignorantia est contra pœnitentem, tenetur Confessarius eum docere: Sanch. l. 2. *Matrim.* d. 38. num. 5. Tamb. Franc. & alii communiter. Ratio est, quia secus maximum pœnitenti damnum enascetur: v. g. si Confessarius advertat, pœnitentem putare aliquid, quod aliquando fecit, esse peccatum, quod in se tale non est; vel esse mortale, quod tantum est veniale; debet dedocere talem errorem, ne ob conscientiam erroneam pergat sic peccare.

Dico secundo: Si ignorantia inculpabilis fit in favorem pœnitentis, per se loquendo, tenetur etiam Confessarius eum docere: Sanch. loc. cit. & alii communiter. Ratio est, quia tenetur Confessarius, per se loquendo, cavere peccata etiam materialia pœnitentis: v. g. si is putet, aliquid non esse peccatum, quod in se peccatum est; & sic speciatim est docendus, qui laborat ignorantia turpitudinis, quæ reperitur in mollitie, si eam committat; nam vix est in hoc ignorantia invincibilis: &, quamvis esset, tamen prudenter judicari potest, admonitionem profuturam; adde quod ignari hujus malitiæ facile alios seducunt, aut pessimum habitum inducunt, quam postea difficile emendant. Dixi, *Per se loquendo*; nam per accidens aliquando præstat tacere, si nimirum prævideat, pœnitentem, ignorantia ablata, satis difficulter emendandum; quia minus malum est millies peccare materialiter, quam semel formaliter: Suar. Vasqu. Sanch. Con. & alii plusquam 48. Docto-

Doctores apud Dian. p. 3. t. 4. r. 80. contra Gonzal. Elizald. aliosque probabilioristas. Neque dicas, talem non esse dispositum, cum non sit paratus implere omnem Dei legem; nam ratione ignorantia invincibilis est pro nunc rite dispositus, & paratus implere omnem Dei legem, quam cognoscit, & aliunde nulla est necessitas explicandi aliam legem, quam prævidetur difficillime observaturus: hinc D. August. citatus cap. *Si quis autem, de Pœnitent. d. 7.* ait, *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, te non terrerem.*

Hinc, si Confessarius prudenter judicet, pœnitentem ignorantem invaliditatem sui matrimonii adhuc remanensurum in eo, si aperiat impedimentum, expedit non aperire, nisi interrogetur, nec sit in promptu dispensatio, ex dicendis de Matr.; idque verum est, etiam si pœnitens sciat, se contraxisse illicite, non autem invalide: Tamb. & alii. Similiter, si prævideat confessarius, pœnitentem non restitutum, si ei aperiat obligationem, quam habet, sed ignorat, neque expedit aperire, si non interrogetur, etiam si id sit in præjudicium tertii; quia frustra erit talis admonitio, & nocens potius pœnitenti: Sanch. num. 7. Tamb. & alii. Addit Lug. d. 22. f. 2. n. 30. hæc procedere, etiam si putares quidem, pœnitentem suscepturum admonitionem, sed tamen remedium esse difficillimum ratione infamiae, scandali, &c. quia majus est tale damnum, quam peccatum materiale: & similiter, si putares, pœnitentem nunc difficile accepturum remedium, sed alia vice melius accepturum, poteris nunc eum relictum in bona fide absolvere. At, si nesciat, vel dubitet, an sua admonitio profutura sit pœnitenti, an damnum allatura; tunc comparanda est utilitas, quæ sub eo dubio speratur, & damnum, quod sub dubio timetur; atque illud fiat, quod magis præponderare in Domino judicabitur: Tamb. & alii.

Dico tertio: Si pœnitens prudenter dubitans interroget Confessarium de re aliqua, an sit peccatum, vel an ad aliquid obligetur, necne; per se loquendo, tenetur Confessarius aperire veritatem: Sanch. & alii communiter. Ratio est, quia, si tunc taceret, illud silentium esset erroris approbatio, quod nunquam licet. Dixi primo, *Prudenter dubitans*, nam, si sit merus scrupulus sine fundamento, posset non responderi, quia non tollitur bona fides, ut explicat Sanch. num. 51. Dixi secundo, *Per se loquendo*, quia, si veritas esset pœnitenti, vel aliis

gravius obfutura, adhuc posset Confessarius dissimulare, quasi non audivisset, aut oblitus esset respondere; quia tunc dicere veritatem esset gladium illi porrigere, quo se, vel alium formaliter jugularet: Lug. apud Arr. Tann. Dicast. & alii. Ad quid autem teneatur Confessarius, si, cum deberet, non admonuit poenitentem de restitutione facienda, vide in Tract. de Restit. dicta d. 1. q. 5. c. 6. quæsit. 2.

CAPUT IV.

Quid de obligatione monendi Poenitentem ad denunciationem?

IN multis tenetur Confessarius monere poenitentem ad denunciandum, & primo in impedimentis dirimentibus matrimonium, juxta dicenda in Tract. de Matrim. Secundo, In monitoriis contra scientes, & non revelantes, juxta dicenda in Tract. de Censuris: Tertio, In delictis pendentibus in damnum tertii, communitatis, aut innocentium, juxta dicta de Charitate proximi tract. 2. d. 2. q. 1. c. 2. §. 6. Quarto, Præcipue monere debet de obligatione, quam habet poenitens sub pœna excommunicationis ipso factò reservatæ Papæ, si intra 12. dies (nunc intra mensem ex Decr. Congr. Generalis Inquisit. 1677.) à scientia delicti non denunciaret hæreticos (modo non sint publice tolerati, etsi commixtim vivant cum Catholicis) vel quomodolibet suspectos de hæresi, ex præcepto Inquisit. Generalis Cardin. ann. 1623. Quinam autem sint hujusmodi suspecti de hæresi, fuse habes tr. 2. d. 1. q. 1. c. 2. §. 4. de *Suspectis de hæresi*, ubi etiam circa finem habes, quid de libris tantum contra bonos mores? Porro de libris hæreticorum recurret fusior sermo q. seq. in Append. ubi de casibus reservatis in Bul. Cœn. Jam vero de Confessariis sollicitantibus; proindeque denunciandis, quoniam hic proprie locus, idcirco de iis hic fusius agam. Igitur obligatio denunciandi Confessarios sollicitantes habetur ex Constitutionibus Pauli IV. Pii IV. Pauli V. & Greg. XV. sed quoniam Bulla Greg. XV. præcipua est in præsentī materia regula, ac norma, idcirco ejus præcipue verba hic referemus, & explicabimus.

Itaque Bulla Greg. XV. quæ incipit *Universi Domini-cī gregis*, edita an. 1622. sic habet: *Statuimus, &c. quod omnes,*

omnes, & singuli Sacerdotes, tam Seculares, quam Regulares cujuscunque dignitatis, &c. qui personas, quæcunque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet pertractanda in actu sacramentalis confessionis, sive ante, vel post immediate, sive occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa Sacramentali confessione non sequuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut loco quocunque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquisitionis severissime puniantur, &c. mandantes omnibus Confessariis, ut suos penitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis. Quod si hoc officium prætermiserint, vel penitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra; iidem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant, &c.

* Præfatam Greg. Constitutionem nuperrime confirmavit Ben. XIV. in Bulla edita an. 1741. quæ incipit *Sacramentum Penitentia*, ubi declarat, sollicitantem esse denunciandum, *Etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & Penitentem mutua fuerit, sive sollicitanti penitens consenserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit.* Venio jam ad explanationem Bullæ Greg. XV.

I. Omnes, & singuli Sacerdotes, &c. Est ergo denunciandus etiam simplex Sacerdos sollicitans: Pal. tr. 4. d. 9. p. 9. & alii communiter contra Bordon. & Leand. * quorum sententia nullo modo censenda est probabilis, præsertim, post laudatam Ben. XIV. Declarationem * Non autem, si Confessarius sollicitans sit Episcopus, vel Nuncius, vel Legatus, vel Officialis Sedis Apostolicæ, quia hi non sunt subjecti Inquisitoribus: Pal. num. 2. & alii. Neque, qui fingens, se esse Sacerdotem, sollicitet, audiendo confessionem: Pal. p. 9. n. 5. & alii communiter: si autem hic etiam absolvat, etiamsi non sollicitet, est denunciandus, utpote fide ministrans Sacramentum ex Constit. Greg. XIII. Neque demum est denunciandus interpret, licet sit Sacerdos, si penitentem ita
in

in confessione sollicitet, quia potius se tenet ex parte pœnitentis, ut nec denunciandus est ipse pœnitens sollicitans Confessarium. Pal. & alii.

II. *Personas, quæcunque illæ sint.*— Hoc est, siue mares sint, siue feminæ; imo, etiam si sint pueri, vel puellæ rationis expertes; solent enim parentes filios suos nondum rationis capaces Confessariis præsentare, ut eos paulatim ad hoc Sacramentum alliciant; unde, si Confessarius aliquem ex ipsis sollicitet, est denunciandus: Potest. t. 2. p. 3. c. 3.

III. *Ad inhonesta, &c.* Si Confessarius sollicitet ad furtum, homicidium, aut aliud gravius crimen, quamvis mortaliter peccet, non est denunciandus, sed tantum, si sollicitet ad res venereas, quod habetur, quomodolibet turpiter agat, tangat, loquatur, vel provocet ad obscœna, siue secum, siue cum aliis, siue etiam, ut mediet pro se, vel pro aliis, & probabilius, etiam turpiter tangat feminam inter confitendum somno, aut gravi morbo correptam; quia sic etiam tentat provocare: Bonac. Graff. & alii contra Jo. Sanc. aliosque. Imo, licet tantum tradat chartam continentem obscœna postea legendam, ut constat ex Prop. 6. damnata ab Alex. VII. *Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venereas incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus.* Imo, etiam si famulo hujusmodi chartam det, alteri tradendam, quia in confessione ponit medium aptum ad sollicitationem. Denique, si inhonestos sermones, vel tractatus habeat, etiam sine animo provocandi pœnitentem ad turpia. Si autem actus externus sollicitationis sit de se venialis, ut si manum, vel pedem feminæ tangat, laudet de pulchritudine, &c. Pal. & alii apud Dian. putant, non esse denunciandum, dummodo pœnitens intelligat, Confessarium non habere animum progrediendi ulterius. Sed communiter contradicunt alii apud eundem Dian. quia, quamvis hæc extra Sacramentum forent venialia; tamen sunt mortalia, si fiant tempore confessionis, ob gravem injuriam irrogatam Sacramento: sicuti parum tibi relate ad jejunium prævium communioni. Hinc Peyrin. & alii apud eundem Dian. docent, esse denunciandum, etiam si sollicitatio fiat verbis ambiguis, & obscuris: nisi tamen constet, vel rationabiliter præsumatur, hæc prolata esse absque animo sollicitandi. In

In dubio autem de hac prava intentione : Bonac. Sancta-
rel. & alii dicunt, ita esse præsumendum, ex commu-
niter contingentibus : addit tamen, oppositum à nonnul-
lis Doctoribus existimari, quia in dubiis, & obscuris be-
nignior interpretatio est facienda : *Reg. Jur. in 6.*

IV. *In actu Sacramentalis, &c.* Sex hic designantur
casus sollicitationis denunciandæ : Primo, Si fiat *in actu
Sacramentalis confessionis!* non ergo est denuncianda sol-
licitatio facta in administratione aliorum Sacramento-
rum : Castropal. & alii : Secundo, Si fiat *Immediate ante,
vel post confessionem,* ita ut inter hanc, & sollicitatio-
nem nihil aliud mediet, quo se uterque diverterit ; un-
de, si extra Confessionale impudice loquantur sine ulla
intentione prævia confessionis, & postea pœnitens tactus
conscientia confessionem postulet, non tenetur denun-
ciare, quia per accidens sequuta est confessio. Similiter,
si post absolutionem alio externe divertant, & confes-
sarius postea sollicitet extra confessionale, non videtur
denunciandus. Pal. Jo. Sanc. Ægyd. Tertio, *Occasione
confessionis,* nimirum petitiæ, vel factæ, ut si hodie vo-
catus ad audiendam cras confessionem, cras accedat, &
nullo facto verbo de confessione sollicitet ; vel si post
auditam hodie confessionem, & peccatum venereum
pœnitentis, cras ad id eum sollicitet, Doctores com-
muniter ; vel si pœnitens dicat Confessario, velle cras con-
fiteri, & is statim sollicitet ; sumit enim occasionem ex
petitione confessionis : Potestà, & alii contra Leand.
Quarto, *Prætextu confessionis,* hoc est ejus ficto colore,
ac velamine, ut si Confessarius ficto invitet ad confes-
sionem, & accedentem ad Ecclesiam sollicitet, nullo
sequuto verbo de confessione : Bord. & alii ; vel si mu-
lier ex condicito vocet domum suam Confessarium, fin-
gens, se velle confiteri, & pariter sequantur obscœna :
Potestà, & alii communiter : Quinto, *In Confessionali,*
quod scilicet construi solet ex tabulis ligneis cum lami-
na perforata, & collocatur in Ecclesia, Sacristia, Aula,
&c. unice ad audiendas confessiones ; in hoc ergo Con-
fessarius sedens, si turpiter loquatur cum quavis perso-
na stante, aut sedente ante illud, est denunciandus,
etsi nulla adsit intentio, occasio, prætextus, aut simu-
latio confessionis. Potestà, & alii contra Leand. requi-
rentem simulationem confessionis. Sexto, *In loco quo-
cunque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur,* quale
est genuflexorium in Sacristiis pro præparatione Sacerdo-
tum,

tum, & gratiarum actione, ubi etiam confessiones audiendi solent: seu ad confessionem audiendam electo, scilicet hic & nunc ex placito Confessarii, ut scamnum, domus &c. Atque in his locis pro denunciando sollicitante requiritur simulatio confessionis; additur enim in Bulla *Simulantes ibidem confessiones audire.*

V. *Mandantes omnibus Confessariis, &c.* Ex quibus verbis eruitur, teneri Confessarios sub gravi monere poenitentem ab alio sollicitatum de denunciatione faciendam; ita ut, si culpabiliter non moneat, aut positive deobliget, puniri possit ab Ordinariis locorum, & ab Inquisitoribus, & incurrat etiam excommunicationem reservatam, aliasque poenas latas contra non monentes, aut deobligantes à denunciando hæreticos, vel quomodolibet suspectos de hæresi: Potestà, & alii ex Bulla Alexand. VII. *Licet alias*, an. 1660. confirmante ampliative Bullam Pauli V. *Romanus*, an. 1606. Quod si Confessarius sit idem, qui sollicitavit; tunc, si potest se ipsum deferre ad Inquisitores, vel Ordinarium, antequam denunciatur à poenitente, tenetur monere poenitentem de denunciatione faciendam, quia sic sibi non nocet; cum omnem poenam declinet: si autem id facere nequeat, non tenetur monere contra se; poenitens tamen non declinabit obligationem suam, ut mox dicam.

VI. *De Obligatione, &c.* Obligatio denunciandi Confessarium sollicitantem urget personam sollicitatam, seu mas sit, seu femina. Item eum, qui talem sollicitationem vidit, aut propriis auribus audivit. Item eum, qui scit auditu immediato ex dicto ipsius sollicitantis, aut personæ sollicitatæ, dummodo sit fide digna; idque, etiamsi ab his sciverit sub secreto naturali, & iurato: nisi vero secretum sit ex consilio petito, cum consilium inductum in favorem non sit retorquendum in detrimentum: Potestà, & alii. Qui autem scit auditu mediato, nempe à tertia persona etiam fide digna, excusatur à denunciando à Bordon. quia *l. 2. ff. de Aqu. plu. de auditu mediato dicitur: Quod audis, nescire diceris.* Sed non excusatur à Bon. Potest. & aliis, quia dat viam inquirendi in causa Fidei, & hoc colligitur ex edicto Inquisitionis universalis, ubi habetur, *Qui scierit, vel audierit.*

Quæres primo, Cui fieri debeat huiusmodi denuntiatio?

Re-

Respondeo, Deberē fieri judicialiter Tribunali S. Officii, ubi est, vel Ordinario loci ex hac ipsa const. Greg. XV. & quidem nulla præmissa correctione fraterna, utpote in causa Fidei ex citata Bull. Alex. VII. *Licet alias*; quidquid olim docuerunt Doctores. Fieri autem debet, ubi non est Tribunal S. Officii, intra 12. dies à scientia delicti sub pœna excommunicationis lætæ sententiæ reservata Papæ ex præcepto Inquisit. universalis an. 1623., sed nunc satis est, si fiat intra mensem ex decreto Inquisitionis Generalis an. 1677. Si autem pœnitens obligatus ad denunciandum ante dictum tempus petat confessionem, absolvi poterit, modo sit timoratæ conscientiæ, & promittat, se ante præstitutum tempus denunciaturum, quia sic satis est dispositus ad Sacramentum: Bordon. & alii. Si vero ob denunciationem tempore præfinito omissam incidit jam in excommunicationem, Dian. contra Lucium ait, nec posse absolvi ab habente privilegium in casus papales, nisi prius denunciaret, quia satisfaciendum est parti in causa spectante ad Fidem.

Quæres secundo, Quinam sollicitantes excusentur ab hac obligatione denunciandi?

Respondeo primo, Non excusari sollicitatum à denunciatione per hoc, quod confiteatur cum sollicitante, & hic eum absolvat absque onere denunciandi, ut constat ex Prop. 7. ab Alex. VII. damnata: *Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitans confiteatur cum sollicitante, hic potest illum absolvere absque onere denunciandi.* Ratio est, quia onus denunciandi imponitur pœnitenti sollicitato à Pontifice, non à Confessario: qui tantum illud declarat: ergo, licet Confessarius id non faciat, adhuc tenetur pœnitens ad denunciationem. Neque excusatur, si sollicitationem probare non possint, ut docent communissime contra nonnullos apud Mendo. Ratio desumitur tum ex praxi inquisitionis, tum ex verbis hujus constitutionis, *Testibus etiam singularibus.* Similiter non excusatur, si femina sollicitata sit complex, seu sollicitationi consenserit: ita contra Portell. Simanch. Pegna, & alios apud Dian. docent communius cæteri cum Bonac. Avegn. Sanctarel. Dian., & patet ex quadam epistola nomine Urbani VIII. ad Archiepiscopum Mediolanensem missa an. 1624. apud eundem Dian. & alia missa ad Archiepiscopum

piscopum Neapolitanum Caracciolo 27. Sept. 1614. * & præcipue ex supra citata declaratione Bened. XIV. * Esto non debeat talis femina suum consensum prodere, nec de eo interrogari, nec in actis Curiae scribi, etiam si à complice Confessario manifestaretur; idemque est, si ipsa prior sollicitaverit, & Confessarius etiam minis coactus confenserit, quia jam habetur tractatus de rebus obscenis: secus vero, si Confessarius eam repulerit, ut patet. Probabilius nec excusatur, si constet, Confessarium esse emendatum, ut contra Sot. Peyr. Lez. Pal. docent Suar. Bonac. Dian. Potest. & alii, quia finis denunciationis etiam in suspectis de hæresi est punitio delinquentis ad aliorum exemplum. * Accedit, quod Bened. XIV. declaravit, denunciationem esse faciendam, etiam si longum tempus post sollicitationem effluerit. *

Respondeo secundo, Sollicitatum excusari à denunciatione facienda ob impotentiam physicam, vel moralem. Hinc, si ob ægritudinem, vel clausuram, aliudve impedimentum non possit personaliter accedere ad Judicem, ad id non tenetur; sed in hoc casu, quamquam Sanch. Henr. Azor. & alii dicant, non teneri pœnitentem ad denunciandum per literas, quia hæc amitti possunt, neque per internuncium, quia apud hunc iramaret Confessarium: tamen absolute dicendum, quod, qui non potest personaliter accedere ad denunciandum, monere debet Judicem per internuncium, ut mittat domum Notarium, & aptior Nuncius esse potest aliquis Confessarius, cui etiam Judex committere potest, ut recipiat denunciationem in scriptis cum juramento, & subscriptione denunciantis ex Decr. S. Congr. jussu Urb. VIII. an, 1624. apud Bordon. Ratio est, quia sumus in causa spectante ad bonum publicum. Quod si pœnitens, neque per internuncium denunciare possit, Tambur. & alii dicunt, Confessarium non teneri vices pœnitentis supplere, quia onus denunciandi non est Confessarii, sed pœnitentis; sed oppositum eruitur ex citata Epistola ad Archiepiscopum Mediolanensem, & ratio est, quia agitur de causa Fidei. Neque tenetur pœnitens denunciare, si ex denunciatione imminet damnum notabile, puta jactura famæ, honoris, vitæ, aut magnæ partis bonorum sibi, vel suis consanguineis, & affinibus, quia sollicitans non est hæreticus formalis, sed suspectus de hæresi, ideoque præceptum denunciationis non obligat cum tanto onere: Lezan. & alii apud

apud Dian., qui idem docent, si Confessarius sollicitans sit consanguineus personæ sollicitatæ, quia damnum illius censetur damnum proprium, quod extendunt aliqui ad quartum gradum, sed nimis laxè, alii etiam ad vinculum arctissimum amicitiae, sed laxissime: excusatur pariter, si sollicitator sit mortuus: Potest., & alii. Si persona sollicitata denunciavit, excusatur, qui ab ea audivit, quia nihil adderet; secus vero, si fuerit testis oculatus, aut auritus, aut si audierit ab ipso sollicitante: nisi vero iste seipsum detulerit apud Judicem.

Si femina sollicitata, eo quod sollicitationi consenserit, non possit induci ad denunciandum, videndum primo, an possit opinionibus benignis (vere tamen, ac solide probabilibus) liberari. Si non potest, Sacra Congregatio Inquisitionis annuente Pontifice decrevit in supra cit. Epist. ad Archiepisc. Mediolanens., ut Episcopus, vel Inquilitor tribuat Confessario facultatem accipiendi denunciationem in scriptis; & sub juramento, quam statim deferat ad Judicem competentem. At, si neque ad id possit poenitens induci, voluit Pontifex, ut ad S. Sedem recurratur pro opportuno remedio, & interim non absolvatur poenitens, utpote indispositus, & aliquando S. Sedes rescripsit, dando facultatem absolvendi pro ea vice poenitentem citra onus denunciandi, quod fatebatur subire non posse prætextu magnæ verecundiæ, & panici cujusdam timoris.

VII. *Quod si hoc Officium, &c.* Ex his verbis eruitur, Confessarium, qui non monet poenitentem de obligatione denunciandi, & sic eum absolvit, esse & ipsum denunciandum, ut suspectum de Fide. De obligatione autem denunciandi Confessarium non monentem eodem modo discurrendum, ac supra dictum est de obligatione denunciandi Confessarium sollicitantem.

* Illud denique hic advertite, quod ex Decreto Bened. XIV. die 5. Augusti: 1745. Sacerdotes; vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel illius occasione, aut prætextu ad turpia sollicitantes perpetuam inhabilitationem incurrun- tur ad Sacrificii Missæ celebrationem. Eandem poenam ex eod. Decr. incurrun- tur Sacerdotes abutentes Sacrificio Missæ ad fortilegia. *

R.P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. Dd CA-

CAPUT V.

De reliquis obligationibus Confessarii monendi Pœnitentem, & præsertim quoad Ecclesiasticam sepulturam eligendam.

CONFESSARIUS imponere debet pœnitentiam sub præcepto juxta dicta d. i. q. 5. Superfunt expōndæ quatuor aliæ obligationes, quas hic quatuor numeris expendemus.

I. Confessarius in mortis articulo, vel periculo (vel etiam in impedimento perpetuo, juxta dicenda q. sequ.) absolvere potest pœnitentem ab omnibus casibus reservatis, & à qualibet etiam excommunicatione, juxta dicta q. i. c. i. ubi etiam dictum est, absolutionem à casibus reservatis, quibus non est adnexa excommunicatio, tunc impendi sine ullo onere pœnitentis; à casibus vero, quibus adnexa est excommunicatio reservata, impendi cum onere, de non reincidentia. Hinc, in percussione Clerici ex cap. *Ex tenore, de Sent. Excom.* & in omnibus casibus Bull. Cœn. ex clausul. 20. injungere debet Confessarius pœnitenti juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, id est, quod iterum talia pœnitens non sit commissurus; quod tamen Pelliz. & Dian. p. 5. t. 9. r. 23. dicunt, non esse ex necessitate sub mortali, quando absolutio datur in foro occulto conscientiæ. Rursus in casibus Bull. Cœn. aliud juramentum injungere debet, nempe de satisfacienda parte, si, quæ læsa fuit, nondum remisisse appareat, ex eadem clausul. 20. Addunt tamen Pelliz. & Dian. p. 2. t. 15. r. 42. quod, quando absolutio est in foro conscientiæ, & pœnitens non potest satisfacere parti, nec est imponendum tale juramentum, sed sufficit simplex propositum, ut in cæteris obligationibus: v. Sanch. l. 1. *Decal.* c. 13. n. 17. Denique in omnibus excommunicationibus reservatis aliud juramentum est exposcendum, quod scilicet pœnitens, propter impedimentum diuturnum ab ea absolutus à non habente alias facultatem, comparere debeat, si convalescat, quamprimum coram Superiore, sub pœna reincidentiae in eandem excommunicationem, à qua fuerat absolutus, ex cap. *Eos, qui, de Sentent. Exc.* in 6. Addit tamen Tambur. l. 3. *Conf.* c. 6. n. 4. juramentum hoc de comparando probabilius imponendum esse in sola percussione Clerici; cum in aliis excommunicatione-

nicationibus nullo jure caveatur; ideoque tantum exposcendum erit onus comparendi; & Bordon, tr. 3. contr. 27. n. 20. putat, onus comparendi adesse solum, quando quis absolvitur ab excommunicatione deducta ad forum contentiosum, cui consentit Avil., esto oppositum sentiat Pal. Cæterum, ab impubere ejusmodi juramenta non sunt exposcenda; quia non præsumitur pollere usu rationis, ut juramentum pro dignitate præstet; Sanch. l. 2. Decal. c. 13, n. 26. Bonac. & alii. Neque quando judicatur, ea juramenta, aut onera impleri non posse, v. g. quando pœnitens sit brevi moriturus, vel impedimentum fore perpetuum, quia frustra imponerentur: Pal. Tamb. & alii.

II. Confessarius magi, aut veneficæ, &c. monere debet eos teneri: Primo, Pactum expressum, si quod habent cum dæmone, aut commercium, abjurare, & dissolvere: Secundo, Libros suos, schedas, ligaturas, aliaque instrumenta artis comburere: præstat ea tradere Confessario ad comburendum; uti etiam chirographum, si quod habent: si vero solus dæmon id habeat, non necessario cogendus est, ut reddat; quia pactum sufficienter dissolvitur per pœnitentiam: Tertio, Damna illata resarcire; ad quod proinde tenentur etiam hæredes, si ad eos bona deveniant; & similiter fiscus, ubi veneficorum bona confiscantur: Laym. Suar. Sanchez, Fil. Busemb. l. 3. t. 1. Denique energumenum, etfi propter peccata prius commissa obsideatur à dæmone, absolvere potest vere pœnitentem; item potest aliquos exorcismos exhibere ante ejus confessiones, si expertus sit solere tunc à dæmone turbari; ex officio autem confessarius non exorcizet sine præscientia Superioris, sed regulariter remittat ad Parochum, cui id munus incumbit: Gob. t. 8. n. 56.

III. Confessarius Rei, si hic tenetur crimen etiam capitale fateri Judici hic & nunc legitime interroganti, suadere, imo & obligare potest, ut fateatur; nec ideo fit irregularis: Valq. Turr. Lug. Averf., & alii. Dixi, *Si teneatur, &c.*, nam communior sententia cum D. Th. est, teneri; probabile tamen est, etiam non teneri saltem sub mortali fateri suum crimen, modo crimen sit capitale, Judici etiam legitime interroganti, & simul sit spes evadendi, & nullum grave damnum Reipublicæ timeatur, Sylv. Sa, Less. Tann. cum Lugo dicente. esse sententiam valde probabilem, & in pra-

xi tutam; quia inhumanum videtur, ut, qui convinci non potest, teneatur præbere arma contra se, quibus occidatur, aut gravem pœnam v. g. perpetui carceris subeat. Ideoque non semper opus est, ut Confessarius Reum urgeat ad crimen Judici fatendum.

Hinc, si per testimonia convictus neget Judici factum crimen, quamvis Suar. & Sanch. nolint, absolvi; tamen Hurt. & Portel. volunt, absolvi; quod, si etiam neget Confessario, Averf. dicit, absolvendum, si saltem dubie præsumi possit non fecisse, quia hic potius credendum est Reo.

At, si ad vitanda tormenta falsum sibi crimen imposuit, non tenetur postea crimen revocare, quamvis antea perjurio confirmasset; quia non peccavit mortaliter ratione mendacii, cum non sit mentitus perniciosè: Lessl. Lug. & alii; peccavit quidem ratione perjurii, sed hoc jam transit; & sic non retractando nemini facit injuriam, ideoque sufficit coram Deo pœnitere: Tann. Lessl. Excipe, nisi inde grave damnum aliis sequeretur: Doctores cit.

Demum, si Reus coactus denunciavit alium innocentem, tenetur sub mortali ante suam condemnationem, & si tunc non fecit, etiam post sententiam revocare; ad quod etiam à Confessario est obligandus: Tol. Lessl. Tann. & alii communiter: excipe, nisi tunc revocatio esset inutilis. At, si Reus sciat complices, tenetur revelare etiam non rogatus, si crimen sit exceptum: puta hæresis; & si nolit, non est absolvendus: Nav. & alii. Si vero crimen non sit exceptum, & sit occultum, ita ut nec aliis indiciis, aut testimoniis convinci possit, non tenetur; imo nec potest eos revelare, si tamen vi tormentorum coactus prodat, ordinarie non peccabit: Lessl. Laym.

IV. Demum, Confessarius moribundi monere eum potest de testamento, cui tamen ipse non assistat; tum etiam de electione sepulturæ, de qua, quoniam alibi non est locus agendi, aliqua hic breviter explicabo. Quilibet utriusque sexus (exceptis tantum Religiosis, & Impuberibus) etiam si sit Uxor, Filiusfamilias, Clericus, Novitius, aut Servus, potest sibi eligere sepulturam in quavis Ecclesia, sive Seculari, sive Regulari, sive propinqua, sive remota, sive etiam in clauitro, aut sacristia: Doctores communiter ex tit. *de Sepult.*; solum enim prohibetur, ne ullus intra Monasteria Mo-

nialium sepeliatur: bene vero intra Ecclesiam exterioriorem, ut addit Pelliz. *de Regul.* tr. 8. c. 5. n. 174. Denique, qui potest eligere, juxta communem sententiam potest etiam committere alteri, ut pro se eligat; hic vero id potest etiam post ejus mortem, quia ejus mandatum, cum debeat habere effectum post ejus mortem, non exspirat, sed ex ejus intentione intenditur: Spial. Gutt. Pasq., & alii contra Gen., & alios. Non potest Parochus impedire electionem, dummodo ei detur quarta pars funeralium secundum consuetudinem suæ Parochiæ; quod si quis plus petat, eo quod quis sepeliatur apud Regulares, peccat, & excommunicatur per Clement., & Urban. VIII., Pignat. tom. 4. consult. 208., & econtra peccant, & excommunicantur excommunicatione reservata Religiosi, & Clerici seculares, qui aliquem inducunt ad votendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias ad promittendum, ut eligat sepulturam apud eorum Ecclesiam, vel ut non immutet eam electam: Clem. *Cupientes, §. fin. de Pœnitent.*; & talis electio est nulla, & per ipsam annullatur etiam alia electio libere ab eo facta, aut facienda, ex c. *Animarum, de Sepult.* in 6. Si autem ad id hortentur adhibitis etiam precibus non incurrunt, dummodo non obligent: Suar. Rodr. Nav. Portel., & alii contra Gloss. neque si obligent ad eligendam sepulturam in Ecclesia alterius: Rodr. Tol., & alii, nisi fiat cum fraude, nempe ad instantiam alterius: Doctores cit.; neque si obligent ad eligendam sepulturam in Ecclesia, in qua de jure debet sepeliri, quia est in favorem Ecclesiæ, cui de jure: Rodr., &, quamvis in hoc opponantur Portel. & Pasq., dicunt tamen esse invalidam electionem.

Dum quis ex electione, five ex jure, sepelitur in Ecclesia Regularium, Pignat. t. 3. consult. 48. late probat, Parochum non tantum posse prosequi, sed etiam cum Cruce, Superpelliceo, & Stola adstare funeri in eorum Ecclesia: attamen officium sepulturæ peragendum esse à Regularibus; quod si in Ecclesia Regularium, vel quibuscunque aliis funeralia non peragantur, his non competit pars ulla funeralium, sed soli Parochiæ: Pignat. tom. 6. conf. 88. Possunt etiam Regulares concordare cum Parocho, ut hic officium illud peragat in eorum Ecclesia: tom. 3. conf. 30., sed Parochus non potest petere quartam partem, si quis sepeliatur apud Regulares ab eo onere privilegiatos, si apud eos fiant etiam

funeralia : tom. 9. conf. 145., & econtra Regulares non possunt cum stola funus apud se sepeliendum prosequi, quia stola denotat jurisdictionem externam, quam ad hoc non habent, nisi deleget Parochus : t. 5. conf. 54. Statutum etiam est à S. Congr., ut in funeralibus una tantum Crux deferatur, non Regularium, sed folius Parochiæ, vel certe folius Capituli Cathedralis, si hoc comitetur, nisi alia alicubi sit consuetudo : t. 6. conf. 59. Pleraque alia v. t. 8. conf. 73.

Dubitatur, An peccetur, si cadauer occulte transferatur de uno loco in alium, non persoluta quarta funeralium illis Parochis, per quorum Parochias transit? Pellic. tr. 8. c. 5. n. 177. negat, quia usus etiam timoratorum habet, ut ex eo sibi non faciant scrupulum; unde talis lex non censetur habere locum in foro conscientiæ; ex Decl. tamen S. Congr. 1604. nullus Regularis, invito Parocho potest efferre funus per Parochiam.

Electio sepulturæ probari potest etiam per duos testes singulares, quia in eo, quod principaliter probant, evadunt testes: Gloss. & alii communiter; imo etiam per dictum solius Confessarii, ex praxi Cur. Neap. Sufficit etiam simplex scriptura manu propria subscripta, quæ æquivalet voci ipsius defuncti: Pasqual. & alii: imo etiam codicillus invalidus quoad jus civile, validus tamen quoad jus canonicum in ordine ad pias causas; si autem neque quoad hoc sit validus, si per testes probari potest, quod in eo voluerit declarare suam voluntatem, sufficit etiam pro foro externo; sin minus, sufficit tantum pro foro interno: Pasqual. & alii.

Impubes ob consilii imbecillitatem non potest sibi eligere sepulturam, ex cap. *Licet*, de *Sepult.* in 6., nisi malitia suppleat ætatem, ut addit Sperell. decis. 89. Ubi vero est consuetudo legitime præscripta, potest ei eligere pater, ex text. cit., etiam si filius sit naturalis, spurcius, aut adoptatus: Pignat. t. 4. conf. 208., quod t. 7. conf. 21. intelligit, vivente adhuc, non autem mortuo filio; sed Nav. ait, etiam hoc mortuo, quia textus universaliter ait, *Pater minores filios potest, quo voluerit, loco sepelire*; si autem post electionem patris filius evadat pubes, non valet, nisi hic ratificet: Nav. Sperell. & alii communiter. Eadem dicunt Sperell., & alii communiter de matre, ubi est consuetudo; negant tamen Genuens. & Ricc. in Prax. Neapol. Eadem de tutore, & consanguineo, qui succedat patri in cura impuberis, dicit

dicit Pasq. quamvis negent Ricc. & alii. Eadem de domino relate ad servum impuberem dicunt Barbof. & alii.

Religiosus non potest sibi eligere sepulturam, cum careat voluntate propria, cap. *Religiosi, de Sepult. in 6.* ubi addatur, quod, si moriatur extra claustra, sit apud suum Monasterium tumulandus, nisi commode illuc deferri non possit. Hinc addunt Doctores cum Glos. contra Inn. Franc. & alios, posse eligere sepulturam, si commode illuc deferri non possit, quia talis electio fit cum voluntate interpretativa Superioris; nisi vero ibi adsit aliud Monasterium sui Ordinis, & ille teneatur obedire illi Prælato: Sanchez, Pasqal. & alii; si autem nec ibi sit Monasterium, nec ipse eligat, pertinet ad Parochiam, in qua moritur: Doctores communiter. Superior autem Regularis, ubicunque sit, potest sibi eligere sepulturam etiam extra Monasterium sui ordinis, dummodo moriatur in gradu Superioris, quia in multis habet propriam voluntatem, etiamsi Generali sit subjectus: Sanchez l. 6. *Decal. c. 14. n. 7.* Ab. Franc. & alii; imo potest eligere sepulturam subdito, ut pater filio impuberi. Novitius vero in domo paternâ moriens cum habitu Religioso, si non eligat sepulturam, sepeliatur in Monasterio, si commode fieri potest, sine obligatione solvendi Parocho canonicam, quia gaudet juribus, & privilegiis: Sanch. *Dicast. Pign. t. 7. conf. 70.*

Qui autem moritur non electa sepultura, soluta quartâ parte funeralium Parocho, ubi moritur, debet sepeliri in sepulchro suæ familiæ, ex cap. *Nos, de Sepult.* etiamsi filius renunciavit paternæ hæreditati; imo, etiamsi sit exhæredatus, nisi sit specialiter exclusus à sepulchro familiæ; imo, etiamsi sit filius adoptivus, qui, si non habeat sepulchrum adoptantis, sepeliatur in sepulchro patris naturalis: Doctores communiter apud Pasqual. Filius vero damnatî læsæ Majestatis nequit sepeliri in sepulchro familiæ, ex l. 1. *ff. de Suis, & legitimis.* Canonicus autem Cathedralis debet sepeliri in Cathedrali, ubi est sepulchrum proprium Canonicorum, & si hoc non sit, sepeliatur in sepulchro suæ familiæ: Pign. t. 8. conf. 5. item Clericus, qui administrationem habuit in Ecclesia, vel ex alio titulo tenebatur ibi residere, sepeliri debet in ea Ecclesia: Barb. & alii. Item vidua in sepulchro ultimi mariti, ex c. *Is, qui, de Sepul. in 6.* etiamsi alibi habitasset, &c. Sperell. *decif. 88.*

Si autem quis nec sepulchrum habet, nec sepulturam elegerit, sepeliendus in Parochia sui domicilii, ex cap. *Licet, de Sepult. in 6.* quo etiam deferri debet, etiam moriatur ruri extra territorium suæ Parochiæ, si absque periculo valeat eo deportari, ex cap. *Is. qui cit.* Si autem non valeat deportari, sepeliatur in Parochia, ubi moritur, soluta tamen quarta parte funeralium Ecclesiæ domicilii: Pignat. t. 7. conf. 63. nisi vero moriatur, ubi habet quasi domicilium: Sperel. decif. 87. Advenæ, & Viatores, secundum Pign. t. 1. conf. 145. ex decl. S. Congr. debent sepeliri in Cathedrali; sed recte cum aliis Sperel. decif. 87. ait, si non sunt Clerici, ex consuetudine sepeliri in Parochia, in qua moriuntur, & in qua acceperunt Sacramenta. Moriens in carcere secundum aliquos debet sepeliri in Parochia sui domicilii, quod non deseruit; ideoque huic Ecclesiæ deberi quartam funeralium, si alibi elegisset sepulturam; sed probabilius alii cum Pignat. t. 7. conf. 86. ajunt, spectare ad Parochiam carceris; quod certum videtur saltem de alibi damnatis ad perpetuum carcerem, vel in exilium involuntarium missis; ubi enim mori, vel exulare debent, ibi censentur etiam inviti habere domicilium, *L. Filii, ff. ad Municip.* Si Secularis moriatur in Monasterio, ubi, relicto suo domicilio, habitabat, Pign. t. 7. conf. 63. ait, jus sepulturæ spectare ad Parochum illius Parochiæ, in qua est Monasterium, & si in eo petierit sepeliri, soli Parochiæ deberi quartam funeralium; & idem dicit de pueris, & famulis in Monasterio habitantibus; sed recte contradicunt alii, quia acquisivit in Monasterio saltem quasi domicilium: sic etiam si quis moriatur in hospitali intra Parochiam constituto, & in eo sepeliatur, nihil debetur Parocho; nisi vero sepeliatur alibi extra hospitale: De Luc. *de Paroch.* disc. 23. Præterea per Bull. Paul. III. in nostris Cœmeteriis sepelire possumus omnes, qui in nostris morantur obsequiis; & quamvis Gob. hoc intelligat de illis famulis tantum, qui serviunt, & habitant permanentemente in domiciliis nostris, alii tamen cum Dian. intelligunt etiam illos domesticos, qui perpetuo commensales sunt; hi enim etiam sunt de familia, & Clement. X. tantum dicit, *Qui ibi sunt vere de familia, & continui commensales.* Denique; si quis in testamento disposuerit, ut sepeliatur in Parochia, in qua fuerit moriens, & casu moriatur in aliena Parochia, adhuc debet in Parochia

chia sui domicili sepeliri, quia per illam brevem absentiam non amiserat eam Parochiam, nec alteram acquisierat: Pignat. t. 4. conf. 151. notatque Shiarra l. 4. diff. 44. legatum, quod quis fecit Ecclesiæ sub conditione, *Si ibi sepeliatur*, valere, si quid accidat, per quod non possit, aut non debeat ibi sepeliri, quia tale legatum ad pias causas secundum jus, & mentem disponentis est favorabile ipsi, & ei, pro quo disponit.

Denique solus Episcopus, & non Parochus (nisi alia alicubi sit consuetudo) potest alicui concedere jus proprium, & perpetuum sepulturæ in certo loco, è quo alios possit excludere; & hac quidem conditione addita à Pio V. *Ut cadavera profunde insepeliantur*; Tenentur autem Regulares accedere ad Ecclesiam Parochialem, & inde cum Parocho se conferre domum, à qua funus efferendum ex S. C. in Senogal. 26. August. 1616. apud Cesp. Habens vero jus patronatus, non ideo habet jus sepulturæ in Ecclesia: Barb. *de Off. Ep. alleg. 3.* Cæterum Regulares possunt vendere sepulturam, nec prohiberi possunt ab Episcopo, cum sint exempti; nec est simonia, si accipiatur pretium pro loco honoratiori: Sanch. Dian. & alii contra alios ap. Cesp. nec potest quis in eorum Ecclesia sepeliri ipsis invitis, ex Decr. S. Congr. apud eundem; nec in eorum Ecclesiis Presbyteri seculares, postquam corpus associarunt, cantare possunt officia, ex Decr. S. Congr. in una Turritan. 1617. non obstante quacunque consuetudine: Tamb. tom. 1. d. 15. q. 18. Ad Parochum autem spectat determinare iter in associando cadavera, ex S. Congreg. in una Castell. at in Ecclesiis Societatis Jesu non recipiuntur defuncti sine licentia Generalis, exceptis fundatoribus, foundationem juvantibus, Principibus, & Prælatibus: Congreg. 3.

QUÆSTIO III.

De Reservatione Casuum.

VIDENDUM hic I. Quid sit Reservatio, Quæ peccata, & à Quibus reservari possint? II. Quinam reservationem incurrant, aut ab ea excusentur? III. Quis possit absolvere à Reservatis? IV. Demum addeamus in calce Appendicem de Casibus Reservatis.

D d 5

CAPUT

CAPUT I.

Quid sit Reservatio, Quæ peccata, & à Quibus reservari possint?

QUÆRES primo, Quid sit Reservatio?

Respondeo, Est *Restriçtio jurisdictionis concessæ Sacerdoti inferiori in ordine ad aliquod peccatum, seu censuram.* Esse autem convenientissimum, ut Superiores aliquorum peccatorum absolutionem sibi reservent, tum ut atrociora quædam, & graviora crimina exactius judicentur, iisque efficacius remedium adhibeatur, tum ut fideles ab iis committendis coerceantur ob difficultatem obtinendæ absolutionis, docet Trid. *sess. 14. c. 7.*

Quæres secundo, Quæ peccata reservari possint?

Respondeo primo: Peccata etiam venialia reservari probabiliter possunt à Summo Pontifice, cum ab eo omnis jurisdictionis in alios Prælatos derivetur; de facto tamen nunquam reservantur peccata venialia; imo Con. Laym. docent, Episcopos, aliosque Prælatos Pontifice inferiores invalide sibi reservare venialia, quia universali Ecclesiæ consuetudine, cui solus Pontifex derogare potest, cuilibet Sacerdoti concessa est facultas absolvendæ à venialibus.

Respondeo secundo: Peccata mortalia mere interna reservari possunt, sicuti reservantur Papæ vota aliqua mere interna; quia, licet Ecclesia non judicet de internis, tamen jurisdictionis ad absolvenda peccata mere interna conceditur ab Ecclesia, quæ proinde potest eam limitare. De facto tamen non reservantur, nisi peccata externa. Hinc nec reservationem, nec excommunicationem incurrit, qui hæresim mere internam habuit: si autem illam aliquo actu externo de se mortaliter malo manifestat, etiamsi id occulte faciat, reservationem, & excommunicationem incurrit, quia, quotiescunque in reservatione aliud non exprimitur, incurritur, licet externum peccatum sit occultissimum. Duo præterea requiruntur ad reservationem incurrendam: primum, ut actus externus de se sit gravis: secundum, ut actus internus mortaliter peccaminosus influat in actum externum de se gravem; quare excusatur ab incursum reservationis, & excommunicationis, qui volens Clericum occidere, illum solum leviter percutit, vel qui inten-

dens levem Clerici percussione, casu illum occidat. Quoniam vero ex Trid. supra cit. reservatio fieri debet *In ædificationem, non in destructionem, & quoad atrociora, & graviora crimina*, illicite Pontifex reservaret omnia simul mortalia externa, vel majorem eorum partem: Episcopus vero etiam invalide, ut contra Suarez addit Vasq. præsertim si notabiliter minueret jurisdictionem Parochi, ut concludit Lug.

Quæres tertio, Quis possit casus reservare?

Respondeo, Possè illos omnes reservare, qui habent jurisdictionem ordinariam, eamque aliis delegant; possunt enim illam delegare vel plene, vel restrictè tantum; unde non solum Summus Pontifex, Episcopus, alique Prælati, verum etiam Parochus possit casus reservare respectu illius, cui ab ipso debet delegari jurisdictione: Vasq. Dicast. Croix contra Suarez, & Busemb. qui negant Parocho hanc potestatem.

C A P U T II.

Quinam incurrant Reservationem, & quinam ab ea excusentur?

CERTUM est, neminem incurrere reservationem, aut censuram, qui ex conscientia erronea peccat, falso putando eam incurrere, quia non incurritur pœna humana, ubi à lege non est statuta. Videndum igitur hic, An, & quam reservationem incurrant, & à qua excusentur Pueri ante pubertatem, Ignorantes, Peccantes ex metu, Vagi, Peregrini, Regulares, & Moniales?

Quæres primo, An pueri ante pubertatem peccantes incurrant casus reservatos?

Respondeo, Certe non incurrere ullum casum etiam cum excommunicatione, aut interdicto reservatum in hac Diœcesi Neapolitana, in cujus tabella expresse excipiuntur, si peccarent ante 14. annum completum: at, quoad casus Papales, & Episcopales alterius Diœcesis, ubi non expresse excipiuntur, est dubium: negant etiam Palud. Graf. Belloch. & alii cum Dian. p. 2. t. 15. r. 1. quia, sicut minor ætas excusat impuberes à pœna in foro externo, ita pariter in foro interno, & consequenter etiam à reservatione, maxime si hæc
adnexam

adnexam habeat excommunicationem, quæ est pœna atrox, & improporcionata imbecilli eorum ætati, ex cap. i. de *Delict. Puer.* Verum probabilius affirmant Homob. Lug. Averf. & alii; quia ad bonum regimen Ecclesiæ etiam pertinet, ut impuberes à committendis atrocioribus delictis per talem reservationem absterreantur; text. autem cit. intelligitur de pœnis latis ab homine, ex cap. ult. de *Jud. in 6.* non de pœnis latis à jure. Et quidem quoad casus Papales, certum est impuberes incurrere casum cum excommunicatione Can. *Si quis suadente*; nam Cap. *Pueri, de Sent. Excomm.* expressa datur facultas Episcopis, ut eos ab hac excommunicatione absolvant. Certum etiam videtur, eos incurrere casum ingredientium Monasteria Monialium; nam Trid. *sess. 25. c. 5. de Regular.* dicit, *Cujuscunque sint ætatis*; dummodo scilicet sint doli capaces, ut hic supponuntur impuberes: ergo idem dicendam quoad reliquos casus Papales, & etiam Episcopales, nisi expresse excludantur, cum certum sit, Episcopum posse reservare mortalia impuberum; & consequenter, nisi hi excipiantur, ligantur, sicut alii; ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, ut arguit Fluron.

Quæres secundo, An incurrat reservationem, qui committit casum reservatum ignorans reservationem?

Respondeo primo, Si casus sit Papalis, & illud committens ignorabat excommunicationem ei adnexam, probabiliter non incurrere reservationem; quia casus de facto nullus est reservatus Papæ, nisi quando conjunctus est cum excommunicatione, ac censura. * Ab hac generali regula excipiendus est casus falso infimulantium sollicitationis apud Judices Ecclesiasticos innoxios Sacerdotes, sive per seipsos calumniando, sive procurando, ut id ab aliis fiat, qui casus à Bened. XIV. in *Const. Sacramentum Pœnitentiæ* Papæ reservatur sine censura *. Porro ignorans excommunicationem, eam non incurrit, ex cap. *Cum animarum, de Const. in 6.*; ergo neque reservationem Papalem. Excipe, nisi ignorantia fuerit crassa, & supina, ex eod. cap.; imo, si in lege Pontificia feratur excommunicatio contra *Scienter, Temerario, &c.* excusat etiam ignorantia crassa, & supina, modo non sit affectata, juxta dicenda in *Tract. de Censur.* Si autem sciens excommunicationem casui adnexam, ignorabat, eam esse reservatam, Bon. & alii putant, etiam

etiam excusari à reservatione, atque adeo posse à quovis Confessario absolvi; sed probabilius videtur oppositum, quia jam consentit in pœnam excommunicationis, adeoque implicite in ejus reservationem, sicuti etiam in alios ejus effectus licet ignoratos: Quart. & alii.

Secundo, Si casus sit Episcopalis, eique adnexa sit excommunicatio, qui hanc ignorat ut supra, certe hanc non incurrit: & hinc etiam inferunt Fagund. Averf. Januar. Bonac. Quart. & alii, neque incurere reservationem talis casus; quia pariter in tali casu Episcopali fit una, & indivisibilis reservatio peccati sub excommunicatione; neque in pœnalibus facienda est ampla, sed stricta interpretatio. Sed probabilius Suar. d. 3. l. 3. Bos. Tamb. Merol. & alii docent, incurere reservationem talis casus; quia, cum soleant Episcopi, & de facto sibi reservent plures casus, tum sub excommunicatione, tum absque excommunicatione, quando atrociora reservant sub excommunicatione, intendunt fortius ligare, & duplici reservatione punire.

Tertio, Si demum casus Episcopalis non habeat adnexam excommunicationem, Sanch. Lug. Averf. & alii communius apud Dian. & Pell. t. 2. f. 31. docent, etiam, qui ignorat, reservationem incurere; quia reservatio casus non est pœna peccantis, sed restrictio jurisdictionis Confessarii; atqui ignorantia privata peccantis nequit dare confessario jurisdictionem, quam non habet: ergo, quamvis ignorantia pœnæ excuset à pœna, non tamen à reservatione, & consequenter hic talis nequit absolvi à quovis Confessario. Sed oppositum probabile etiam reputant Nav. Graf. Jan. Coriolan. Chapeavil. Mald. Reginald. Quintanad. Bas. Burgheb. Quart. & alii apud Dian. p. 10. t. 4. r. 95. & p. 6. t. 6. r. 42. quibus ipse etiam mutata opinione adhæret; quia, quamvis reservatio sit restrictio jurisdictionis Confessarii, non tamen absolute, sed respectiva ad pœnitentes, qui cum notitia reservationis ausi sunt peccare; ut colligitur ex ejus fine, qui est, ut scientes utique reservationem, à talibus casibus patrandis absterreantur: ergo relate ad tales habet simul rationem pœnæ, & consequenter non est restrictio jurisdictionis relate ad alios, qui peccando eam ignorarunt, cum pœnæ sint restringendæ. Idem dicunt de eo, qui, dum peccat, invincibiliter non advertit ad reservationem; quia inadvertentia æquiparatur ignorantia, ex Sanch. l. 1. cap. 10. num.

num. 31. secus vero, si nullam adhibuit diligentiam pro deponendo dubio, quia sic habetur ignorantia crassa, & supina, quæ non excusat: Quart. & alii. Idem demum dicunt, si reservatio ab Episcopo fiat, postquam delictum est commissum, vel etiam omissum in antecedenti confessione, vel postquam cœpta sit, sed nondum finita confessio; quia talis reservatio non poterat à tali delinquente cognosci: Pasq. t. 2. q. 166. num. 6.

Quæres tertio, An incurrat reservationem, qui compellus metu committit casum reservatum?

Respondeo affirmative, Si metus sit levis, quia facile contemni posset: negative vero, si metus sit gravis, seu cadens in constantem virum, qualis est metus mortis, mutilationis, carceris diuturni, infamiæ gravis, amissionis majoris partis bonorum, aut rei notabilis, & pretiosæ, sive suæ, sive suorum, & probabiliter etiam usque ad 4. gradum, cum damnum suorum censeatur etiam proprium: ratio est, quia ex benignitate Ecclesiæ reservantis præsumitur nolle comprehendere sub reservatione peccantem ex tali metu gravi; nec enim leges humanæ obligant cum damno notabili; quamvis lex naturalis, & divina tunc etiam obliget, ita ut peccet graviter, qui ex tali metu committit casum prohibitum etiam lege naturali, aut divina: Suar. Averl. Bordon. Grass. & alii communiter. Excipiunt tamen Doctores cum Suar. contra Salas, nisi talis metus incutiat in contemptum Ecclesiæ, aut Religionis; quia sic Ecclesia ipsa per se, & directe obligat etiam cum periculo vitæ: v. dicenda fusius in Tract. de Censur. disp. 1.

Quæres quarto, Quos casus incurrant Vagi, & Peregrini?

Respondeo, Certum esse, hos omnes incurere casus Papales, ubicunque eos commiserint, etiam inter infideles, quia ubique terrarum territorium est Papæ. Item vagi probabiliter incurunt casus Episcopales illius Diocesis, in qua illos committunt; quia ex communi Doctorum sententia contra Sayr. Less. Ugol. subjacent legibus illius loci, in quo hic & nunc versantur: nisi vero eos excuset ignorantia, juxta dicta quæsit. 1. At peregrini, juxta Pelliz. de Monial. c. 5. num. 211. Dian. p. 3. t. 2. r. 48. & alios, probabiliter non incurunt casum reservatum in Diocesi, in qua versantur, si ibi illum committant; quia non tenentur legibus loci, in quo

quo sunt per transitum, ex Sanch. Azor. Con. & aliis. Probabilius tamen tenendum oppositum cum communi apud Averf. q. 17. f. 3. quia, etsi peregrini non teneantur legibus locorum quoad forum externum, tamen quoad forum pœnitentiæ Sacramentalis ex communi consuetudine, & praxi judicantur à Confessario juxta leges loci, in quo confitentur; ergo non possunt hic absolvi à quovis Confessario, cui restricta est jurisdictione relate ad omnes, qui ausi sunt in hac Diœcesi committere talem casum, nisi excuset metus gravis, vel ignorantia. Atque hæc sententia est in praxi tenenda, ita tamen, ut, quamvis peregrinus hic peccans incurrat casum hic reservatum; non tamen excommunicationem, aliamve censuram illi adnexam; quia hæc, cum sit pœnâ fori exterioris, non ligat, nisi supponat subditum, ut not. Con. d. 13. dub. 7. num. 58. & nos dicemus in Tract. de Censuris. Contra vero, si Neapolitanus v. g. peregrinans Nolæ committat ibi delictum reservatum Neapoli, non autem Nolæ, Fagund. Bon. Januar. & alii apud Quart. probabiliter putant, non incurrere reservationem, neque excommunicationem adnexam: unde etiam probabiliter inferunt Pelliz. Bord. Pasq. Januar. & alii apud Dian. p. 10. t. 4. r. 7. contra Dicast. Croix & alios, Neapolitanum committentem talem casum Nolæ, posse etiam Neapoli absolvi à quovis Confessario, quia, cum statuta Synodalia affigantur territorio, non restringunt jurisdictionem Confessarii relate ad transgressores extra territorium. Idem pariter dicunt, si commisit in loco intra Diœcesim exempto, qui æquiparatur loco sito extra territorium; hic tamen locus quinam sit, vide dicta tract. 2. disp. 2. quæst. 3. cap. 4. quæst. 4.

Quæres quinto, Quos casus reservatos incurrant Regulares?

Respondeo, Si excipias casus Papales, & proprios suæ Religionis, aut Monasterii, de quibus agemus mox in Appendice, non incurrere casus Episcopales, si sint Religiosi exempti, quales hodie sunt fere omnes; quia non subjacent Episcopo. Et similiter etiam eorum Novitii, quia in favorabilibus gaudent privilegiis suæ Religionis. Extendunt hoc Peyrin. & alii ad familiares Religiosorum, modo *Inibi sint, quasi de familia, Et continui commensales*, ex Constit. Clem. X. *Superna*; & Bord.

Bord. extendit etiam ad alumnos degentes in Monasteriis Religiosorum. Illud videtur certum, hos familiares, & alumnos non posse per quemcunque Confessarium secularem absolvi à casibus Episcopalibus, ut dictum est de peregrinis; vide, quæ in hanc rem fusius dicemus in Tract. de Censuris. Cæterum, si Novitius ante ingressum in Novitiatum incidit in casum reservatum Episcopalem, manet reservatio: unde non potest absolvi per quemcunque Confessarium secularem approbatum ab Episcopo; potest tamen absolvi à Confessario suæ Religionis, quia hic habet jurisdictionem à Superiore Religionis, cujus privilegiis gaudent Novitii: Sanch. Tamb. & alii. Idem dicunt Peyrin. Vecch. Tamb. de Jur. Abb. t. 2. d. 13. q. 15. num. 29. de existente in Novitiatu, veluti in prima probatione, etsi nondum habitum induerit. Idem addit Vecch. de petente admitti in Religionem cum animo sincero ingrediendi quamprimum, nimirum absolvi posse per Confessarium Regularium ab omnibus casibus, censuris, imo etiam sententiis, & pœnis Episcopalibus, cum hoc tamen, ut incidat in pristinas sententias, nisi mox ingredi, & peractis experimentis vota emittere paratus sit.

Quæres sexto, Quos casus reservatos incurrant Moniales?

Respondeo, Moniales, alias esse exemptas à jurisdictione Episcopi, alias non exemptas; omnes tamen incurere casus Papales, uti est certum; & exemptas, si subditæ sint Superiori Regulari, incurere casus reservatos in sua Religione: secus vero, si non sint subditæ tali Superiori. Quoad casus autem Episcopales, Pelliz. Quintanad. Tamb. & alii putant, Moniales exemptas non incurere, quia non sunt subditæ Episcopo: quod Pelliz. extendit etiam ad earum educandas, quia per quasi domicilium commorantur in eo loco exempto, ideoque participant de earum exemptione. Cæterum cum Confessarius Monialium etiam exemptarum approbandus sit ab Episcopo, ex cit. Constit. Clem. X. ideo casus commissus à Moniali, sive exempta, sive non exempta censendus est reservatus respectu talis Confessarii, nisi specialiter ei delegetur facultas ab Episcopo: Sylv. p. 1. v. Cas. Reserv. cas. 2. Croix num. 1645.

CAPUT III.

De Absolutione à Reservatis?

DE potestate absolvendi in articulo, vel periculo mortis dictum est jam q. 2. agendum ergo remanet de potestate extra tale periculum. Quare sit

§. I.

Quis possit absolvere à casibus Papalibus extra articulum, vel periculum mortis?

VIDENDUM hic Primo, Quid possit Summus Pœnitentiarius, aut Legatus à latere? Secundo, Quid Episcopus, ejusque Vicarius Generalis, ac Vicarius Capitularis? Tertio, Quid possit Prælati Regularis, aut Confessarius Regularis? Quarto, Quid possit Parochus, aut Confessarius secularis? Itaque

I. Summus Pœnitentiarius Cardinalis ex concessione Papæ officio adnexa potest quoscunque absolvere ab omnibus Papalibus: item Legatus à latere in Provincia suæ legationis absolvere potest quoscunque etiam pro foro externo; & utraque facultas, cum sit ordinaria, durat etiam mortuo Pontifice. Itaque accedere ad hos possunt etiam Religiosi absque licentia suorum Superiorum, ut absolvantur à quovis casu Papali, etiam Bull. Cœn. etiam ab hæresi: Doctores communiter.

II. Episcopus, ex Trid. *sess.* 14. c. 6. potest in sua Diœcesi per seipsum, aut Vicarium ad id specialiter deputandum absolvere in foro conscientie subditos suos à quibuscunque casibus etiam Sedi Apostolicæ reservatis, dummodo sint occulti; & etiam ab hæresi occulta, per seipsum tantum, non per Vicarium: item potest dispensare in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientes, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario. Hactenus ex Trid. cit. ubi *ly Per Episcopum* intelligunt Doctores etiam habentem jurisdictionem quasi Episcopalem. Per *ly In sua Diœcesi* non intelligunt taxative, sed mere demonstrative; ideoque dicunt, posse etiam extra Diœcesim, cum non sit actus fori contentiosi. Per *ly Non per Vicarium*, intelligunt ex commissione universali, posse tamen ex commissione particulari, juxta dicenda de

R. P. Nicol. Mazzotta *Theol. Mor. Tom. III.* Ee Cen-

Censuris. Cæterum hodie probabilius non potest Episcopus absolvere ab occultis Bul. Cœn. & præsertim ab hæresi; quia ab Alex. VII. damnatur hæc Prop. 3. *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. die 8. Julii in Consist. S. Cong. Emin. Card. visa, & tolerata est.* Quamvis oppositum adhuc probabile putent Dicast. d. 3. de *Censur.* num. 130. & alii apud ipsum, dicentes, in hac propositione solum declarari, quod ea non sit hæctenus in Consistorio perpena: &, quamvis in Bull. Cœn. dicatur, quod nemo, nisi in articulo mortis possit ab his absolvere; tamen dicunt, id non derogare Trid. cit. utpote non expresse ibi nominato. Sed quidquid sit de hac sententia, Episcopi hodie solent petere, & obtinere à Roma ad quinquennium facultatem absolvendi à casibus Bull. Cœn. & ab hæresi. Potest Episcopus ex concessione perpetuo adnexa ejus dignitati absolvere à sequentibus Papalibus etiam publicis: Primo, A percussione Clerici, dummodo sit levis, vel facta inter Clericos collegialiter viventes, aut ab Officialibus causa arcendi turbam (dummodo non sit enormis) vel facta à muliere, aut ab impubere, etiam si sit enormis, & etiam si petatur absolutio post pubertatem: Doctores communiter ex plur. text. de *Sent. Excomm.* Secundo, Ab abortu foetus animati effectu etiam secuto, ex Bull. Gregor. XIV. Tertio, Fratres Minores admittentes tempore interdicti Fratres tertii ordinis ad divina officia, ex Clement. *Cum eo. de Sent. Excomm.* Potest etiam Episcopus absolvere ab omnibus Papalibus, quantumvis publicis, etiam Bul. Cœn. etiam hæresis in casu legitimi impedimenti adeundi Romam, sive impedimentum sit perpetuum, sive temporale, modo sit diuturnum: Doctores communiter ex cap. *Quamvis, de Sent. Excomm.* etiam si sic impediti possent per literas, aut per procuratorem petere absolutionem à Sede Apostolica, ut probabiliter addunt Sanch. 1. 2. *Decal.* c. 13. num. 4. & alii contra Bonac. & alios. Imo, etiam si sic impediti possent adire legatum habentem facultatem absolvendi; cum ea potestas sit jure communi concessa Episcopis tanquam ordinaria: Henr. Avil. Hurt. Dian. pag. 5. t. 9. r. 5. contra Bonac. & alios. Neque huic facultati Episcopi obstat Bull. Cœn. excipiens tantum arti-

articulum mortis; nam jus canonicum hanc exceptionem ampliavit etiam ad legitimum impedimentum, *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immincat animarum*, arg. c. ult. de Pœnit. & Remis.

Porro impedimentum perpetuum est, quod habent mulieres omnes ratione sexus, & à fortiori Moniales: item senes, cœci, claudi, laborantes podagra, alioque morbo perpetuo, quibus Tamb. addit etiam damnatos ad triremes per decennium, aut etiam quinquennium: atque hi omnes absolvi possunt per Episcopum absque ullo onere; uti etiam impuberes, quamvis hoc impedimentum sit temporale; imo absolvuntur post pubertatem, ex c. *Quamvis*, de Sent. Excom. Impedimentum temporale diuturnum est duorum saltem, vel trium mensium, juxta Pal. Marchant. & Dian. apud Gob. t. 7. num. 309. unde hoc impedimentum habent detenti in carceribus, laborantes quartana, habentes inimicitias capitales, pauperes, seu viventes ex proprio labore, qui, cum non soleant, deberent ire Romam mendicando; filii familias, & quicumque alteri subjacent, habentes curam animarum, corporum, aut rerum, ita ut timeatur damnum aliquod ex eorum absentia: denique quodcumque aliud impedimentum, quod prudentis arbitrio longam faceret moram proficiscendi Romam, saltem per duos, aut tres menses ex Pal. cit. atque hi omnes absolvi possunt per Episcopum, cum onere tamen (excipito etiam juramenta, quæ tamen Dian. p. 2. t. 16. num. 42. cum aliis probabiliter exigit tantum in absolute pro foro externo) quamprimum commode poterunt, accedendi ad Sedem Apostolicam, cessante tali impedimento, non quidem, ut denuo absolvantur, cum sint jam directe absoluti, sed ad obedientiam præstandam, accipiendumque mandatum sub poena reincidentiae ipso facto in easdem censuras, ex cap. *Eos, qui*, de Sent. Excomm. Sed hæc obligatio, seu onus tollitur, si postea ante cessationem impedimenti lucreris Jubilæum, vel Bull. Cruc. vel adeas Legatum à latere: Dicast. & alii communiter.

Quæ dicta sunt de Episcopo. dic pariter de Vicario Capitulari; quia is succedit in jura Episcopi, excepta facultate per se ordinandi. At Vicarius Generalis Episcopi probabilius indiget speciali ejus concessione relate ad hæc; ideoque notant Quaran. Moral. Tambur. & alii, solere ab Episcopo speciali commissione committi

ei hanc facultatem generaliter, excepto casu hæresis occultæ ex Trid. cit. ad quam tamen delegari possiet, quando casus occurrit, supposito quod Episcopus haberet hodie facultatem ad talem casum, ut not. Sanch. Eadem dic de Pœnitentiario Ecclesiæ Cathedralis: Tamb. c. 8. de Cas. Reserv. n. 3. Dian. p. 9. tr. 8. r. 11. & alii.

III. Prælati Regularis quoad casus Papales potest relate ad suos subditos, etiamsi novitios, etiamsi familiares Conventus, quidquid potest Episcopus relate ad suam Diœcesim. At relate ad reliquos pœnitentes Seculares, certum est, non posse eos absolvere ab hæresi occulta, ex Prop. 4. damnata ab Alex. VII. *Prælati Regulares possunt in foro conscientie absolvere quoscunque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurta*: Potest tamen, posita approbatione Episcopi. uti etiam quivis alius Confessarius Regularis, vi privilegiorum Pontificiorum, absolvere etiam Seculares ab omnibus casibus reservatis Papæ etiam publicis, exceptis Bull. Cœn. & 6. intra Italiam extra urbem; quia Decretum Clem. VIII. hos tantum eis tollit: ergo quoad reliquos casus Papales manent integra eorum privilegia: Pelliz. t. 6. c. 2. q. 3. Dian. p. 3. tract. 2. r. 13. & alii. An autem absolvere adhuc possint à casibus Bull. Cœn. & à 6. intra Italiam, quando sunt occulti, dubitant Doctores: & aliqui ex Sanch. apud Dian. de Bull. Cœn. r. 28. affirmant; quia in tantum ex Decr. Clem. VIII. non possunt Regulares ab his absolvere, in quantum ibi sunt soli Papæ reservati, seu sunt mere Papales; atqui, quando sunt occulti, definiunt esse mere Papales, cum ex Trid. cit. concedantur Episcopis: ergo &c. Sed merito contradicunt alii, quia decretum loquitur indefinite, & neque hodie concessi videntur Episcopis casus occulti Bull. Cœn. juxta dicta num. 2.

In casu autem legitimi impedimenti eundi Romam, Pasq. & alii apud Dian. tr. 9. r. 51. putant, Regulares posse absolvere etiam à Casibus Bullæ Cœnæ, & 6. intra Italiam, sive sint occulti, sive publici, & eodem modo etiam ab hæresi. Ratio est, quia tunc non sunt mere Papales, sed concessi etiam Episcopis, juxta dicta num. 2. neque obstat Decr. Clem. VIII. prohibens etiam *In Casu necessitatis, vel impedimenti*, nam hæc verba fuerunt omissa in Decr. confirmativo Paul. V. an. 1617. ut not. Bordon. r. 6. n. 5. fol. 46. Unde etiam alii contra ipsam

ipsum inferunt, Regulares in casu legitimi impedimenti, vel etiam necessitatis, posse absolvere ab his directe, quia absolvunt ex vi privilegiorum tunc non revocatorum. Addunt aliqui cum Pecorar. ex Peregr. & Merol. etiam sine onere, & à fortiori in articulo mortis; quia tunc absolvunt ex privilegio tanquam Sedis Apostolicæ Delegati: verum (quidquid sit de articulo mortis) certe id negandum in casu necessitatis juxta dicenda num. 4. & in casu impedimenti merito negant Bord. Pelliz. & alii communiter, quia tunc concessio facta Episcopis est cum onere juxta dicta num. 2. & sic solum non sunt mere Papales. In dubio facti, vel juris dicam num. 4. Possunt demum Regulares Confessarii commutare omnia vota pœnitentium (exceptis tantum quinque, scilicet ex dictis de Voto §. 4.) etiam in aliquid notabiliter minus, ex justa tamen causa. Imo etiam dispensare id est vice Dei declarare, Deo non placere, ut in his, vel illis circumstantiis votum servetur, ex privilegio Eug. IV. Bullato Monachis Benedictinis Italiæ concessio: Pelliz. t. 2. tr. 8. c. 3. fol. 522. etiam si vota sint jurata; etiam in juramentis, dummodo non cedant in præjudicium tertii, vel non sint ab eo acceptata: Pelliz. ib.

IV. Confessarii Seculares, etsi Parochi, non possunt absolvere à suprascriptis Casibus Papalibus, sive publicis, sive occultis, neque dispensare, aut commutare vota, nisi specialiter eis delegetur; cum per se privilegium non habeant. Possunt tamen absolvere à Papalibus, Primo, In dubio facti, an scilicet pœnitens incurrerit, necne Casum Papalem: Suar. Bonac. & alii contra Armil. Secundo, In dubio juris, an scilicet delictum pœnitentis sit necne comprehensum sub lege Papali; & adhibita morali diligentia adhuc perseveret dubium; quia in dubiis melior est conditio possidentis, & Confessarius approbatus est in possessione suæ jurisdictionis: Bon. & alii. Neque obstat Decr. Clemen. VIII. ann. 1610. prohibens absolutionem à Casibus *Etiam dubie* contentis in Bulla Cœnæ, &c. nam Decret. moderat. ann. 1612. id omisit, ideoque censetur revocasse: Pelliz. & alii apud Dian. p. 10. t. 14. r. 8. hinc, si propter tale dubium data sit absolutio, & postea innotescat, peccatum certo fuisse reservatum. Hurt. Sa, Portel. Gob. Dicast. & alii probabiliter dicunt, sublatam esse reservationem, & censuram, quia in eo dubio habebat etiam simplex Confessarius jurisdictionem, adeoque ab-

solvit directe, & sine onere, quæ omnia à fortiori procedunt de Confessario Regulari. Possunt etiam probabiliter Confessarii Seculares absolvere, cum onere ab omnibus Papalibus in articulo, vel periculo mortis, est excommunicatio Casui adnexa non sit deducta ad forum contentiosum, juxta dicta q. 1. c. 1. Probabiliter etiam possunt (cum onere tamen) absolvere ab omnibus Papalibus, in casu legitimi impedimenti, quo pœnitens non solum nequeat adire Romam, ejusque delegatum, sed neque ad Episcopum, ita ut impedimentum sit saltem diuturnum, juxta dicta n. 2., quia tunc etiam militat ratio, *Ne dilatione pœnitentiæ periculum imminuat animarum*; arg. cap. ult. de Pœnit. Et Semiss. Sylv. Henr. Bon. Dicast. Gran. Tann. & alii, contra Sanchez, Lug. Suar. & alios: cum onere tamen comparandi coram Superiore, si casus adnexam habeat excommunicationem; non quidem, ut iterum ab ea absolvatur, cum absolutio fuerit directa, sed ad præstandam obedientiam, ac recipiendum mandatum, juxta dicta n. 2. Demum id possunt in casu necessitatis communicandi, vel celebrandi, ad vitandum scilicet grave damnum, infamiam, scandalum, &c., nec sit copia habentis facultatem in reservata; tunc enim quis Confessarius potest absolvere talem pœnitentem directe à non reservatis; indirecte vero tantum à reservatis, adeoque cum onere hæc iterum confitendi habenti facultatem; nullatenus vero à censuris adnexis, quas tantum suspendit quoad effectum communicandi hic & nunc, aut celebrandi: Bon. & alii communiter. Et ratio est, quia quis Confessarius habet jurisdictionem in non reservata, & aliunde habet justam causam ejus exercendæ ob dictam necessitatem. Quod autem Trid. sess. 18. dicit, Confessarium inferiorem nihil posse circa casus reservatos, præciso articulo mortis, intelligitur tantum de absoluteione directa, non autem de indirecta in casu dictæ necessitatis, in quo proinde pœnitens debet confiteri etiam non reservata, ut valide absolvatur. Imo non obstante Trid., & Bulla Cœnæ, in casu legitimi impedimenti Confessarius inferior probabiliter absolvere potest directe; quia jus Canonicum, sicut exceptionem hanc, *Nisi in articulo mortis*, ampliavit ad legitimum impedimentum relate ad Episcopos, ita ex identitate rationis etiam ad alios Confessarios, si adiri Episcopus non possit, *Ne scilicet dilatione pœnitentiæ periculum*

culum immineat animarum; cum onere tamen comparandi ad recipiendum mandatum, juxta jam dicta n. 1.

§. II.

Quis possit absolvere à casibus Episcopalibus extra articulum, vel periculum mortis?

PRÆTER casus, quos sibi reservant Episcopi, & exponunt in tabellis, sunt etiam alii, qui Episcopo reservantur à jure, aut consuetudine: à jure quidem communi sunt quidam casus Pontificii, quorum absolutio concessa est Episcopis, juxta dicta c. antecedenti n. 2., adeoque dici debent potius hic concessi. A jure Diocesano sunt quidam casus reservati in Synodo, sed ab Episcopo non expositi in tabella. A consuetudine demum sunt homicidium, mutilatio, crimen falsi, &c., quæ communiter in omnibus Episcopatibus reservari solent; item alia ex consuetudine particulari cujusvis Diœcesis. His suppositis

I. Episcopus absolvere potest non solum ab omnibus à se reservatis, sed etiam à suo antecessore, ut patet. Imo, si Episcopus sic statueret, *Volo, ut qui tale delictum commiserit, incurrat casum, & censuram à me reservatam Papæ*: Rayn. apud Croix num. 1653. ait, adhuc posse ipsum absolvere; quia non potest à se tollere potestatem ordinariam, quam habet in casum à se reservatum. Eandem facultatem habet Vicarius Capitularis sede vacante, utpote successor Episcopi quoad jurisdictionem; non tamen Vicarius Generalis, nisi specialiter ei concedatur ab Episcopo: Barb. Meroll. & alii apud Tambur. *de Cas. Res.* c. 10. num. 10. Eandem facultatem de facto habet Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis saltem ex concessione speciali Episcopi committentis illi generaliter; imo Chapeavill. c. 4. sustinet, illum ratione officii habere hanc potestatem in omnes casus, & censuras Episcopales. Archiepiscopus vero non potest absolvere à reservatis Episcopo suffraganeo, nisi in actuali visitatione illius Diœcesis, vel in casu appellationis, si ille injuste nolit absolvere. At Legatus à latere absolvere potest à reservatis cuivis Episcopo suæ Parochiæ, exceptis censuris per sententiam particularem latis, ut limitat Gavant, apud Tamb. n. 2.

E e 4

Quæ-

Quæres, An possit Episcopus auditis tantum reservatis absolvere, & remittere pœnitentem, ut à reliquis absolvatur per alium Confessarium?

Respondeo negative; Quia esset dimidiare Confessionem, quod jure Divino non licet, nisi ratione impotentiae physicae, vel moralis, ex dictis d. 1. q. 4. c. 7. §. 1. & 2. Quare extra talem impotentiam tantum possit Episcopus, vel etiam quivis alius habens facultatem in reservata, absolvere extra sacramentaliter à censuris adnexis, & similiter tollere reservationem casuum, & sic remittere pœnitentem, ut absolvatur ab omnibus peccatis per alium Confessarium. Cæterum, si ipse Sacramentaliter absolveret tantum à reservatis etiam extra casum dictae impotentiae, pœnitens in bona fide esset valide absolutus; secus, si in mala fide, quia sic & ipse peccaret: Bon. d. 5. q. 7. p. 5. §. 3.

II. Nullus alius Confessarius, sive Secularis, sive Regularis, etiam si sit Parochus, absolvere potest à casibus sive publicis, sive occultis, quos sibi reservant Episcopi, nisi ab his habeant licentiam, qualis in Synodo Neapol. conceditur Parochis absolvendi sponfos, &c., brevi contracturos, & eos, qui præcepto Paschali non satisfecerint, ex Decret. Clem. VIII. an. 1601. ejusque moderat. ann. 1612., ubi irritando vetatur, ne extra urbem intra Italiam audeant prætextu privilegiorum absolvere *A casibus, quos Ordinarii eorum sibi reservarunt vel imposterum reservabunt*: item ex Confirmatione Paul. V. an. 1617., ubi additur, ne absolvere audeant *Ab excommunicationibus, vel à casibus eisdem Ordinariis reservatis*; demum ex Innovativo Urb. VIII. an. 1628., ubi ampliando additur, *Nec intra, nec extra Italiam posse absolvere à casibus Ordinario loci reservatis*. Hinc ab Alex. VII. damnatur hæc Prop. 12.; *Mendicantes absolvere possunt à Casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id eorum facultate*, Putant tamen Comitol. Homob. Pelliz. Cespèd. & alii contra Bord. Flor. Viv. & alios complures, quod adhuc possit simplex Confessarius absolvere à casibus per Synodum reservatis Episcopo, si non sint ab eo expositi in tabella, etiam si neque in ea concedatur talis facultas, ut expresse conceditur in nostra Tabella Neapolitana. Ratio ipsorum est, quia, quando Episcopus eos non exponit in Tabella, censetur non curare, atque adeo tribuere generalem facultatem omnibus Confessariis absol-

ven-

vendi ab illis. Neque obstare dicunt Decret. Paul. V., Urban. VIII., & Alexand. VII.; nam hæc referri debent ad Decret. Clement. VIII., quod confirmant, innovant, & ampliant etiam extra Italiam; cum ergo ibi dicatur, *A casibus, quos Ordinarii sibi reservant, &c.*, de his etiam loquuntur reliqua decreta, non autem de aliis, quos non ipsi sibi Episcopi, sed Synodus eis reservat. Idem dicunt de casibus ex consuetudine, five Communi, five Diocesana, reservatis Episcopo nisi exponantur in Tabella. Casus vero jure communi reservatus Episcopo nullus est hodie, ut clare ostendit Suarez d. 29. Fagund. Peyrin, Cesped. & alii contra Bordon. & alios. Quos autem retulimus cap. anteced. num. 2. non sunt reservati Episcopo, sed Papæ, & pro aliqua causa commissi sunt tantum Episcopo: si tamen eos Episcopus sibi non reservat in Tabella, absolvi possent, non quidem à quocunque Confessario, sed ab habente aliud privilegium, juxta ibidem dicta num. 3. Sunt tamen aliquæ excommunicationes jure communi reservatæ Episcopis, puta Communicantis in crimine criminoso cum excommunicato denunciato ab Episcopo, ex c. *Nuper, de Sent. Excom.* Absoluti ab excommunicatione specialiter lata ab Episcopo cum onere comparendi postea apud illum, nec illud adimplentis, ex cap. *Eos, qui, de Sent. Excom.* in 6. atque ab his (qui tamen non sunt casus, sed censuræ) solus Episcopus, qui excommunicationem tulit, vel absolvit cum dicto onere, potest absolvere; &, si sint occultæ, potest quivis alius Episcopus. ex Trid. cit. c. antecedenti n. 2., adeoque nemo alius five secularis, five Regularis, nisi ei fuerit ab Episcopo commissum. Sicuti nemo absolvere potest à censura specialiter lata ab homine, nisi is, qui tulit, vel ejus Superior, aut Successor, etiamsi, qui tulit eam, sibi expresse non reservavit, ex c. *nuper cit.* Denique, quamvis Regulares vi privilegiorum absolvere possint ab excommunicatione generaliter lata ab homine, v. g. contra complices innominatos, tamen Sacerdotes Societatis Jesu non possunt sine speciali commissione suorum Superiorum, ut habetur *In eorum Compendio: v. Absolutio.* Putant demum Pelliz. tom. 2. fol. 508. & alii, Regulares vi suorum privilegiorum adhuc posse absolvere à censuris, quas sibi reservant Episcopi, excepta excommunicatione; quia in odiosis nomine casuum non veniunt censuræ ex

Nav. c. 27. num. 262.; & Decr. Paul. V. cit. solum limitat, *Ab Excommunicationibus*: ergo possunt à reliquis Censuris, quas sibi reservant Episcopi, modo non specialiter latae ab homine. Imo addunt probabiliter alii, Regulares vi privilegiorum posse absolvere etiam ab excommunicatione, quam generaliter ferat Legatus Apostolicus soli Papæ reservatam, v. g. contra Clericos arma portantes; quia hæc non est inclusa in dicto Decret. Paul. V., quod tantum loquitur de excommunicationibus Ordinariis loci reservatis.

Dubium est, An possint aliquando extra articulum, vel periculum mortis Confessarii sive Regulares, sive Seculares, absolvere à Casibus expositis in Tabella, non petita prius facultate?

Respondeo, Possè aliquando. Primo, Si probabiliter putent, quod possint absolvere ab iis; sive quia pœnitens putabat, se peccare tantum venialiter; sive quia est dubium facti, an scilicet pœnitens eam incurrerit; sive quia est dubium juris, an scilicet delictum pœnitentis comprehendatur sub lege Episcopali reservante; sive quia reservatio delicti publicata sit post delictum jam commissum, modo reservatio sit facta generaliter, & non in particulari pro tali numero delicto jam commissio. Secundo, Probabiliter in casu legitimi impedimenti perpetui, aut diuturni, quo pœnitens adire nequeat Episcopum, ejusve delegatum; & quidem sine onere quoad casus reservationem; cum onere tamen quoad censuras adnexas, nisi vero impedimentum sit perpetuum, vel Confessarius absolvens sit privilegiatus. Putant tamen Bonac., & alii communius, quod, si talis pœnitens impeditus adire personaliter Episcopum possit per literas, aut internuncium petere facultatem ab illo, ut absolvatur, ad id teneatur, neque adeo possit aliter absolvi; quia secus omnis vis reservationis plane enervaretur, præsertim quoad Moniales, &c., nisi vero citra grave incommodum, aut longam moram non possit ea facultas obtineri, ut limitat Suarez, d. 20. f. 3. num. 9. Sed adhuc Pal. ex Sanch. & Henr. probabiliter putant, nullum teneri per literas, aut Nuncium, petere ab Episcopo talem facultatem, quia Canonones tantum obligant ad adeundum Superiorem, non autem ad faciendas alias diligentias; ideoque si quis impeditus sit adire ad longum tempus, possit absolvi. Tertio, In casu necessitatis, ratione scilicet scandali, infra-

infamiae, &c. absolvere tantum possunt indirecte à casibus reservatis Episcopo, adeoque cum onere iterum confitendi illos habenti facultatem; at nullatenus absolvere possunt à censuris adnexis, quia talis necessitas non dicitur absolute legitimum impedimentum, in quo ex dilatione pœnitentiæ sit periculum animarum: Quart. & alii communiter contra Pasqual. non recte hæc duo confundentem. Quarto, Peyrin. apud Cespèd. cap. 6. d. 143. ait, probabiliter defendi posse, quod possint Regulares certis diebus Indulgentiæ plenariæ in suis Ecclesiis absolvere à casibus Episcopalibus; quia, qui observantiam legis ad tempus ex privilegio quoad effectum suspendit, eam etiam illo tempore dicitur observare: qua ratione utitur Henr. l. 13. c. 48. n. 5. ad probandum, quod privilegia Regularium concedentia suspensionem interdicti in certis diebus non sunt revocata per Trid. *sess. 25. c. 12. de Regular.* Ad Decr. Clem. VIII. dic, quod loquitur de probabilitate generali, & sic revocat ea privilegia, quæ dictam generalem absolutionem concedebant: cum quo stat, quod possint Minimi in aliquibus diebus anni à dictis casibus absolvere: hæc Peyrin. nec improbat Cespèd. alii vero communiter negant. Quinto, Laym. l. 5. t. 6. c. 12. n. 11. ait: Si pœnitens bona fide ad Confessionem venerit, vel quia nescivit tale peccatum Superiori reservatum esse, vel, tametsi sciverit, existimavit tamen, legitime se ab inferiori Sacerdote absolvi posse cum obligatione postea tempore opportuniore se præsentandi Prælato, in hoc casu arbitrator, plerumque absolutionem cum onere dari posse; modo pœnitens præter reservatum aliquid peccatum absolutioni subjiciat. Ratio est, quia aliqualis necessitas urget; siquidem pœnitens ægro animo discederet absque absolutione, cum ex parte bene dispositus sit. Excipe, nisi excommunicatio adnexa sit: de qua re Rich. in 4. d. 18. a. 9. q. 4. Hactenus Laym. Sexto, Si pœnitens afferat calum reservatum in alia Diœcesi, non autem in hac, ubi sit confessio, absolvi potest à quovis istius Diœcesis Confessario; quia absolvitur juxta leges hujus loci: Doctores communiter, præsertim ex Constitutione Clem. X. *Superna*; quæ tamen limitat, nisi Confessarius noverit, illum *In fraudem reservationis alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse*; Quæ tamen fraus intelligitur à nonnullis Doctoribus, cum illud delictum est deductum aliquo pacto ad forum

con-

contentiosum illius Episcopi: si autem sit occultum, non censetur fraus mala; utitur enim jure suo volens se reponere in gratia, ubi existit: Tamb. At, si poenitens cum casu reservato incurso in alia Dioecesi accedat ad hanc, ubi est etiam reservatus, non potest hic absolvi à quovis Confessario, ex ead. Const. & ratio est, quia consuetudo ex tacito consensu illius Ordinarii dat huius Confessario jurisdictionem absolvendi talem peregrinum juxta leges hujus Ordinarii reservantis eundem casum. Reliqua de peregrinis, & Vagis vide dicta c. 2. quæst. 4.

§. III.

Quis absolvere possit Poenitentem Regularem à reservatis?

I. **R**EGULARES absolvi possunt à reservatis Papalibus per Legatum à Latere, qui est Judex ordinarius etiam Regularium exemptorum; ideoque hic etiam sine licentia Superioris Regularis potest eos absolvere etiam à reservatis in eorum Ordine: item potest hanc facultatem delegare aliis, ut eos absolvant etiam extra suam Provinciam, & etiam eo amoto ab officio, modo facultas obtenta sit intra ejus Provinciam, & perseverante Officio: Pelliz tr. 8. c. 1. n. 7. 8. fol. 454. ex Nald. Molfes. Coriolan. & aliis. Idem est de Summo Poenitentiario Papæ, qui est etiam supremus Ordinarius Regularium: non sic vero de Episcopo, qui nequit absolvere Religiosos exemptos, nisi de licentia eorum Superiorum, & à casibus tantum, à quibus ipsi Superiores possunt absolvere: Sanchez l. 4. Decal. c. 39. num. 32. potest tamen etiam sine hac licentia absolvere à Censura Religiosum exemptum, qui percussit Clericum Secularem, ex c. Religioso, de Sent. Excom. in 6.

II. Regulares absolvi possunt per suum Superiorem localem ab omnibus reservatis in suo ordine: à Papalibus autem, quantum potest Episcopus relate ad suos subditos, juxta dicta c. 5. n. 2. excepta tamen percussione jam dicta Clerici secularis, quæ tantum ab Episcopo absolvitur; & percussione Religiosi alterius Ordinis, in quo casu requiritur præsentia, vel consensus Superioris Religiosi percussi, ex c. Cum illorum, de Sent. Excom. Potest item Superior Regularis absolvere suos Novitios

vitios à reservatis Episcopo, quos etiam ante ingressum commiserint, & à Papalibus, quantum potest Episcopus, & à reservatis in ordine (quos incurri etiam à Novitiis Societatis Jesu, docet Mangionius in MS. de *Jur. Societ.* licet non in aliis Religionibus teste Dian. p. 3. t. 2. r. 110.) Similiter absolvere potest existentes in Novitiatu veluti in prima probatione, licet nondum indutos veste Religionis: Peregr. Vecch. Afcan. Tambur. de *Jure Abbatis* t. 2. d. 13. q. 15. n. 29. Similiter absolvere potest volentes ingredi Religionem, petendo admitti amore ingrediendi quamprimum; ita tamen ut, si parati non sint mox ingredi, & peractis experimentis vota emittere, reincidant in censuras, sententias, & pœnas: Vecch. Tambur. & alii. Similiter absolvere potest seculares familiares Monasterii, dummodo sint quasi de familia, & continui commensales, ex cit. Constit. Clem. X. Peyr & alii. Similiter demum absolvere potest alumnos degentes in suo Monasterio, velut in Seminario: Bord. apud Pelliz t. 8. c. 3. n. 57. dummodo locus, in quo degunt alumni, & convictores, sit Regularium, & non econtra, ut bene limitat Lugo. *In Resp. Moral.* Verum, si quis dictorum pœnitentium, vel sit secularis, vel Novitius, vel etiam Professus, ante ingressum in Religionem fuit nominatim excommunicatus ab Episcopo, ab hoc tantum absolvi debet; quia privilegia Regularium non possunt lædere jurisdictionem contentiosam Judicis: Bordon. r. 3. q. 7.

III. Superior Regularis dictam suam facultatem potest delegare aliis Sacerdotibus, tum intra, tum extra Religionem. Hoc ipso autem, quod deputat Confessarium suorum subditorum, non censetur ei delegare facultatem ad reservata in Ordine; & in Societate Jesu neque ad Papalia, ut addunt Tambur. & alii contra Quintanad. Imo neque in Societate, cum bis in anno in renovatione votorum deputantur plures Confessarii, censetur his concessa facultas ad reservata, teste Mangionio in MS. de *Jur. Soc.* Imo, quamvis possit Superior concedere facultatem absolvendi suos subditos à reservatis, tamen in Societate expresse cautum est, ut, si ipse Superior incidat in reservatum, non possit ipse concedere hanc facultatem pro se, sed ex Congr. Generali 8. c. 6. n. 8. designatur à Provinciali Confessarius domus pro Superiore locali, & à Generali solius pro Provinciali.

Superior

Superior localis absolute loquendo non tenetur dictam suam facultatem concedere generaliter Confessario domus, aut subdito pœnitenti, quia fere semper intra domum ipse existit, à quo peti possit. Potest tamen eam concedere etiam generaliter; quia, quamvis Decr. Clem. VIII. cit. c. 3. §. 1. dicat, *Quando casus occurrit*, non addit clausulam negativam, ut non possit generaliter committere: Tamb. *de Cas. Reser.* c. 9. §. 2. n. 26. imo quandoque, inquit Quintanad. apud eundem, expedit, ut ita committatur, si nimirum ipse sit occupatus, vel ire debeat extra urbem, vel sint pauci subditi, vel pro aliquibus magnis festis anni, &c. Magister autem Novitiorum habet hanc facultatem relate ad illos, etiam si non sit Superior, uti etiam Instructor in Societate relate ad peragentes tertium annum. Si autem Confessarius Regularium petat à Superiore facultatem absolvendi aliquem subditum ab aliquo reservato, & Superior neget absque causa, potest pro ea vice talis Confessarius eum absolvere (quod aliqui cum Tambur. extendunt eam ad Sacerdotem Monasterii non Confessarium) secus vero, si Superior rationabiliter neget, eo quod damnum proximo, aut Religioni, vel ipsi pœnitenti ex tali absolutione timeatur: Doctores communiter ex cit. Decr. Clem. VIII. & Urban. VIII. Cæterum non licet Superiori confessiones subditorum Regularium audire, nisi sponte, & proprio motu id ab eo petierint, aut nisi quando reservatum admiserint; ideoque in singulis domibus deputet duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum majori, vel minori numero, ut additur in eod. Decr. Clem. VIII. Si ergo in domibus non designentur duo Confessarii, aut plures, ubi major est numerus subditorum, Mendo d. 24. a. c. 5. putat. reservationem pro eo tempore videri impeditam, seu suspensam. In Residentiis, Missionibusque fixis, in quibus è nostris pauci morantur, jus idem habent earum Superiores, ac Rectores Collegiorum, integra tamen illis subditis manente concessione Congr. VIII. Decr. 25. pro parvis domibus, qua scilicet pœnitens, si non vult petere facultatem à Superiore, absolvi possit à reservatis per Confessarium ordinarium cum onere se præsentandi postea Provinciali, si brevi sit in ejus domum discessurus; item, si Superior ex Urbe abierit, Vicepræpositus, vel Vicereceptor ab eo dictus, habet facultatem absolvendi à reservatis, qualem habet ipse Superior. Quod

Quod si nullum suo loco substituerit, etiam si per unum, integrum tamen diem, sit tunc absens, nec consuli possit; is, qui Minister est, & domui tunc præest, facultatem habet tunc absolvendi, & etiam delegandi. Denique, ut omnes eximantur scrupuli, cum Confessarius bona fide dubitat, an mortale sit, quod proponitur, etiam si ex genere suo reservatum sit, potest absolvere, licet ejusmodi dubitatio ex ignorantia procedat; sed neque postea, si animadverterit manifeste fuisse mortale, repetenda erit confessio; bona liquidem, & vera fuit absolutio: hætenus ex Ordin. General. c. 6. ubi etiam c. 5. additur, Clem. VIII. vivæ vocis oraculo dispensasse cum Societate Jesu, & concessisse, ut Magistri Novitiorum possint eorum confessiones audire; ut non teneatur Superior deputare duos, vel plures, quibus reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrit; ut ne judicium talis commissionis relinquatur Confessario; sed interdum Superiori pro ratione sui officii, in quibus casibus constet, & discreta charitas doceat esse denegandam.

Denique Religiosus iter faciens (præsertim si sit Societatis Jesu) absolvi potest à reservatis per Sacerdotem socium sui itineris; & si is desit, per quemcunque alium Sacerdotem: quod si ad aliquem Societatis locum devenerit, absolvi debet per Confessarium ordinarium illius loci; aut, si is haberi non possit, per quemlibet Societatis approbatum; aut, si is quoque desit, per quemlibet externum: & in omnibus his circumstantiis cum onere, ut se postmodum sistat suo Superiori, ad quem est iturus, vel rediturus, ex Ordin. Gen. c. 6. nec mirum est, inquit Tambur. ex Lugo, illum obligari bis confiteri illa reservata, jam directe absoluta; nam seipsum ad id obligat, quia supponitur voluntarie prima vice confiteri: si autem adsit necessitas communicandi, vel celebrandi, ratione scandali, infamiae, præcepti, &c. absolvitur tantum indirecte, ita ut debeat deinde directe absolvi, licet possit tunc tantum conteri, & communicare, aut celebrare. At, si spatio saltem unius mensis sit hospes in aliquo Collegio moraturus, si eo tempore incidat in reservatum, poterit, & debet absolvi à Superiore illius loci, vel de ejus licentia absque ullo onere, ex cit. Ordin. Si autem in eo Collegio secum habeat hospitem etiam suum

Supe-

Superiorem, poterit etiam hic, si velit, eum audire, & absolvere: Quintanad. in MS. v. *Confess.*

Extant duo privilegia Fr. Minorum de Observantia apud Rodr. & Suar. t. 4. de *Relig.* Primum est, ut semel in vita eligere possint Confessarium de Ordine, quo absolvantur ab omnibus omnino reservatis, & censuris, & dispensentur in irregularitate, excepta ex homicidio, vel mutilatione voluntaria. Secundum est, ut in articulo mortis ab eo absolvi possint ab omnibus omnino sine ullo onere, & quidem toties, quoties sunt in eo articulo, ut addit Suar. loc. v. Rodr, tom. 1. q. 6. a. 6. pag. 364. idipsum asserentem de Novitiis, & Familiaribus Conventus. An autem hæc privilegia sint bullata, ignorat Pelliz. t. 8. c. 2. n. 79.

§. IV.

Quomodo intelligendæ sint concessiones absolvendi à reservatis?

AD absolvendum à reservatis extra casus supra enumeratos requiritur licentia specialis, & expressa, ex cap. 2. de *Pœnit. & Remis. in 6.* quia, cum Superior sibi specialiter reservet tales casus atrociores, non videtur verisimile velle concedere aliis facultatem, nisi per expressam, & specialem licentiam, seu delegationem: quamvis ergo simplex Sacerdos absolvens pœnitentem, præsentem, & non contradicentem Episcopo, valide absolvat ex licentia tacita illius; non tamen, si absolvat à reservatis, quia tunc Superior tacite approbat, ut solet alios authentice approbare, tantum quoad non reservata: Averf. q. 17. f. 7.

Quæres primo, An petere talem licentiam pro reservatione sit onus pœnitentis, an Confessarii?

Respondeo, per se loquendo, esse onus pœnitentis, quia ad ipsum delinquentem pertinet eam difficultatem pati ad eundem Superiorem ad impetrandam licentiam. Hinc Trid. *sess. 14. c. 7.* monens Confessarios ait, *Il unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiorem & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.* Cæterum, si pœnitenti sit valde difficile adire Superiorem, vel dictam licentiam impetrare, & simul periculum sit, ut potius perseveret in statu mortalis in grave dam-

damnum animæ, charitas obligat Confessarium ad obviandum ejus damno spirituali, quoties fieri id potest absque gravi incommodo: Pelliz. t. 8. c. 3. n. 26. & alii. Addit Quart. Confessarium, si rogatus à pœnitente petiit, & obtinuit licentiam, teneri postea illum absolvere, quia, quando causa fuit deducta in judicium apud ipsum, tenetur eam complere, posita dicta facultate; quamvis enim hæc sit privilegium, tamen res non est integra; ideoque tenetur eo uti in favorem pœnitentis.

Si autem petita sit licentia, & non obtenta non potest eum absolvere, etiam si injuste sit negata: Doctores communiter contra Henr. Rodr. & alios apud Avers. & Dian. p. 2. t. 4. r. 29. & colligitur ex Prop. 13. damnata ab Alex. VII. juxta dicta q. 1. c. 3. §. 2. quamvis quoad pœnitentes Regulares benignius procedatur ex speciali Decr. Clem. & Urb. VIII. juxta dicta cap. antec. Cœterum, quamvis Superior, per se loquendo, non teneatur concedere talem licentiam, ut colligitur ex natura ipsa reservationis, qua Superior ad se avocat sententiam super reservatis, communiter tamen non denegat, nisi in casu aliquo atrociori, ut sic territi pœnitentes efficacius proponant ab eo abstinere: imo aliquando tenetur Superior concedere, quoties scilicet denegatio vergeret in grave damnum pœnitentis, qui actus in desperationem plura peccata committeret, v. g. si quis non haberet animum accedendi ad Superiorem, & prænimia repugnantia, aut verecundia mallet omittere confessionem, & perseverare in peccatis, quam confiteri Superiori, & à fortiori, si esset periculum infamiæ, scandali, &c. tunc enim Superior tenetur ex officio, adeoque ex justitia dare licentiam, vel Confessario pœniti, vel alteri magis idoneo: Suarez d. 3. s. 4. & alii.

Quæres secundo, An Pœnitentiarius, vel alius habens à Superiore facultatem delegatam absolvendi à reservatis, possit eam alteri Confessario subdelegare?

Respondeo: Primo, Non posse concedere generaliter: Secundo, Possit in casu particulari occurrente pro ea vice: Doctores communiter cum Sanchez l. 3. *Matrim.* d. 31. vel etiam occursuro intra aliquot dies, ut addit Pelliz. t. 8. c. 3. s. 2. dub. 2. n. 134. Patet primum, quia ex *L. fin. ff. de Off.* delegatus non potest subdelegare, hoc est facultem sibi delegatam alteri simpliciter

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. Ff con-

concedere; nisi forte sit delegatus Principis, ex cap. fin. *de Off. delegat.* qualis in casu esset Summus Pœnitentiarius Papæ, vel Legatus à latere. Patet secundum, quia ex *L. 1. ff. Quis, & à quo*, delegatus ad universalitatem causarum reputatur, quasi Ordinarius: ergo potest saltem unam, vel alteram causam subdelegare in casu particulari hic & nunc occurrente, aut intra aliquot dies occursuro; & hanc potestatem non posse limitari à principali delegante, ait Pelliz. eo quod fit à jure. Imo, etiam si habeas delegatam facultatem *Per teipsum tantum* absolvendi, adhuc putant aliqui ap. Crox n. 1687. te posse ab alio per te subdelegando absolvi; quia non debes esse deterioris conditionis, quam alii, quod certum est de Episcopis ex decl. S. Congr. sed quoad alios id negat Averf. quia, dum dicitur *Præcipuum*, negatur potestas subdelegandi. Dicitur autem delegatus ad universalitatem causarum is, cui aliquod saltem genus causarum committitur sub uno nomine colectivo, quamvis non sit genus generalissimum, ut si ei detur facultas absolvendi à reservatis pro tali festo, vel à reservatis in tali loco, vel à reservatis absque censura, vel generaliter à tali casu; is enim potest ad casus particulares hic & nunc occurrentes dare facultatem simplici Confessario approbata, ut absolvat pro eo festo, pro eo loco, &c. & sic, quoties pro eo festo, pro eo loco, &c. petatur. Cæterum subdelegatus non potest alteri subdelegare, quia nullatenus est ad universalitatem causarum, ut patet.

Quæres tertio, Quomodo intelligendæ sint licentiæ limitatæ absolvendi à reservatis?

Respondeo, Si licentia sit limitata quoad certum tempus, puta pro tali festo, durat per totam octavam, si festum octavam habeat; quia tota octava reputatur idem dies cum festo, & pro toto hoc tempore militat finis concessionis, cum fideles toto eo tempore soleant accedere ad solemnitatem: Pelliz. t. 8. c. 3. s. 2. sub. 2. num. 136. ubi addit, talem concessionem incipere etiam prodesse à puncto temporis, quo data est; & si festum sit ex solemnioribus, puta Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, Assumptionis, probabiliter prodesse etiam per octo dies ante, idque ex rationabili interpretativa voluntate concedentis spectato concessionis fine, & concursu populi, &c. Si autem licentia dicat, ut hic pœnitens absolvatur à reservatis, potest

potest per eam absolvi etiam post plures annos, & probabiliter mortuo etiam concedente, siue ea data sit Confessario, siue pœnitenti; quia est gratia facta, juxta dicta q. 1. c. 2. §. 2. Si autem pœnitens, antequam dicta licentia mandetur executioni, iterum incidat in reservatum, Lug. Dicast. Gob. Bon. & alii apud Dian. p. 4. t. 4. r. 109., & Averf. q. 17. f. 7. dicunt, etiam se extendere ad illum, nisi expresse limitetur ad præterita; quia mens concedentis est, ut consulatur saluti pœnitentis, & per absolutionem liberetur integre à peccatis. Si Confessarius obtinuit licentiam pro determinata persona, Moronus, & Pelliz. putant, posse ea uti pro alia loco illius, quia idem est finis concedentis, & gratia late interpretanda; nisi vero aliunde præsumatur mens concedentis hunc alium excludere. Si vero obtinuit licentiam pro una persona innominata, Pelliz. Averf. Dian. & alii putant, posse passively uti pro se, nisi moraliter constet, Superiorem intendisse ei solam activam potestatem, ut addit Lug.

Quæres quarto, Quomodo intelligendæ sint licentiæ illimitatæ absolvendi à reservatis?

Respondeo primo: Si licentia dicat, *Ab omnibus reservatis Sedi Apostolicæ*, non comprehenduntur casus Bull. Cœn., quia indigent speciali mentione, utpote strictissime reservati; uti nec in concessione omnium casuum Bull. Cœn. comprehenditur hæresis, nisi exprimat, utpote etiam indigens specialissima mentione: Doctores communiter contra Tann. apud Croix num. 1616. Putant tamen Suar. Vasq. Laym. Henr., & alii, in dicta licentia comprehendi etiam casus Episcopales; quia, quos sibi reservant Episcopi, reservantur etiam Sedi Apostolicæ, à qua scilicet absolvi etiam possunt: sed omnino negandum est cum Veg. Rodr. Bonac. aliis præsertim post Constit. cit. Clem. X. ubi loquens de Regularibus expresse ait, *Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis: non ideo à casibus reservatis Episcopo posse absolvere*: ergo pariter dicendum de aliis concessionibus absolvendi à reservatis Sedi Apostolicæ.

Respondeo secundo: Si licentia dicat; *Ab omnibus casibus reservatis Episcopo*, non comprehenduntur casus, quos Episcopus non vult concedere, nisi nominatim

exprimantur, qualis est in hac Diœcesi collocutio cum Monialibus de obscœnis. Probabiliter tamen putant Suar. d. 7. de Censur. l. 4. n. 3. & alii, in dicta licentia comprehendi etiam casus Episcopales, quibus est adnexa excommunicatio, aliave censura, quia ex recepto more loquendi nomine casuum reservatorum veniunt etiam, qui adnexam habent censuram: &, ut addit Pelliz. ex Nav., in favorabilibus (non tamen in odiosis) censura est casus; sed probabilius negant Sanch. Bon. & alii; quia sunt multi casus Episcopales, quibus non est adnexa censura, ut patet in eorum tabellis: ergo de his tantum videtur loqui dicta licentia.

Quæres quinto, Quomodo intelligenda sit Bulla Jubilæi, præsertim quoad facultatem absolvendi à reservatis?

Respondeo, Solere in ea concedi omnibus Confessariis approbatis ab Ordinario amplam facultatem absolvendi pro ea vice tantum quoscunque à casibus, & censuris ordinariis locorum, & Sedi Apostolicæ, etiam in Bul. Cœn. reservatis; satisfacta tamen parte: item commutandi omnia vota, exceptis votis Religionis, & Castitatis.

Dicitur primo, *Absolvendi*, & quidem pro utroque foro, dummodo confitet, pœnitentem tempore Jubilæi esse absolutum: sed dubium est, an absolutio à censuris dari tunc possit extra confessionem Sacramentalem, cum verba Jubilæi plerumque dicant, *Auditis Confessionibus, &c.*; probabilius tamen ex Sanch. l. 8. Matr. d. 34. n. 29. videtur posse, quia hæc verba non ponuntur cum particula aliqua denotante conditionem, qualis est, *Si, Dummodo, &c.*, sed tanquam modus ad finem lucrandi Jubilæum. Similiter commutatio votorum, & operum injunctorum, ac temporum pro impeditis fieri potest extra confessionem: Croix num. 1460.

Dicitur secundo, *Pro ea vice tantum*, hoc est durante Jubilæo, & quidem toties quoties pro eo tempore, præsertim ea septimana, qua peraguntur opera injuncta: imo, si prima septimana lucratus sis Jubilæum, & in secunda incidas in reservatum, adhuc poteris tunc absolvi, etiamsi opera præscripta non repetas. Bonac. Pal., & alii contra Navar. Dian., & alios. Item, si rite confessus tempore Jubilæi omiseris

ris inculpabiliter reservatum, aut censuram, five ex oblivione, five ex justa causa silentio presteris, utrumque sublatum est, quia Confessarius absolvit, quantum potuit; quare, si post Jubilæum recorderis, poteris peccatum oblitum subicere cuivis Confessario, juxta dicta c. 5.; imò Lug. apud Croix addit, etiam si confessio fuerit sacrilega, modo adfuerit intentio bene postea confitendi: sed hoc communiter videtur esse contra mentem Pontificis; bene tamen, si fuerit invalida inculpabiliter: Dicast. & alii. Item, si justa ex causa prorogatum sit tibi Jubilæum, frui poteris dictis licentiis, quousque durat prorogatio; quod, si interea incidis in reservatum, Lug. Gobat. & alii negant, posse ab hoc absolvi: quia jurisdictio prorogatur tantum respectu ad reservata existentia tempore Jubilæi communis; probabiliter tamen etiam affirmant Boss. Faust. Dian., & alii, quia prorogatio Jubilæi conceditur, ut possis illud lucrari, & secundum hanc sententiam possent tunc etiam commutari vota post illud tempus emissia. Item, si oblitus mortalium impleveris reliqua opera injuncta tempore Jubilæi absque confessione, & postea recorderis reservatorum, Sanch. Lug. & alii probabiliter putant, posse absolvi à quovis Confessario; quia probabile est, lucrari tunc Jubilæum.

Dicitur tertio, *A casibus, & censuris, &c.* Per casus Sedi Apostolicæ reservatos, Sayr. Cord. Fagun. Regin. Gob. & alii intelligunt tempore Jubilæi etiam hæresim, & ita declaratum testatur Filliuc., sed probabilius negant Suar. Vasq. Pal. Avil. Bonac., & alii, quia hæresis ex dictis indiget specialissima mentione, & adest Declar. S. Congreg. sub Alexand. VII. an. 1656. apud Tambur. *in Op. post.* Item per casus Sedi Apostolicæ reservatos, Suar. & alii intelligunt tempore Jubilæi etiam reservatos Episcopo, etiam si de his in Bulla non fiat mentio; sed probabilius videtur oppositum, juxta dicta quæsit. 4. Per censuras autem intellige eas, quæ per se impediunt Sacramenta pœnitentiæ, & communionis, qualis est omnis excommunicatio etiam publica, & vitanda: item interdictum personale speciale; non autem interdictum locale, aut personale generale; neque suspensio, ut addit Averl. l. 7, contra alios; neque irregularitas, ut docent communiter contra Bann. Medin. aliosque Thomistas putantes,

irregularitatem ex delicto habere vim censuræ. Ad-
dit Avila, quod, si excommunicatio sit denunciata, vel
deducta ad forum contentiosum, satius sit, ut pœnitens
remittatur ad Judicem.

Dicitur quarto, *Quoscunque, cujuscunque sint Diœcesis,
modo confiteantur Confessario approbato ab Ordinario
loci.* An autem possint tunc Regulares, & Moniales
absolvi sine licentia sui Superioris à quovis Confessario,
sive Regulari, sive Seculari, modo approbatus sit ab
Ordinario loci, hoc est ab Episcopo, dictum est q. 1. c. 3.
§. 4. An autem approbatus tantum pro viris possit tunc
absolvere etiam mulieres, negant Doctores communiter
cum Suar. d. 28. f. 7., quia scilicet non habet approba-
tionem relate ad illas; quamvis Fagund. & alii apud
Dian. p. 1. t. II. r. 9. putent, quod, si restrictio approba-
tionis ad solos viros sit solum ratione ætatis, non vero
idoneitatis, possit etiam à mulieribus eligi. Similiter
approbatus limitate ad certum locum, tempus, aut per-
sonas, non est universim eligibilis vi Jubilæi: Doctores
communiter cum Filliuc. Gob. Bossi. & aliis contra alios
apud Dian. cit. Denique nota ex Sanch. Gob. & aliis,
quod Pœnitens vi Jubilæi rite eligens Confessarium ap-
probatum, etiamsi non Parochum, cum obligat sub mor-
tali ad audiendam suam confessionem, &c., quia habet
à Papa jus eligendi.

Dicitur quinto, *Satisfacta tamen parte.* si qua scilicet
fuerit ab eo læsa. Quod si non possit, sufficit jura-
mentum, vel juxta Navarr. Henr. & Dian. propositum
satisfaciendi, cum commode poterit, & nomine par-
tis, non venit hic Judex, vel Ecclesia, cui fuit contumax,
nisi forte sit etiam læsa: Avil. & alii. Si autem
possit satisfacere, & accedit tantum cum Proposito sta-
tim satisfaciendi, Suar. & alii communiter dicunt, in-
valide absolvi; quamvis Sanch. & alii probabiliter pu-
tent, valide quidem, quamvis illicite, quia talis con-
ditio, cum non sit expresse irritans, censetur tantum
prohibens.

Dicitur sexto, *Commutandi vota, &c.* Commutari
ergo possunt, ex justa tamen causa, etiam in aliquod
minus, vota etiam jurata; imo etiam juramenta, mo-
do non fiat in damnum tertii, Suar. Sanch. & alii
communiter contra Bonac. Lessi. & alios: exceptis
tantum votis Castitatis, & Religionis, si tamen sint
vota perfecta, & ex amore virtutis emissa, ut limitant
Pal.

Pal. & alii: quare hæc etiam commutari possunt, si sint vota pœnalia; vel sint conditionalia, etiamsi purificata sit conditio; vel sint alternativa cum alia materia, etiamsi hæc evaserit impossibilis; vel sint elicitæ ex metu, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco, sive injuste incussio, etiam levi; vel emissa ab impubere; vel sub obligatione levi; vel ad tempus; vel si fuerint plura vota partialia pertinentia ad castitatem; vel demum si sint mera juramenta servandi Castitatem, ingrediendi Religionem, &c. Ita probabiliter Pal. Sanch. & alii contra alios. Illud nota, ut valide fruatur dictis facultatibus vi Jubilæi requiri, ut accedat ad Confessarium cum animo lucrandi Jubilæum, quia ad hunc finem conceduntur à Pontifice: Doctores communiter. Si autem postea mutata voluntatem, & nolis prosequi opera injuncta, valida fuit absolutio à reservatis, censuris, commutatio votorum, &c. Suarez, Sanchez, & alii communiter; etsi aliqui contra alios addant, peccare tunc contra finem Pontificis.

Quæres sexto, Quomodo intelligatur Bulla Cruciatæ, præsertim quoad facultatem absolvendi à reservatis?

Respondeo, Bullam Cruciatæ alicubi publicari, & sumi singulis annis; ideoque durat per annum, & in novæ Bullæ publicatione expirat prior. Intra annum ubicunque sit Bulla cruciatæ potest pro foro conscientie, & satisfacta parte per quemcunque Confessarium approbatum ab Ordinario loci absolvi toties quoties ab omnibus casibus, & censuris Episcopalibus etiam publicis (illicite tamen, si sit deductus ad forum contentiosum lite juste pendente, vel si nominatim sit denunciatus) A Papalibus vero, si sint publici, semel in vita, & semel in morte intra illum annum; si sint occulti, toties quoties intra illum annum (excepta semper hæresi, quæ nec occulta absolvi potest) Eadem die, si pœnitens renovat Bullam anno sequenti: v. Tamb. c. 5.

Quæres septimo, Quid agendum sit Confessario dubitanti, utrum habeat facultatem in reservata?

Respondeo cum distinctione: Si enim dubium sit positivum, ita ut probabiliter putet, se habere facultatem in aliquod reservatum, vel eam nondum expirasse, potest valide, & licite absolvere; quia nititur opinioni probabilis, & sic defectum jurisdictionis, si esset, suppleret Ecclesia: similiter: qui à Papa habent facultatem in reservata, probabiliter absolvere possunt ab illis etiam

tempore Jubilæi anni sancti; quia hæc opinio, quamvis non sit certa, tamen communiter recepta est à sapientibus, adeoque, etiamsi esset falsa, est error communis cum titulo colorato putativo, nempe privilegio Papæ, & approbatione Ordinarii: Lug. d. 13. à n. 114. Carden. Croix n. 1690. Si vero dubium sit negativum; tunc, si dubites, an licentia olim concessa nunc exspiraverit, adhuc potest absolvere, quia in tali dubio possidet licentia jam certo habita; contra vero non potes, si dubites, an olim habueris licentiam, an sit expedita, &c. quia possessio frat pro reservatione: Bon. & alii. Hinc, si licentia absolvendi à reservatis sit ad certum tempus, puta ad mensem, potes ea uti etiam die sequenti immediate post mensem; quia probabile est posse, secundum Pelliz t. 6. c. 2. n. 130. ex eo quod dies termini non computatur in terminum; quamvis Tamb. putet oppositum, eo quod licentia æquiparatur donationi, in qua dies termini computatur in terminum. Si autem licentia data simul sit ad audiendas confessiones, & ad reservata per mensem, & post mensem prorogetur licentia ad audiendas confessiones, non potes postea absolvere à reservatis, quia non intelligitur de novo concessa, seu prorogata facultas in reservata, nisi de novo exprimat: Bordon, Tambur. & alii.

Reliqua pro intelligendis clausulis licentiarum dicta sunt de Legibus tom. 1. tr. 1. d. 4.



APPEN-



APPENDIX

De Casibus Reservatis.

CASUS reservati alii sunt Papales; alii Episcopales, alii specialiter reservati in Ordinibus Religiosis: de his ut distincte agamus, sit

C A P U T I.

De Casibus Reservatis Papæ.

CASUS Papales, seu Pontificii in triplici sunt classe: in prima sunt 20. Casus Bullæ Cœnæ: in secunda sunt 6. à Clem. VIII. specialiter reservati extra Urbem intra Italiam: in tertia sunt reliqui in corpore Juris, aliisque Constitutionibus Papalibus contenti.

§. I.

De Casibus Bullæ Cœnæ.

USUS Bullæ Cœnæ fuit antiquissimus ante Mart. V. nam in Bibliot. Vatic. invenitur Bulla Greg. XI. 1370. & Hostiens. meminit ejus consuetudinem 1255.; ideoque ejus initium ignoratur: Bonac. Porro hæc Bulla renovatur singulis annis in Cœna Domini; continetque 20. excommunicationes latæ sententiæ contra omnes, & strictissime reservatas Papæ; quo mortuo etiam durant, donec nova Bulla publicetur. Hinc eas alii appellant

pellant excommunicationes à jure, quæ durant post mortem auctoris; alii vero ab homine, quia cessant in publicatione novæ Bullæ; alii melius dicunt, participare de utraque specie, cum autem talis Bulla multas contineat excommunicationes, quæ extant in corpore juris, non has multiplicat pro eodem delicto, sed strictius reservat; ideoque, si nova Bulla aliquas earum omittat, obligant tantum, ut in corpore juris, si, seculæ Bulla, erant in vigore: Pal. d. 3. p. 1. De his ergo primo hic sigillatim nos agemus: itaque excommunicantur, & reservantur Pontifici.

I. *Hæretici, & eis credentes, eorumque receptatores, ac fautores: item scienter legentes, retinentes, imprimentes, aut defendentes hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, nec non schismatici, & pertinaciter se subtrahentes ab obedientia Romani Pontificis.*

Prima itaque excommunicatio Papæ reservata fertur primo contra hæreticos; quinam autem hi sint, & quandomam hujusmodi excommunicationem incurrant, vide dicta tr. 2. §. *de Hæresi* quæsito 1. & 3.

Secundo contra hæreticis credentes. Hi autem sunt, qui errorem explicite non habent, sed implicite ex Palud. Sylv. Tolet. ut si quis crederet, Calvinum vera docere, & mori vellet in ejus fide: porro debet hoc ipsum externis signis exprimi.

Tertio contra hæreticorum receptatores. Dicuntur autem receptare omnes illi, qui in domibus, vel aliis locis hæreticos recipiunt, illos occultando (etsi semel id præstent, ex stylo Curia, & l. *Congruit*, ff. de *Officio Præsidis*, non obstante, quod *receptare* ex vi vocis importet *frequenter recipere*) ne in manus Judicum veniant, & sic poenas contra hæreticos latas evitent. Ubi nota, quod ad incurrendam excommunicationem requiritur, ut receptatio in favorem hæresis cedat, ideoque fiat in causa hæresis: unde non incurritur, si receptatur hæreticus, ne à latrone occidatur, vel ne incidat in manus Judicis procedentis ratione homicidii, vel alterius criminis: bene vero, si receptatur in causa hæresis, etiamsi id fiat ex motivo amicitia, vel consanguinitatis: Sayr. Tol. &c. imo, etiamsi effectus sequutus non sit: puta, quia adhuc hæreticus reipsa captus fuit à Judicibus. Ratio est, quia saltem pro eo tempore, quo hæreticus receptatur, & impeditur, ne capiatur à Judicibus, receptio in

in favorem hæresis cedit, licet postea effectus cesset hæretico capto: ita Suar. Sayr. Pal. contra Sanch. Bon. Fill.

Quarto contra hæreticorum fautores. Quidam autem sunt fautores omissione, quidam commissione ex Sylv. Palud. Tol. Fautores omissione sunt, qui, cum ex officio teneantur hæreticos punire, vel incarcerare, non faciunt. Addit Sylv. sub hac censura comprehendi etiam personas privatas, quæ ex juramento tenentur hæreticos denunciare, & non denunciant; non tamen, qui ad id tenentur solum ex charitate (cum ad id teneamur omnes) nec proinde, nisi sint jurati, dici possint fautores. Fautores commissione sunt, qui verbis, literis, vel factis favent, & qui laudant hæreticos, dicendo, *Inique Inquisitores contra ipsos procedunt*, &c. vel illis præstant opem, qua fugiant, vel alia hujusmodi: favor tamen debet esse in causa hæresis.

Quinto contra defensores hæreticorum, vel eis credentium, nempe, ut explicant Sylv. Archidiac. Tolet. qui viribus, ac potentia eos defendunt, ne excommunicentur, capiantur, puniantur. Item Notarii, Advocati, qui in causa hæresis eis patrocinantur.

Sexto contra scienter legentes libros hæreticorum. Porro libri in hac bulla prohibiti sunt omnes, & soli libri auctoris hæretici continentes hæresim, vel tractantes de Religione; hoc est vel unam saltem continentes hæresim, vel tractantes ex professo de rebus sacris, asceticis, aut bonis moribus. Non ergo prohibetur in hac bulla liber Ethnici, Catechumeni, aut Judæi, etsi contineat errorem in fide, quia non est liber hæretici. Neque liber Catholici, quomocunque contineat hæreses, vel hæreticorum scholia, seu commentationes etiam copiosissimas, quia adhuc absolute non dicitur liber hæretici: Sanch. Tamb. & alii contra Suarez, & alios. Si autem damnetur auctor tanquam hæreticus, jam liber ille est hæretici, & continet hæresim; at, si tractabat de Religione, nec continebat hæresim, Bonac. adhuc putat, posse legi, quia scriptus jam fuit spiritu catholico.

Reliqui libri prohibiti in indice sunt in duplici classe: alii enim prohibentur sub excommunicatione, alii tantum sub peccato. Sub excommun. lata, ac reservata à Sixto V. *Cœli, & Terræ* prohibentur omnes libri, & scripta astrologiæ judiciariæ, seu divinationum de futuris contingentibus liberis. Porro Potestà pag. 562. ex cit. Constitut. Sixt. V. colligit excommunicationem, sed non

non reservationem; &, si tales libri astrologiæ, necromantia, veneficiorum, fortilegiorum, &c. non contineant hæresim, nec eam sapiant, nec ejus suspicionem, nec falsum dogma, non incurri excommunicationem. Dicuntur autem continere suscipionem, si asserant, Astronedum inclinare, sed cogere nostras voluntates, vel esse infallibile indicium: item, si præcipiant dæmonis adorationem, abusum Sacramentorum, si asserant signa habere vim ex opere operato, &c. Sub excommunicatione lata non reservata prohibentur à Clem. VIII. *Cum fuerint* omnes libri hæresiarcharum, etiam si non tractent de Religione, nec hæresim contineant; idemque est de libro hæretici nondum examinato, & approbato jussu Episcopi, vel Inquisitionis, juxta Reg. 2. Ind. item libri eorum, qui sunt suspecti de hæresi, vel catholicorum, in quibus sunt aliquæ hæreses immixtæ, donec corrigantur; item Talmud. & alii libri hebræorum, in quibus sit aliquid contra fidem, & Alcoranum Basileæ impressum. Denique sub peccato mortali tantum prohibentur cæteri libri vetiti quocumque alio nomine, puta obscœni, impostores, &c. juxta Regulam Indicis 10. putatque Tambur. esse posse aliquando veniale aliquem istorum legere, nisi contineat errorem, nec vetetur ex fine gravi; at nullus liber vetari solet à S. C. nisi ex fine gravi.

Legere autem diceris, etiam si tantum oculis, & mente simul intelligendo librum percurras; quia sic proprie, & sensibilibiter legis, quamvis vocem non proferas: Doctores communiter. Contra vero excusaris ab excommunicatione, si ignorans idioma librum percurras, quasi legendo, vocesque efformando; quia sic proprie non legis: Tamb. & alii contra Bonac. & similiter, si mente tantum recites, quæ olim legisti. Excusaris etiam, si ignorando librum esse prohibitum, vere, & proprie legas, etiam si ea ignorantia sit crassa, & supina; quia Bulla dicit, *Scienter*. Excusaris etiam, si parum legas, ratione parvitatæ materiæ; hanc alii dicunt esse unum, aut alterum versiculum, sic Azor. alii non multas lineas, sic Suarez; alii decem lineas, sic Sayr. alii unam paginam, & aliquid plus, sic Sanchez; alii unam paginam libri in folio impressi, sic Pal. Omnes probabiliter, inquit Tamb. dummodo ibi non contineatur doctrina, ob quam ille liber est prohibitus; quia tunc, si scienter legas, ea inobedientia est gravis; si autem casu, & non ex intentione, poteris excusari. Nullatenus tamen excusaris,

cusaris, si in magna quantitate legas partem libri, quamvis ibi non sit error, sive ea sit epistola dedicatoria, sive proœmium, sive index, &c. quia ea est pars libri, qui totus est prohibitus. Si vero legas ibi aliquem tractatum sanæ doctrinæ, quamvis in eo tomo compactum, habeat tamen rationem libri secundum se distincti, excusant Sanch. Bon. Tamb. & alii, & à fortiori, si sit in tomo distincto. Quod si legas concionem, epistolam, quaternionem, aut quid simile typis impressum, & solum, Pal. Pignat. & alii non excusant, quia secus, si liber ita dissolveretur, aut nondum esset compactus, singuli quaterniones possent legi, sed excusant Sanch. Dicast. & alii, dummodo quaternio ille non sit in tractatus formam redactus; quia sic non habet rationem libri. Probabilius tamen non excusaris ab excommunicatione legendo (imo à fortiori retinendo, ne scilicet in aliorum manus libri isti deveniant, quod etiam lex prohibitiva intendit avertere, cum velit illos omnino comburi) librum prohibitum, etsi cesset periculum propriæ subversionis ex doctrina explicata in Tract. de Legibus d. 2. quæst. 4. c. 3.

Dubium est primo, An excuseris ab excommunicatione, si tantum audias legentem tales libros?

Negant Suar. & alii, quia intelligentia mentis est propria, ac principalis actio in ratione lectionis; præsertim, si induxeris illum ad legendum, ut addit Azor, quia sic censeris legere per alium. Sed probabilius te excusant Sanch. Con. Fil. Pal. Tambur. Bonac. & alii; quia ille proprie dicitur legere, qui mente simul, & oculis librum percurrit; ideoque addit Steph. n. 51. probabile esse, te neque peccare, si præciso periculo propriæ perversionis jubeas, legi tibi librum ab alio idiomatis ignaro, vel habente facultatem legendi, ut addit Soufa.

Dubium est secundo, An excuseris ab excommunic. si legas librum non typis impressum, sed manuscriptum?

Negant communiter Suarez, Sanchez, Dicast. Pignat. & alii; quia secus facile eluderetur prohibitio, cum possent hæretici sola manuscripta divulgare, & alii facere sibi transcribi tales libros; per quod non evitaretur periculum perversionis: adde, quod liber manuscriptus in communi acceptione est vere liber, & de materiali se habet, quod sit typis impressus, aut manu exaratus, ut antiquitus fiebat. Affirmant tamen alii cum Tambur. d. 2. Decal. c. 1. n. 14. quia MS. non sunt hodie

hodie in rigore libri, & in odiosis non est faciendâ extensio; lex autem ista, quamvis sit favorabilis Fidei, tamen immediate gravamen continet, cum privet hominem legendi libertate, qua fruitur, neque ideo editur lex; nam libri impressi facilius habentur, libentius leguntur, & diutius manent, quod non habetur in MS., & confirmat, quia, quando Pontifex vult scripturas sub prohibitione librorum includere, facit speciatim eos nominando, ut in Conc. Lat., & Tridentino in ordine ad impressionem, ac divulgationem, ut infra patebit, & est in Reg. Ind. 10., ubi habetur, quod si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris scripta ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspensionem prohibita legerit, sive habuerit, statim in sententiam excommunicationis incurrat; ergo, dum solos libros nominat, ut in Bull. Cœn. non includit MS.

Septimo contra retinentes prædictos libros. Retinere autem dicitur, qui apud se habet librum etiam alienum, vel suum apud alium loco depositi, aut pignoris, quia utrovis modo revera dicitur retinere: idque verum est, etiamsi ille, apud quem retines, librum non intelligat, vel quocunque fine apud te retineas: quare neque excusantur aromatarii eum retinentes ad involvendum aromata, medicinas, &c., Sanchez. Tamb. & alii. Si loco commodati tradas habenti facultatem, probabile est excusari; quia sic non habes liberum usum, adeoque non retines rigoroſe. Excusat hic etiam parvitas materiæ: puta, si retineas unum, duo, vel tria folia; quia minus periculum est retinere, quam legere, ut notat Tambur. Similiter, quamvis possis commodè librum extradere, si retineas per unum, aut alterum diem, excusaris à mortali, & ab excommunicatione, ratione parvi temporis: Sanchez, Pal. Tambur. Dian. Pignat. pag. 282. Similiter, quamvis pecces graviter si habeas voluntatem diu retinendi, si tamen paulo post proponas extradere, non incurris excommunicationem, quia non habetur peccatum exterius consummatum, juxta dicta d. 1. q. 1. c. 4. Excusat pariter, si desit commoditas tradendi, etiamsi diu hanc expectes, dummodo paratus semper sis tradere, absque ulla fraude, ac negligentia; Pignat. Croix num. 351. Similiter, si petiisti, & expectas licentiam illum legendi, potes retinere, donec licentia data sit, vel negata; dummodo responsum quamprimum expectetur: idem-
que

que est de renovatione licentiæ post elapsam triennium ; atque hæ licentiæ ex Constitut. Urb. VIII. ann. 1631. non nisi à Congr. S. Off. quæ singulis hebdomadis habetur Romæ, conceduntur, v. Tamb. num. 19. Illud hic obiter noto cum Croix num. 346. quod, cum in licentia legendi libros hæreticos additur, *Ad salutem animarum, ad effectum errores confutandi, &c.* tunc, si legas non ex tali fine, sed ex sola curiositate, peccas quidem, quia agis contra finem, quem Legislator serio, & efficaciter intendit, non tamen incurris excommunicationem, quia licentia adhuc manet valida in ordine ad cavendam censuram, nisi expresse dicat, *Alias non, &c.*

Tradendus est autem liber Inquisitoribus, vel Episcopo, juxta Constit. Jul. III. & Pii IV. Hinc communiter negant, posse propria auctoritate comburi; sed adhuc probabiliter te excusant Sanch. Fil. Pignat. pag. 483. quia quando præcipitur, ut tradatur Inquisitoribus, vel Episcopo, ideo est præcipue, ne retineatur, & tu comburendo jam non retines. Hinc potes etiam tradere habenti facultatem legendi, dummodo abdicas à te dominium donando, aut vendendo; & similiter tradere potes Religiosis, ut reponant in loco in singulis Monasteriis assignato, qui dicitur *Carcer*, seu *Infernus hæreticorum*: Ugol. Sayr. Fag. Bonac. Pignat. & alii. Idem dicendum, si hæreditate acceperis tales libros, quamvis aliqui apud Croix num. 354. putent, etiam posse vendi Bibliopolæ hæretico, vel commutari cum aliis ejus libris non prohibitis; quia, si ibi sit similium librorum copia, causa Religionis non fit multo deterior, ut ait Less. cas. 22. Si autem Bibliopola catholicus deceptus sit in emendo tales libros, potest dissoluto contractu repetere suum pretium; quod, si nequeat, attribuat casui suum damnum: Less. cas. 20. Compactores vero, si libros compingant, ut statim mittant habenti licentiam, excusantur; uti etiam famulus, qui jussu domini habentis licentiam conservat tales libros: Sanch. Ugol. Ovied. Pignat. pag. 482.

Quæ dicta sunt, procedunt etiam de libris prohibitis, donec corrigantur: qua in re ab Alex. VII. damnatur hæc Prop. 45. *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.* Correctio autem fieri debet à tribus viris doctis, ac piis ex licentia Inquisitorum, aut Episcopi, juxta §. 1. & 5. corr. Ind. idemque est de examine, & approbatione,
juxta

juxta Reg. 2. ideoque communis sententia cum Rodr. Port. Dian. Leandr. Sanch. l. 2. *Decal.* c. 10. num. 34. & aliis plurimis, negat, tuam particularem correctionem tollere prohibitionem: quamvis Sylvius p. x. v. *Libri* q. 2. dicat, quod, cum talis rigor non fit in viridi observantia, probabile sit viro docto licere juxta indicem expurgatorium per seipsum corrigere; & Peyrin. tract. 2. *de Privil. Minim.* Constit. 9. Paul. V. num. 10. dicat, posse etiam corrigi à Prælati Regularibus, non obstante decreto Urb. VIII. ann. 1631. quia Pontifex loquitur de licentiis particularibus, non de privilegiis Regular. Demum quoad retentionem quaternionis soluti, vel libri manuscripti idem dicendum, ac dictum ibidem est de eorundem lectione. Unum addo, ex Trid. *sess.* 4. sub finem, excommunicationem non reservatam incurrere illum, qui librum MS. tractantem de rebus sacris communicat, vel evulgat, nisi ante examinatus, probatusque fuerit; quod tamen intelligendum de MS. quod sit opus completum, & perfectum, quale typis mandari solet, non de aliis, quæ sine prævia approbatione discipulis passim communicantur in scholis: Bon. Azor. Tamb. num. 16.

Octavo contra imprimentes hujusmodi libros. Porro dicitur imprimere librum auctor faciens imprimi; item dominus officinæ impressoriæ; &, qui componit typum, humectat chartam, imponit atramentum, aut præmit prælum: Suar. Tamb. Laym. Pignat. p. 484. qui autem corrigunt impressionem, aut faciunt sumptus pro ea, quamvis proprie non dicantur impressores, tamen ex alio capite subjacent excommunicationi Bullæ Cœnæ, vel quia legunt, ut corrector; vel quia favent hæreticis, ut faciens sumptus, transcribens, &c. Ugol. Sayr. Fil. Dicast. Pign. &c. Econtra vendentes chartam, characteres, atramentum, aut alia instrumenta sunt causæ valde remotæ, nec videntur incurrere censuram: Pal. Tamb. num. 46.

Quoad reliquos libros extra Bullam Cœnæ est excommunicatio lata non reservata à Concil. Later. *sess.* 20. contra imprimentes, vel imprimi facientes libros, vel quancunque scripturam sine Episcopi approbatione, & hi libri comburuntur ultra alias pœnas ibi contentas: hoc ipsum confirmatur à Trid. *sess.* 4. *in fin.* & extenditur ad imprimentes, vendentes, aut retinentes librum agentem de rebus sacris sine nomine auctoris; & additur, ut appro-
batio

batio in scriptis detur, & appareat in fronte libri; & si auctor libri sit Regularis, habeat approbationem, tum Ordinarii, tum suorum Superiorum. Ex quo vides, inquit Tamb. hos libros, nisi aliunde sint prohibiti, posse à te legi, si apud te non retineas; quia Concil. prohibet imprimi, vendi, aut retineri, nihil de lectione. Si tamen moraliter constet approbatio, etsi non fit in libro apposita, non peccas saltem graviter, imprimendo, vendendo, aut retinendo, quia jam servatur tota substantia præcepti, & à fortiori si apponatur illud *Cum licentia Superiorum*, quod usu ipso non raro approbari, notant Tamb. num. 51. & Bon. num. 7. Rursus, qui habuit prædictam approbationem, sed deinde, dum imprimit, addit, vel demit aliqua, non peccat; nisi tale, vel tantum addat, ut censeatur novus moraliter liber: Tamb. num. 52. Bonac. n. 8. Denique, qui libro de rebus sacris non apponit nomen verum auctoris, sed fictum, vel per anagramma mutatum, non excusatur à pœnis Tridentini, nisi apponat nomen alterius sufficientis, ut collegii, aut ordinis, cujus est auctor: Tamb. Bonac. & alii. Quamvis Dicast. num. 1241. dicat, se videre viros doctos, & pios id sine periculo facientes, ponendo nomen fictum auctoris, impressoris, & urbis: sed reipsa non videntur omnino excusari.

Noto contra defendentes. Ille dicitur defendere librum hæretici, qui facto, vel verbo illud tuetur. Ut, si occultes librum, aut impedias, quo minus extradatur, comburatur, &c. si cures, ut imprimatur, introducatur in Civitatem; &c. si scribas in ejus defensionem etiam occulte in tuo cubiculo; si ex pravo animo proponas argumenta pro ejus defensione, aut hæresis in eo contentæ; si laudes stylum, aut doctrinam eo animo, ut damnationem impedias: Pignat. pag. 489. Si autem laudes stylum, ingenium, nec ejusmodi verba faciunt ad libri conservationem, non incurris excommunicationem. Similiter, si dicas ex his, vel illis rationibus male oppugnari, dummodo simul absolute dicas, esse reprobandum ex aliis rationibus: Dicast. num. 1219. Si vero dicas, te velle librum defendere, nec tamen defendas, non est contra Bullam, nisi id dicas in circumstantiis, in quibus retraherentur, qui illum extradere deberent: Sanch. Pal. Tamb. & alii.

Decimo contra schismaticos, qui tamen in Bullis antiquis ante Pium V. non continebantur. Dicuntur schismatici. *R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. Gg ma-*

matici à schismate. Est autem schisma *Rebellis separatio à capite Ecclesiae, & Christi Vicario.* Duo igitur sunt necessaria ad hoc peccatum contrahendum ex D. Th. 2. 2. q. 39. a. 1. ad 2. Primum, ut homo se separet à Summo Pontifice per inobedientiam: Secundum, ut hoc sit cum rebellionem quadam, scilicet pertinaciter ipsius iudicium subire nolendo, ejusque præcepta contemnendo. Schisma aliquando conjungitur cum hæresi, quando scilicet, quis opinatur, Romanum Pontificem non esse verum Christi Vicarium, & Caput Ecclesiae. Aliquando est sine hæresi, quando scilicet quis credit, Romanum Pontificem esse Caput Ecclesiae; sed ex malitia, vel passione non vult illum opere recognoscere. In hanc excommunicationem incidunt schismatici, licet schisma non sit cum hæresi conjunctum.

Undecimo contra pertinaciter se subtrahentes ab obedientia Romani Pontificis, aut ab ea recedentes, quibus verbis non intelliguntur schismatici, ut bene Tolet. sed illi, qui mandato Romani Pontificis pertinaciter, hoc est, scientes esse tale mandatum, nolunt obedire; quod non satis est ad schisma; nam schisma habetur, ex dictis, quando homo in totum à iudicio Romani Pontificis se subtrahit.

II, *Appellantes ab Ordinationibus Roman. Pontif. ad futurum Concilium, eisque auxilium, vel favorem præstantes.*

Nota primo, Nomine Ordinationis comprehendi omnes sententias, præcepta, leges, censuras, & pœnas generaliter, vel specialiter latis. Secundo, Ad hoc, ut iis, quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit, excommunicationem incurrant, duo requiruntur, ut notant Nav. Sayr. & Bon. Primum, ut auxilium, seu favor appellationem antecedit; unde approbantes appellationem jam factam, vel appellantis faventes post appellationem, hac excommunicatione non ligantur; Secundum, ut appellatio cum effectu sequatur, secus enim non verificatur, quod vi auxilii, vel favoris appellatum sit. Tertio, Additur hic interdictum ob eandem causam pro Collegiis, aliisque cujusvis nominis Communitatibus appellantis, vel auxilium, aut favorem præstantibus. Ad incurrendum autem hoc interdictum non est necesse, ut omnes de illa Communitate, sed satis est, si major pars appellet, vel auxilium præstet.

III. *Piratæ, Corsarii, aut Latrunculi maritimi discurrantes mare pontificium, præcipue à monte argentario usque ad Terracinam, eorumque receptatores, ac fautores.* Nota

Nota primo: Sub diversis nominibus Piratarum, Curfariorum, &c. venire easdem personas, ex Sylv. Sayr. Dicuntur autem Piratæ quicumque per mare, aut flumen discurrunt animo deprædandi, mutilandi, occidendi. Qui per flumen discurrunt, dicuntur fluviales, & sub hac excommunicatione non comprehenduntur: qui vero per mare discurrunt, dicuntur maritimi; & olim omnes hujusmodi Piratæ excommunicabantur in Bulla Cœnæ, ut constat ex Bullis antiquis: nunc vero excommunicantur solum illi, qui discurrunt per mare Pontificium; quod scilicet pertinet ad Pontificem etiam mediate ratione feudi, ex Bon. Secundo, Hanc excommunicationem non incurrunt, qui, dum est indictum bellum, hostes deprædantur, non enim animo deprædandi, sed vindicandi hostes, deprædantur: incurrunt autem Piratæ, utut deprædationem non committant, dummodo animo deprædandi discurrant mare Pontificium; quia actio sub hac excommunicatione prohibita est maritimus discursus: ita Tol. Bonac. Ugolin. Tertio, excommunicationem istam afficere piratas, qui mare discurrunt, ut fideles expolient, non vero qui infideles, ut nec afficit, qui piratas ipsos deprædantur. An autem incuratur à deprædantibus naves infidelium cum damno fidelium, vel quia in illis repositæ sunt merces fidelium, vel quia dictæ naves à fidelibus allecurantur, est quæstio, cui affirmative respondet Bonac. negative Suar. Filliuc. Pal. Dubium potest esse, an comprehendantur sub hac excommunicatione remigantes, & inservientes piratis? Communis solutio est, per se comprehendi: excusari tamen, si sine gravi periculo à dicta cooperatione abstinere nequeant; &, licet aliquando teneantur omittere etiam cum vitæ periculo, tamen credibile non est, velle Pontificem censuris obligare eos ad omittendum.

IV. *Surripientes cujusvis generis bona naufragantium Christianorum etiam in litoribus inventa, &c.*

Huic excommunicationi similis est alia in corpore juris, sed non reservata, quæque non incurritur statim, sed requiritur insuper, ut, qui bona capiat naufragantium, sit in mora non restituendi: non ita de hac excommun. Bullæ Cœn. quæ statim incurritur, quippe quæ fertur in surripientes (& sane cujusvis generis sint bona, dummodo sint fidelium, non infidelium, non in quocunque mari inventa) Porro debet subreptio esse peccaminosa: hinc non incurritur, si prædicta bona accipiantur

tur animo restituendi ea Domino, &c. Ex Bon. tamen incurritur per injustam acceptionem etiam manifestam, quidquid sit, quod subreptio proprie importet acceptionem injustam clandestinam. Illud demum adverte, à Pontifice derogari privilegiis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus in oppositum, dummodo & illa, & hæc sine justo titulo essent introducta: secus, si justo titulo, puta, quia naufragantibus auxilium præstatur, &c.

V. *Imponentes nova pedagia, seu gabellas, vel eas augentes, præterquam in casibus sibi à jure, vel ex speciali licentia Sedis Apostolicæ concessis.*

In Bullis antiquis solum excommunicabantur imponentes nova pedagia. Sunt autem Pedagia Tributum, quod solvitur ob transitum personæ, vel mercium. A Pio V. additum est verbum illud *Gabellæ*: hæc autem sunt *Quodcunque tributum impositum, sive pro delatione, sive pro translatione, sive pro emptione, ac venditione mercium.* Ad incurrendam hanc excommunicationem debet nova gabella imponi, vel augeri à Dominis temporalibus in terris suis (si enim imponeretur in terris alienis, esset, non impositio gebellæ, sed furtum, quod ex Bonacin, hac excommunicatione non notatur) & quidem extra casus à jure, sive de licentia Sedis Apostolicæ permittos. Jure autem id permittitur Imperatori, *C. super, de verb. sign.* Item Regibus, & cuilibet in temporalibus Superiorem non agnoscenti; item iis, quibus ex consuetudine immemorabili impositio isthæc competit, *ex Gloss. in cit. cap. Super, &c.* Demum cui id ex speciali Sedis Apostolicæ licentia conceditur. Duo demum adverte: primum ex Tol. contra Pal. & alios, quod probabilius non excommunicantur, qui habentes potestatem imponendi gabellas, imponunt injustas, eo quod hic excommunicantur non quomodocunque imponentes gabellas, sed novas sine potestate: alterum est, quod Ministri, & cæteri Officiales, qui supradictas gabellas exigunt, etiam excommunicatione ligantur, quam tamen non incurrunt ex Sylv. Nav. si à sponte solventibus (quod tamen præsumi non potest) recipiant, cum sic dici non possint vere, & proprie exactores.

VI. *Falsificantes literas Apostolicas, aut falso fabricantes: Falsificantes supplicationes, vel eas falso signantes.*

Excom-

Excommunicantur hic primo Falsarii literarum Apostolicarum etiam in forma Brevis. Dicuntur autem falsarii literarum, qui iisdem literis aliquid addunt, vel tollunt, ex quo eorum sensus mutetur; mutatio enim verborum retento sensu falsitatem non inducit, *Cap. ex Conscientia, de Crimin. falsi.* In Bullis vero antiquis etiam qui unum punctum, vel literam mutarent in dictis literis excommunicabantur, poterat tamen eos absolvere summus Pœnitentiarius: Literæ autem Apostolicæ appellantur illæ, quæ nomine Summi Pontificis (cujusmodi non sunt literæ Pœnitentiariæ, Inquisitionis, Nuntii, Legati, Episcopi; proindeque, qui has falsificat, non incurrit hanc excommunicationem) expediuntur, quæ, si sint plumbatæ, dicuntur *Bullæ*; si sigillo cereo signatæ, vocantur *Brevia*. Falsarii igitur tam Bullarum, quam Brevium hac excommunicatione afficiuntur: item excommunicantur falsarii, seu falso signantes supplicationes, gratiam, vel justitiam concernentes per Rom. Pontificem. aut Vicecancellarium, aut per eorum Vicesgerentes, aut de mandato Summi Pontificis signatas. Supplicationes sunt, quæ Rom. Pontifici offeruntur, & ab eo, vel à Vicecancellario, vel ab eorum Vicesgerentibus signantur. Incurritur hæc excommunicatio, etsi falsitas, vel leve, vel nullum damnum afferat parti, aut Fisco, ut in dispensationibus, indulgentiis, &c. quia hæc falsificatio, præcise ob injuriam, quæ fit Pontifici, cujus auctoritas contemnitur, sub ea excommunicatione est prohibita.

VII. *Deferentes arma, aut alia hujusmodi usui bellico idonea ad Turcas, vel ad alios Christiani nominis inimicos, aut Hæreticos per Apostolicam Sedem expresse, Et nominatim declaratos; vel eosdem certiores facientes per se, vel per alium de pertinentibus ad statum Christianorum in eorundem damnum.*

Hanc excommunicationem incurrunt, Primo, Qui per seipsos deferunt Infidelibus, vel Hæreticis arma, equos, &c. sive deferant nomine proprio, sive alieno: qui vero deferri mandant, non incurrunt. Nomine Armorum, &c. non solum veniunt arma, sed etiam eorum materia, scilicet ferrum, funes, filum ferri, stannum, chalybs, & alia metallorum genera ad id idonea: item instrumenta bellica: item lignamina (intellige ligna, ex quibus conficiuntur naves, vel aliæ machinæ ad bellum idoneæ, non quæ ad comburendum, vel ad alios usus

deserviunt: non intelligi naves ipsas putat Cajet. op-
positum tamen admittitur communiter à Nav. Tol. Sayr.)
Item veniunt arma tum offensiva, tum defensiva, ut
communiter docent, ex *l. Armorum*, ff. *de verb. sign.*
non sunt autem arma cultri ad scindendum pannum, aut
panem, neque alia instrumenta ad usum agriculturæ.
Nomine equorum veniunt omnia animalia bello infer-
ventia ad trahendos currus, portandas sarcinas, vi-
ctualia, &c. excusantur tamen Christiani coacti remi-
gare in triremibus Turcarum, & qui eas res deferunt
ad Saracenos non gerentes bellum cum Christianis. Si-
militer excusantur ab excommunicatione (etsi non à pec-
cato) ex Nav. & Tol. qui deferunt vestes, & victualia,
quia hæc non intelliguntur per illa verba Bullæ, *Et alia
hujusmodi*. Incurrunt secundo, qui de rebus ad statum
Reipublicæ Christianæ pertinentibus certiores faciunt
prædictos infideles, aut hæreticos in perniciem, &
damnum Christianorum: duo igitur ad hanc excommu-
nicationem requiruntur, alterum, quod certiores faciant
infideles de rebus ad Christianam Rempublicam spectan-
tibus; alterum, quod hoc in damnum vergat Christia-
norum. Incurrunt tertio, qui ad id præstant favorem,
&c. hoc est, ex Pal. qui Christianis prohibita deferen-
tibus, vel certiores facientibus opem præstant, &c.
Demum omnia privilegia revocantur concessa Dominis
Principalibus, Rebuspub. & particularibus personis aspor-
tandi vetita ad infideles.

VIII. *Impedientes, seu invadentes eos, qui victualia,
aut alia necessaria ad usum Romanæ Curie convehunt, &
prohibentes, ne prædicta deferantur: item eorum defen-
sores vel per se, vel per alium, &c.*

Primo, Nomine victualium veniunt omnia, quæ ad
cibum, potum, & vestitum deserviunt, *l. Cætera, de
V. S.* Per alia necessaria intellige, quæ curialibus tum
ad habitandum, tum ad negotia, & munera peragenda,
tum ad honestam recreationem deserviunt. Secundo,
Nomine Cur. Rom. venit tam familia Papæ, seu Tribu-
nal Pontificium, in quo negotia Ecclesiastica conficiuntur,
ubicunque Pontifex resideat, quam locus, in quo Cardi-
nales resident, post obitum Papæ. Dubium est, an ex-
comm. incurrat, qui impedit deferentem Romam victua-
lia vel in proprium usum, vel in usum personæ alicujus
particularis? Affirmant Bon. si victualia deserviant personæ
curiali: secus, si ad usum proprium, etsi ipse sit curialis;
tamen

tamen probabilius ex Sayr. Pal. dicendum, quod ad incurrendam hanc excommunicationem ly *Ad usum Curiae* intelligendum sit relate ad illos, qui Curiae deserviunt, non quidem collective sumptos, sed divisive, sive hos, sive illos; adeoque non relate ad personam determinatam. Tertio, Dicuntur impedire, prohibere, &c. qui dolo, fraude, vel vi impediunt, vel id praestant injuste; si enim Princeps, vel Respublica, e. g. justo titulo, puta, ut suis prospiciant, prohibent, impediunt, &c. ne triticum, vel vinum ex suis confinibus extrahatur, & Romam deportetur, ex Suar. hanc excommunicationem non incurrunt. Quarto, Excommunicantur tam impedientes, vel per se, vel per alium, quam defendentes, cujuscunque fuerint ordinis, praeminentiae, &c.

IX. *Lædentes sua, aut aliorum opera eos, qui veniunt ad Sedem Apostolicam, vel ab ea recedunt, Et sine jurisdictione vexantes eos, qui in Curia commorantur.*

Nomine venientium ad Sedem Apostolicam non intelliguntur omnes, qui Romam veniunt; sed illi, qui ratione Pontificis veniunt; quia nimirum negotium aliquod, vel praetensionem, vel gratiam, vel quid aliud cum Pontifice immediate, vel mediate habent: unde, si Pontifex esset extra Romam, ibi esset Sedes Apostolica, non Romæ. Hinc, qui aliquid ex praedictis faciunt contra eos, qui Romam veniunt non intuitu Pontificis, licet devotionis causa veniant, non incurrunt hanc excomm. Nav. Tol. Sayr. Hugol. Excommunicantur etiam, qui non habentes jurisdictionem ordinariam, aut delegatam, eam temere usurpantes contra morantes in Curia aliquid praedictorum audent perpetrare. Dicuntur morantes in Curia, qui vulgo Curiales dicuntur, qui ratione Curiae Pontificiae Romæ sunt, sive immediate, sive mediate Pontifici inserviant, sive sint cum Episcopis, vel Cardinalibus, qui Curiae adsunt. Illud nota, ad incurrendam hanc excommunicationem non sufficere, ut quis aliquid praedictorum contra morantes in Curia perpetret, sed requiritur, ut id faciat jurisdictione usurpata, hoc est, tamquam Judex, & auctoritatem habent.

X. *Interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos, qui devotionis causa eunt Romam, vel ibi morantur, vel inde abeunt; item lædentibus consilium, auxilium, aut favorem præstantes.*

Dicitur ad urbem accedere causa devotionis, qui ob aliquem virtutis actum exercendum accedit: quam intentionem si signis externis manifestet, puta vestitu, & modo procedendi, peregrinationis causa accedere judicabitur. Incurrunt hanc excommunicationem, qui aliquid ex prædictis perpetrat, etiam contra morantes Romæ, modo ibi morentur, ut advenæ, & peregrini; secus, si mutata voluntate incolæ urbis facti sint. Item excommunicationem incurrit, qui aliquid prædictorum facit etiam contra recedentes ab urbe præstito devotionis opere; secus, si recedant opere devotionis culpabiliter omisso, ex Bonac. Hugol. Pal. Demum, qui lædentibus modis jam explicatis consilium, auxilium, aut favorem præstant, eadem excommunicatione ligantur.

XI. *Interficietes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos, vel Nuntios: item mandantes, id ratum habentes, auxilium, consilium, aut favorem præstantes.*

Tria hic notanda: Primo, Licet certum sit, hanc excommunicationem incurrere, qui Cardinales, &c. à suis Diocesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejciant; tamen probabilius ex Nav. Pal, contra Bon. non incurrunt, qui eos ejciant à terris suæ originis, vel domicili, in quibus jurisdictionem spirituales, vel temporalem non habent, neque ex Toledo incurrit, qui Episcopum ejceret electum quidem, sed non consecratum: Secundo, Contra impediens Legatos, aut Nuntios, ne exequantur suum officium, lata est alia excommunicatio non reservata in Extravag. *Super gentes*; immo additur interdictum in ea loca, quamdiu in eadem pertinacia duraverint: quod neutrum habetur per hanc Bull. Cœnæ excommun. Tertio, Fere omnes præfatæ actiones, si contra Clericum quemcunque perpetrarentur, puniuntur poena excommunicationis, cap. *Si quis suadente*; quare docet Bonac., personas hac Bullæ Clausula comprehensas duplicem excommunicationem incurrere, quarum altera imposita est in reverentiam ordinis Clericalis, altera in reverentiam dignitatis Ecclesiasticæ.

XII. *Occidentes, vel quoquo modo percutientes, sive per se, sive per alios, sive directe, sive indirecte, seu bonis quibuscunque, tum mobilibus, tum immobilibus spoliantes*
eos,

eos, qui pro suis negotiis recurrunt ad Romanam Curiam vel illa in eadem prosequuntur, &c.

Nota primo, *Spoliantes*, hoc est per violentam rapinam, & deprædationem: non vero per quamcunque subreptionem, etsi clandestinam: Secundo, Dicitur *Recurrere*, &c. qui causas ad Curiam Romanam transfert, sive personaliter ad Curiam accedat, sive per Procuratorem, sive per literas: Tertio, Qui Judices offendunt prædictarum causarum, tum solum excommunicationem incurunt, dum negotia adhuc in Romana Curia pendent: non autem, cum causa decidenda integre illis committitur: Quarto, Ut incurratur hæc excommunicatio, debet occisio, spoliatio, &c. patrari occasione causarum, vel negotiorum; nomine autem negotiorum veniunt, ex Suarez, contra Navar., non solum causæ spirituales, sed etiam temporales, quæ ad Sedem Apostolicam spectant ratione sui domini temporalis: Quinto demum, Excommunicantur, qui *directe*, vel *indirecte*, &c. hujusmodi delicta committant, exequantur, &c. directe, qui e. g. juberet, consuleret, his delictis auxiliaretur: directe, qui juberet consulere, &c. aliquam actionem, ex qua talia delicta præviderentur secutura.

XIII. *Omnes, tam Ecclesiastici, quam Seculares, cujuscunque dignitatis, qui prætexentes frivolam appellationem à gravamine, vel futura executione literarum Apostolicarum etiam in forma Brevis tam gratiam, quam justitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, &c. à Sede Apostolica, &c. emanatorum, ad Curias Seculares, & Laicam potestatem recurrunt: item, qui procurant hujusmodi appellationem, & recursum ad Curiam Secularem admitti etiam instante Fiscus Procuratore, vel Advocato, qui literas Apostolicas, Monitoria, &c. capi, vel retineri faciunt, qui impediunt, prohibent executionem prædictarum literarum, quique quibuscunque personis, ne pro quibusvis eorum negotiis exequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, vel recursum habeant, seu gratias ipsas impetrent, seu impetratis utantur directe, vel indirecte prohibere, &c. ne eas apud se, aut Notarios, vel Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumant.*

Quid veniat nomine literarum Apostolicarum, diximus in expositione VI. excomm., cujus expositio hic etiam militat. Illud autem hic obiter nota, hanc excommunicationem incurri ob quamcunque appellationem, etsi

hæc procedat ad propulsandam manifestam injuriam Judicis Apostolici, quia quævis appellatio est inanis, & frivola; tum quia facta est Judici non superiori, sed potius inferiori; tum quia facta sine justa causa, cum nulla esse possit causa justa, vi cujus Judex Laicus habeat jurisdictionem in Judicem Apostolicum: ita Bon. contra Sayr. dicentem, nullimode dici posse inanem, & frivolam appellationem, quæ fit ad propulsandam injuriam manifestam.

XIV. *Omnes, qui per se, vel per alios auctoritate propria, ac de facto quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu causas spirituales, & spiritualibus adnexas, beneficiales, decimales, &c. ab Auditoribus, & Commissariis Sedis Apostolicæ, aliisque judicibus Ecclesiasticis avocant: illarumque cursum, &c. impediunt, vel impediendis favorem, auxilium, assensum præstant: quique vel se in dictarum causarum cognitione tamquam Judices interponunt, vel partes actrices compellunt, aut ad revocandas citationes, &c. aut ad consentiendum, ut absolvantur à censuris illi, contra quos tales inhibitiones emanarunt.*

Nota, quod ad incurrendam hanc excommunicationem duo requiruntur, & quod Avocatio (idem dic de aliis actionibus hic prohibitis: Doctores communiter ap. Pal.) fiat auctoritate propria hoc est publica, & quod fiat de facto: si enim fiat ex concessione juris, vel Papæ, cessat excommunicatio. Dicitur autem quis avocare ab aliquo Judice causam, si eam ad se trahi faciat, citando partes, ut coram se compareant, inhibendo Judicem, coram quo causa agitur, ne ulterius procedat, &c. ex cap. *Ut nostrum, de appellantis.* Causæ autem avocandæ pendere debent coram Judice Apostolico, & non mere Ecclesiastico, licet in Bulla dicatur *aliisque Principibus Ecclesiasticis*; quia dictio *Aliis* repetit qualitatem præcedentem: præsertim, cum hæc Clausula sit in favorem Judicum Apostolicorum; Hugol. Pal. contra Fil. Demum additur in clausula committentes aliquid prædictorum etiam excommunicationem incurrere, licet id faciant *Prætextu violentiæ prohibendæ, &c.* ut talia committentes fuerint *Præsidentes Cancellariarum, Consiliarii, Ordinarii, Episcopi, Archiepiscopi, vel quacunque alia dignitate præfulgentes, &c.*

XV. *Judices Seculares, qui ex prætenso officio, vel ad instantiam partis, vel aliorum quorumcunque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum*
quarum-

quarumcunque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, &c. præter juris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt quovis quæsito colore. item qui statuta, ordinationes, &c. faciunt contra Ecclesiasticam Immunitatem, vel iisdem utuntur, &c.

Primo, Dicuntur iudices laici personas Ecclesiasticas trahere, &c. cum illas compellunt, ut ad suum tribunal accedant, licet id fiat indirecte, vexando scilicet consanguineos Ecclesiasticæ personæ, eo fine, ut personæ Ecclesiasticæ ad suum tribunal accedant: Secundo. Hæc adductio faciendâ est à Judicibus, quatenus Iudices sunt, ut liquet ex ipsis Bullæ verbis *ad suum Tribunal*. Quare personæ, quæ Tribunal non habent, adducuntur Ecclesiasticos ad Tribunal seculare non comprehenduntur hoc canone, ut nec Iudices, qui illas non ad suum traherent, sed ad alienum: Tertio, Non comprehenduntur sub nomine *Statuta. &c. facientium* Consilarii disponentes statuta, & præcones voce publicantes, sed uni Principes, quorum auctoritate fiunt: Suar. Pal. contra Filliuc. Quarto, Usus talium statutorum, &c. probabilius debet fieri à persona publica ad hoc; ut incuratur ab utentibus excommunicatio: e. g. à Iudice, qui his statutis nixus sententiam contra libertatem Ecclesiasticam proferet: Bon. Pal. contra Sayr. Demum adduntur illa verba *Præter juris dispositionem*; sunt enim aliqui casus, in quibus adductio isthæc jure conceditur, & hic Neapoli addendi sunt alii, qui extant in mox citandis concordatis, quæ fac consulas.

XVI. *Impedientes Prælatos, & Iudices Ecclesiasticos, quo minus sua jurisdictione utantur, quique illorum, aut delegatorum judicia eludentes ad curiam secularem recurrunt, aut contra illos decernunt: item præstantes consilium, patrocinium, favorem, &c.*

Igitur excommunicantur, qui directe, vel indirecte impediunt, ne Prælati, &c. Ecclesiastici sua jurisdictione utantur; probabilius tamen ex Nav. Suar. aliisque ap. Pal. hic contra Hugol. hujusmodi impedimentum debet apponi auctoritate publica; quia hæc censura est adnexa præcedenti, quæ fertur contra eos, *qui auctoritate publica, &c.* Verum debet impediri usus jurisdictionis (& quidem ordinariæ, non delegatæ) Ecclesiasticæ; quare non incurritur excommunicatio ob impedimentum appositum Episcopo, ne sua jurisdictione temporali utatur. *Qui Ad Curiam recurrunt. &c.* Non requi-

requiritur ad excommunicationem incurrendam, ut impetrentur, & executioni mandentur inhibitiones, &c. ut volunt Navarr. Fill. Hugol. sed sufficit ex Bon. solus recursus. Porro Judex laicus, ex Doctoribus supra cit. ad hoc ut excommunicationem & ipse incurrat, non sufficit, si hujusmodi inhibitiones, &c. decernat, nisi etiam exequi faciat.

XVII. *Qui jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus, ad Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.*

Illi dicuntur bona aliena usurpare, qui ea tanquam propria, & ut sibi debita assumunt, utut sciant ad alium pertinere, ex Nav. Tol. Fill. Bon. Hinc, si quis ea assumit, ut aliena, sicut faciunt fures, non dicitur usurpare, ut bene Suarez. Illi autem dicuntur bona illegitime usurpare, qui sine legitima facultate apud se, vel alium deponunt impediendo iis, quibus de jure competit, illorum liberum usum. Nomine bonorum intellige tam jurisdictiones Ecclesiasticas, quam temporales, puta fructus, redditus, & quascunque utilitates etiam temporales. Porro ad hoc, ut incurratur excommunicatio, debent hujusmodi bona competere personæ Ecclesiasticæ ratione Ecclesiæ, &c. secus, si ex proprio labore, licet occasione beneficii, &c.

XVIII. *Imponentes quavis auctoritate decimas, & tallias, aliaque id genus onera personis Ecclesiasticis; & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum bonis, eorumque fructibus sine expressa Summi Pontificis licentia: necnon qui hujusmodi onera sic imposita diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt, innovantes decreta super his edita, &c.*

Ad incurrendam hanc excommunicationem non satis est tributi impositio per modum statuti, seu legis; sed requiritur insuper ejus exactio. Non est autem necesse, ut dicta onera imponantur, & exigantur ex bonis Ecclesiasticorum; sed satis est, si imponantur ipsis Ecclesiasticis personis etiam super bonis patrimonialibus: Sayr. Tol. Suar. Bon. contra Nav. Rursus incurritur excommunicatio, si prædicta onera imponantur. *Sine expressa*

pressa Summi Pontificis licentia, ut dicitur in clausula. Hinc, cum multæ hac in re facultates concessæ sint Carolo Utriusque Siciliæ Regi nostro à regnante Pontifice, consulenda hic concordata inter Sedem Apostolicam, & ipsum Regem, ex quibus habere potes, ad quantum se extendere possint bona patrimonialia Clericorum in Regnis utriusque Siciliæ existentium. Innovat demum Pontifex decreta super his per Sacros Canones tam in Later. quam in aliis Conciliis generalibus edita etiam cum censuris, pœnis in eis contentis. Ubi notanda sunt illa verba *Super his*; non enim omnia decreta de immunitate bonorum Ecclesiasticorum loquentia innovantur, sed solum, quæ loquuntur de contentis sub hac excommun.: ita Suar. Bon. Tol. Sayr.

XIX. *Quicumque Magistratus, Judices, Notarii, Scribæ, Executores, &c. quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra Personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, &c. sine speciali hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia; quique hujusmodi licentiam ad Personas, & casus non expressos extendunt, vel alias perperam abutuntur, etsi fuerint Consilarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.*

Hoc fori Privilegium, ex Trid. amittere Clericum, nisi deferat habitum, & tonsuram, & alicui Ecclesiæ inserviat, diximus tract. præced. ubi de Ordine egimus d. 5. q. un. quamobrem hic nihil superest dicendum.

XX. *Omnes, qui per se, vel per alios, directe vel indirecte, sub quocunque titulo, vel colore, invadere, destruere, occupare, & detinere præsumserint loca, & terras Romanæ Ecclesiæ, Romanique Pontificis, sive ipsi immediate, sive mediate subjecta; necnon supremam jurisdictionem in illis nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, &c. necnon adhærentes, fautores, auxilium quomodolibet præstantes, &c.*

Habet Pontifex dominium immediatum in iis locis, in quibus jurisdictionem temporalem exercet: habet vero mediatum in iis, quæ in alios transtulit feudo, vel emphyteusi retento dominio directo. Quænam autem sint loca, in quæ Pontifex sive directum, sive indirectum dominium habeat, vide fusc apud Pal. hic p. 21. n. 1. Nomine autem supremæ jurisdictionis non venit ipsum dominium directum, vel utile, quod Pontifex habet in terris suis; sed venit ea jurisdictio, quam ille, ut supremus Princeps exercet; hæ enim nemini subjecta est, & ab omni alia in-

depen-

dependens. Porro quinam ab his potestatem habeat absolvendi, vide quæ iparsim diximus quæst. præc. c. 3.

§. II.

De Casibus specialiter reservatis Pontifici extra Urbem intra Italiam.

H₁ sunt sex mox explicandi. Dicuntur specialiter reservati, quia per Decr. S. C. jussu Clem. VIII. 1602. sublatae sunt omnes facultates, & privilegia alias concessa Confessariis præsertim Regularibus ab eis absolvendi extra Urbem intra Italiam; & nomine Italiae veniunt etiam Sicilia, Sardinia, aliæque Insulae adjacentes: Doctores communiter ap. Merol. t. I. d. I. pag. 48. Porro singulos casus sequentibus ex ordine numeris expendemus.

I. *Violatio Immunitatis Ecclesiasticae in terminis Constit. Greg. XIV. quæ incipit, Cum alias nonnulli.*

Immunitas Ecclesiastica est *Privilegium Ecclesiae concessum, ut nemo ex ullo violenter extrahatur.* Talis est quævis Ecclesia auctoritate Episcopi stabiliter fundata, etsi nondum benedicta; imo, etsi cœperit construi: rursus, etsi polluta, aut interdicta, imo etsi diruta, dummodo non sit diruta auctoritate Episcopi sine spe reedificandi; & comprehendit tectum, parietes, scaldas, sacristiam, campanile, & cœmeterium etiam separatim; imo ex jure communi extenditur ad 40. passus circa Ecclesiam Matricem, & ad 30. circa alias: consuetudo tamen est in contrarium. Gaudent hoc privilegio Monasteria Regularium cum claustro, & horto, & Grangiae Cisterciensium, & cum illis communicantium ex Priv. Eug. IV. Item Loca piã, Hospitalia, Seminaria publica, Oratoria fundata auctoritate Episcopi, & palatium ipsius Episcopi, etiamsi distet à Cathedrali ultra 40. passus, nec habeat Oratorium, dummodo non sit alteri locatum: Suarez, & alii ex c. *Item Constituimus* 17. q. 4. Item Sacerdos deferens Eucharistiam cum suo comitatu: Doctores communis cum Suar. contra Bon. dummodo non sit in ipso carcere. Qui impedit, vel non recipit confugientem ad talia loca, peccat graviter, nisi ille indecenter ibi vivat, & turbet disciplinam Ecclesiasticam, ac ter monitus non se emendet; tunc enim potest expelli, ut se recipiat in aliam Ecclesiam: Delb. d. 48.

q. 47. Qui vero eum violenter extrahit ab Ecclesia (etiam si Judæum, vel Paganum, ut addunt Barb. Fagn. & alii contra Clar.) dicitur violator Immunitatis Ecclesiasticæ, & incurrit excommunicationem latam à Gregor. XIV. specialiter reservatam extra Urbem intra Italiam à S. Congr. jussu Clem. VIII.; idque verum est, etiam si extractio secuta non fuerit, si tamen opere externo sit attentata, quia in textu dicitur *Attentare præsumpserit, &c.* Bonac. cum communi contra Gambacurt. Extenditur etiam ad mandantes ob eandem rationem: Genuens. *In Praxi*, Bon. Far. & alii communiter; non tamen ad consulentes, quia neque extrahunt, neque attentant. Extenditur denique ad incarcerantes, & restituere nolentes, etiam si non incurrerint ad extractionem, quia in textu dicitur *capere, extrahere, aut carcerare*, & *ly aut* est alternativa: Bon. contra Suar. idque verum est, etiam si ille consenserit capturæ in Ecclesia, vel nolit restitui; cum non possit renunciare juri Ecclesiæ jam acquisito: Doctores communiter: non tamen ad ratihabentes extractionem nomine suo factam, quia hi neque extrahunt, neque attentant: Doctores communiter.

Extrahi quis dicitur ab Ecclesia, etiam si clausas ejus januas, vel seram, vel quid simile manu apprehendit, aut illis adhæret, aut in Ecclesiæ ambitu, vel super tegulas tecti existit; non vero, si humeris tantum adhæreat parieti Ecclesiæ, & ambobus pedibus in via existat: Bon. & alii, Extrahi etiam dicitur, si ex aliqua necessitate, aut gravi metu injuste incusso coactus exeat, quia non censetur sponte exire: Bon. Fag. & alii. Non vero, si blanditiis, promissionibus, aut deceptione exiens capiatur extra, quia immunitas violatur per violentam extractionem ex cap. *Inter, de Imm.* Neque, si captus extra ducatur ad carceres per Ecclesiam, quia non dicitur capi in illa: Bon. & alii communiter. Neque, si ab Ecclesia extractus, & in carcere seculari inclusus, hinc evadat, sed à fuga retrahatur, quia sic censetur captus extra: Delb. d. 31. num. 17. Neque si per alios ereptus à manibus satellitum confugiat ad Ecclesiam, quia sic Curia secularis injuste est spoliata jure acquisito in illum, adeoque juste potest illum repetere ab Ecclesia non protegente injustitiam: secus vero, si ille è carceribus, vel à manibus satellitum seipsum exemit, aut hos se-

cum

cum traxit in Ecclesiam, quia sic nulli fit iniustitia: Delb. f. 7. Denique, quamvis Judex Ecclesiasticus possit illum ob justas causas constringere compedibus in ipsa Ecclesia, & imponere poenitentiam aliquam salutarem, si peccatum sit publicum, vel ad tollendum scandalum, nullatenus tamen constringi potest à Judice seculari, quia sic fieret ex Ecclesia carcer, quod magis repugnat Immunitati, Suar. c. 12. num. 2. Potest tamen ab eo apponi custodia extra ambitum Ecclesiæ, ut, si forte terminos sacros egrediatur, capi possit: Doctores communiter.

Ex c. Const. Greg. XIV. extrahi possunt ab Ecclesia, primo, *publici latrones*, hoc est, qui ob frequentia latrocinia pro talibus communiter habentur. Secundo, *Grasatores viarum*, qui itinera frequentata, vel publicas vias obsident ad viatores ex insidiis aggrediendos. Tertio *Depopulatores agrorum*, hoc est, qui agros, vineas vastant, incendunt, &c. Quarto, *Committentes homicidium, vel mutilationem in ipsis Ecclesiis, eorumve cæmeteriis*, qui proinde neque gaudent aliis Ecclesiis, quia omnes sunt una: Doctores communiter apud Delb. d. 19. l. 1. contra Syl. scribentem ante hanc Constitutionem: idemque est, si lethaliter vulneres in Ecclesia, etiam si ille moriatur extra; vel si existens extra occidas existentem in Ecclesia: non vero, si existens in Ecclesia occidas existentem extra, juxta dicta d. 1. q. 1. c. 4. §. 2. Neque, si occidas in Sacristia, Campanili, &c., quia sumus in odiosis, qualis est restrictio Immunitatis Ecclesiasticæ: Doctores apud Delb. f. 6. contra alios. Quinto, *Qui proditorie proximum suum occiderit* (etiam infidelem, ut addit Delb. f. 4.) hoc est amicitiam simulando, dolose seducendo, aut nihil tale prævidentem: ut si mater occidat infantem: si sine præcedente inimicitia, & rixa veneno occidas: vel inimicum, cui promiseras amicitiam; secus vero, si inimicum dormientem, aut à tergo, quia ille prævidere poterat, & præcavere; Gomez & alii. Sexto *Reus Assassinii*, hoc est, qui pretio conductus occidit proximum; adeoque etiam infidelem: Bon. Delb. f. 2., dummodo non sit suus etiam inimicus: Bon. Delb. f. 3.; & extenditur ad conducentem, utpote etiam reum assassinii, etiam si non sequatur effectus: Masc. Delb. f. 4. Septimo, *Reus Hæresis*, quod etiam extenditur ad fautores: Octavo, *Reus læsæ Majestatis in persona ipsiusmet Principis*, hoc

hoc est sui Principis, & quidem absoluti; quod etiam extenditur ad mandantes: Dian. pag. 1. tract. 1. r. 6. Ad hos revocantur omnes alii casus juris antiqui ex cit. Constit. atque in his octo casibus extrahi debet reus auctoritate Episcopi: eo vero culpabiliter nolente, extrahi potest à Judice Seculari, sed in carcere Episcopi deponi, usquedum Episcopus, vel ejus Superior cognoverit de crimine excepto, quantumvis etiam notorio: Rich. Dian. Delb. s. 2. & 3. * Hæc de jure communi. Hic autem in Regno Neapolitano attende Concordata inter Sanctissimum P. Nostrium Bened. XIV. & Carolum Utriusque Siciliæ Regem, sub die 8. Jun. 1741. quæ initium sumunt à Bulla ejusdem Pontificis incip. *Memores Apostolici*, quorum concordatorum idcirco non meminit auctor, quod post ejus obitum emanarunt. *

Clericus autem non videtur gaudere Immunitate Ecclesiæ contra suum Judicem Ecclesiasticum, quia Jurisdictio Ecclesiastica exerceri potest in loco sacro, & jura nullibi loquuntur de Clerico, nisi contra Judicem Laicum: Abb. Sylv. Suar. Bon. & alii. Attamen Far. Clar. Tusch. Barb. Fagn. & alii contradicunt, & Curia Romana ann. 1695. improbasse dicitur Episcopum in Germania, qui Abbatem sibi subjectum è Monasterio extraxerat. Cæterum Religiosus non gaudet comparative ad Prælatum suum, si confugerit ad Ecclesiam suæ Religionis: Doctores communiter contra Gambacurtam: si autem ad aliam, Rebuf. Barb. Dian. & alii contra alios dicunt, gaudere: vid. Delb. s. 15. Servus gaudet comparative ad dominum suum: si tamen hic juret, & præstet securitatem de ejus impunitate, debet etiam invitus reddi domino, cap. *Inter de Immun.* Idem est de milite, de damnato ad triremes, qui ad suum servile ministerium sunt etiam ab Ecclesia reducendi

II. Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem.

Clausura Monialium est spatium intra Januam Monasterii semper clausam, & cætera Monasterii loca, quæ ea Janua continentur, ex cap. *Periculoso, de Stat. Regul. in 6.* Violatur tum per egressum ipsarum Monialium; tum per ingressum aliarum personarum cujuscunque sexus, ætatis, aut conditionis; exceptis Regibus, Reginis, eorumque Filiis: Suar. Sanch. Bon. & alii contra Merol. & alios: item pueris ante usum rationis: R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. Hh Do-

Doctores communiter: non tamen amentibus post septennium, cum possint ad peccatum incitare, &c. Moniales etiam Conversæ post professionem à Clausura exeuntes sine licentia in scriptis, concedenda tantum in certis causis, incurrunt excommunicationem reservatam Papæ: item eas comitantes, & receptantes, necnon etiam Prælati licentiam indebite concedentes, ex Constit. Pii V. *Decori*: non tamen Novitiæ, Oblatæ, aut Educandæ, quæ tantum tenentur ad Clausuram, dum ibi existunt, &, si exeant sine licentia, non possunt regredi: Sanch. De Lugo l. 3. *Resp. Moral.* d. 7. Reliqui vero utriusque sexus ingredientiæ Clausuram Monialium sine debita licentia in scriptis, &c. incurrunt excommunicationem latam à Trid. *sess. 25. de Regul. c. 5.* quæ pro Clausura Monialium SS. Francisci, & Domini- ci reservatur à Bonif. IX. & Eug. IV. apud Nav. In- gradientes vero prætextu facultatum jam revocatarum, tum eos permittentes, vel ingredi facientes, incur- runt excomm. reservatam à Greg. XIII. *Ubi gra- tia.* Prælati Pontificalis dignitatis, si ingrediantur, præterquam in casibus sibi concessis, incurrunt 1. vice interdictum ab ingressu Ecclesiæ: 2. vice suspensio- nem à Pontif. & Divinis: 3. vice, & reliquis excom. ex Bul. Greg. XIII. *Dubii.* At Regulares à 1. vice omni officio, ac ministerio privantur, & excomm. incurrunt: Pal. tr. 15. d. 4. p. 10. §. 4. n. 5.

Excipe, si necessitas ingrediendi, vel egrediendi sit talis, ac tanta, ut careat lege expectandi licentiam, puta incendium, terræmotus, vel aliud imminens vitæ, aut honoris periculum, qua ratione etiam videtur excu- sandus, qui eo confugit ad asylum. Datur insuper par- vitas materiæ in ingressu, vel egressu excusans à mortali, & excommunicatione; ut, si pars corporis sit intra, pars extra. Imo Nald. Graf. & Merol. putant, esse etiam modicum, si totum corpus esset ad duos pedes intra, vel extra, quod tamen negant Sanch. Basl. & alii, quia sic habetur perfecta legis transgressio. At violantes clausuram Monialium ob malum finem, puta furandi, percutiendi, aut turpe aliquid faciendi (Pelliz. intelligit tantum de sine fornicandi) incurrunt excom- municationem specialiter reservatam extra Urbem in- tra Italiam. Qui autem cum debita licentia ingressus habuit malum finem, etiamsi finito negotio non statim exeat, non dicitur juxta Sanch. violator clausuræ; uti neque

neque Monialis cum licentia egressa, si finita causa non statim redeat, quia violatio consistit in egressu, vel ingressu; quamvis contradicant Pal. Bon. & alii. Cæterum, quamvis peccatum sit non statim exire, vel redire, tamen *ly Statim* intelligi debet moraliter, ita ut, si sine malo sine discurratur aliquantisper intra, vel extra, non sit peccatum saltem grave: Doctores communiter.

III. *Provocantes, & pugnantes in duello, juxta Decr. Trid. & constit. Gregor. XIII. incipientem, Ad tollendum.*

Duellum est *Duorum, vel etiam plurium pugna deliberate suscepta ex condito, statuto tempore, & loco cum periculo mortis, vel gravis vulnerationis.* Si ergo certo non adsit tale periculum, non est proprie duellum, ut si fiat pugnis, neque, si conventio fuit in rixa, ut si duo rixantes in Ecclesia dicant, *Egrediamur foras, & ibi pugnant;* quia sic censetur una actio moraliter continuata ex rixa, adeoque non ex deliberatione. Neque demum, si non sit statutum tempus, & locus, ut si duo inimici sibi occurrentes se provocent ibi ad pugnandum: secus, si statuatur locum. & eo pergant ad pugnandum; vel si alter dicat alteri, *Vade ad capiendum arma, hic te expecto, &c.*

In duobus tantum casibus licitum est duellum: Primo. si fiat ad dirimendum bellum, ad servandas vitas proprii exercitus, ad debilitandas vires hostium; quia sic est potius pars belli: Doctores communiter: Secundo, Si non potes aliter effugere mortem, ut si duo damnati ad mortem jussu judicis duellant, quia sic alter est carnifex alterius, & potius se defendit; secus vero in aliis circumstantiis, in quibus poteris te defendere non acceptando, nec duellando. Hac in re ab Alex. VII. damnatur hæc Propos. 2, *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Hinc ex Trid. *sess. 25. de Ref. c. 19.* excommunicantur publice duellantes, tum Reges, Imperatores, aut domini temporales concedentes locum ad tale duellum in terris suis, tum patrini, consulentes, & spectatores (intellige ex proposito, non vero, si casu, aut ut illud dirimant) quam excommun. Pius IV. reservavit; & Greg. XIII. extendit etiam ad illos, qui privatim monomachiam (hoc est duellum) commiserint, etiam sine patrinis, sine scriptis provocatoriis,

toriis, &c. & ad dominos locorum non impediētes, ad mandantes, instigantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, equos, arma, pecuniam, comēatum, & alia subsidia scienter subministrantes; ad spectatores ex proposito, vel socios quovis modo se præsentes, etiam si illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per ipsos non steterit, quo minus illa committatur. Hæc Greg. XIII.

Talis excommunicatio incurritur à duellantibus sequuta pugna, quia in textu dicitur *Pugnam commiserint*: Sanch. l. 2. *Decal.* c. 39. num. 28. A reliquis vero incurritur, etiam si pugna non sequatur, dummodo tamen per ipsos non steterit, quo minus illa sequatur, ut dicitur in eodem textu; horum ergo illi, per quos stetit, non incurrunt; per quos non stetit, incurrunt. Atque ab hac excommunicatione Religiosi ex vi suorum privilegiorum non possunt intra Italiam absolvere *Provocantes, & pugnantes in duello*; reliquos tamen absolvi probabiliter posse, ait Lug. l. 2. *Resp. Moral. dub. 2.* quia in hac prohibitione solum exprimuntur provocantes, & pugnantes; sed communius negant cum Bonac. quia usu, & consuetudine receptum est, ut pro reliquis etiam petatur à Roma absolutio, quæ consuetudo optime interpretatur verba illa S. Cong. *Juxta Trid. & Const. Greg. XIII.* referri ad omnes ibi contentos; consuetudo enim est optima legum interpret: absolvere autem potest Episcopus, si res sit occulta, juxta Trid. *sess. 24. de Refor. c. 6.* Denique, ex Constit. Clem. VIII. incipiente *Illius vices* ann. 1592. excommunicatio reservata incurritur à provocantibus, aut acceptantibus duellum, etiam pugna non sequuta; & expresse extenditur etiam ad Magistratus, Duces, & Capitaneos in castris, & dominos Ecclesiasticos non impediētes, vel impunitatem post duellum dantes, ad componentes, dictantes, scribentes, subscribentes, imprimētes, affigētes, publicantes, mittentes, deferentes chartam duelli, vel etiam solo verbo denunciātes, attestantes, vel quomodolibet se immiscentes; et si neque pugna, neque accessus, nec actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta provocatio sequuta, aut cuiquam intimata fuerit, si per eos non steterit, quo minus publicatio, aut denunciatio fieret: hæc ex Clem. VIII. ubi notat Bonac. principaliter, ac seorsim excommunicari

nicari provocationem, publicationem, intimationem, acceptionem, accessum ad locum, & pugnam; reliquas vero actiones respective ad singulas istarum; ideoque dans v. g. consilium ad provocandum incurrit hanc excommunicationem, si provocatio sequatur, vel sequi debuisset, si aliunde impedita non fuisset, quia sic per eum non stetit, quin sequeretur; secus vero, si per eum stetit: similiter, si chartam affigas, etsi postea laceres, incurris, quia illa affixio est publicatio: secus, si scribas, sed non affigas, publices, &c. Similiter, si des arma, &c. incurris, dum ille accedit ad locum duelli, vel accedere debuisset, nisi aliunde fuisset impeditus, quia per te non stetit, &c. secus vero, si tu impediisti, ne accedat; & sic de reliquis. Utrum autem teneatur ad restitutionem occidens, aut mutilans in duello, dictum est in Tract. de Restit. d. 2. q. 3. c. 1. §. 1.

IV. *Injicientes violentas manus in Clericos, juxta Can. Si quis suadente, ac juris dispositionem.*

Hæc excommunicatio reservatur in dicto Can, & ex dispositione juris extenditur ad mandantes, consilium, auxilium, favorem præbentes, percussorem suo nomine factam ratihabentes aliquo actu externo, necnon etiam ad non impediens, si ex officio, aut justitia tenebantur: quid autem possit Episcopus, quid Prælati Regulares, dictum est d. 1. ubi alia plura in hanc rem notavimus. Hic tria supersunt explicanda percussus, percussor, percussio. Itaque

Primo, Percussus debet esse Clericus, vel Monachus, ex cit. Can. Gaudet vero hoc privilegio Canonis Clericus habens saltem primam tonsuram, etiam si sit excommunicatus, suspensus, irregularis, degradatus tantum verbaliter; imo, etiam si sit hæreticus, ut ait Nald. & alii contra Barbof. imo etiam si sit mortuus, & percutiatur ejus cadaver. Item si sit conjugatus, dummodo cum unica virgine, deferat habitum, aut illum reassumat, & serviat Ecclesiæ deputatæ ab Episcopo. Non ergo gaudet Clericus bigamus; neque quem dicimus Clericum, seu Diaconum salvaticum, cui Sac. Congr. apud Fagn. num. 9. tribuit tantum privilegium fori in criminalibus, & in civilibus quoad incarcerationem, & onera personalia; neque Clericus existens in Sacris, si sit degradatus realiter. Neque demum Clericus non existens in Sacris, si vacat per annum publico

officio Buffonis; si deserto habitu committat assassinium, immisceat se tyrannidi, seditioni, aliisque gravibus criminibus; si dimisso habitu, vel conjugatus etiam cum habitu, exerceat publicum officium Tabernarii, aut Macellarii, & ter monitus ab Episcopo non desistat, aut, si destiterit, iterum exerceat; si demum ter monitus ab Episcopo dimissum habitum non reassumat, aut ab officio vili, aut à negotiis secularibus non desistat: Pal. d. 3. p. 22. ex pluribus textibus. Gaudet etiam privilegio Canonis Monachus, hoc est Regularis utriusque sexus, etiam si laicus, Monachus, hoc est Regularis utriusque sexus, etiam si Bigamus, cum lex tantum excludat Clericos Bigamos, ut notat Suarez; item Tertiariæ SS. Francisci, & Dominici, si collegialiter vivant cum habitu. Eremitæ etiam, & Oblati, dummodo tamen voto aliquo, aut pacto perpetuo subjecti sint alicui Regulæ, aut Superiori. Item Equites Melitenses, & Teutonicus, utpote veri Religiosi, quod etiam ad Equites S. Jac. Calatravæ, &c. extendunt Nav. Bon. & alii, sed in his attendenda est consuetudo.

Secundo, Percussor esse potest quicumque utriusque sexus habens usum rationis, etiam si impubes, dummodo percutiat *Suadente Diabolo*, hoc est non ex ignorantia, inadvertentia, aut ex joco, etiam si forte aliqua levis ira interveniat, cum debeat actio tum interna, tum externa pertingere ad culpam lethalem; estque talis, etiam si ipse percussus contentiatur, quia fit injuria ejus statui, cujus privilegio renunciare ipse non potest; idcirco etiam ipse consentiens incurrit excommunicationem ferendam, ex cap. *Contingit eod. tit.* atque adeo probabilius incurrit excommunicationem latam, si ipsemet suadente diabolo se percutiat, cum hæc prohibitio magis sit in favorem status, quam personæ, ut notant 30. Doctores apud Sperel. contra Tol. Barbof. & alios paucos. Denique ex dispositione juris extenditur hæc excommunicatio ad mandantes, consensum, consilium, auxilium, favorem præstantes, suo nomine factam ratihabentes non mere interne, sed externe, & ad non impedientes, si ex officio, aut justitia tenebantur: Layman. Bonac. & alii communiter ex pluribus textibus. Excusantur autem tum à peccato, tum ab excommunicatione. Primo, Prælati, Præceptor, & Pater, si percutient Clericum subditum in Minoribus constitutum, dummodo fiat correctionis causa, nec sit excessus in modo; idem est de Decano Chori relate ad talem Clericum

ricum disturbantem divina officia; imo idem pariter de Prælato, & Præceptore Ecclesiastico relate ad Clericum constitutum in Sacris, quod tamen de patre negat probabiliter Pal. contra alios: Secundo, Excusaris pariter, si percutias ob justam defensionem tuæ, vel alterius personæ, honoris, rerum; dummodo fiat in continenti in ipso actu aggressionis, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut, si mulier tenetur à Clerico, nec aliter potens suum honorem tueri illum occidat; si aggressus sis à Clerico, & fuga tibi sit ignominiosa; si Clericum asportantem tua bona insequare, detineas, & per vim auferas, dummodo ea sint alicujus valoris, nec sint in tuto deposita: Doctores communiter: Tertio, Excusaris ab excommunicatione, etsi non à peccato, si etiam excedendo, & ex vindicta occidas Clericum turpiter inventum cum tua uxore, matre, filia, aut sorore (non vero, si cum alia, etiamsi tibi conjuncta, ut notant Doctores) ob difficultatem temperandi dolorem, & impetum vindictæ, ut addit Gloss. Censetur autem Clericus turpiter inventus, etiamsi inveniatur tantam osculans, amplectens, turpiter tangens, vel in loco suspecto, ita ut ex circumstantiis merito conjici possit turpitudine: Suarez, Bonac. & alii: item, si sine dolo expectes, eumque in tali delicto deprehensum percutias; non vero, si dolose inducas, neque si post finitum delictum percutias: Pal. & alii communiter.

Tertio, Percussio est violenta manuum injectio in personam, vel res aliquo pacto ei adhærentes, ita tamen, ut, præcisa etiam excommunicatione, sufficiat arbitrio prudentium ad culpam gravem. Hinc non incurris excommunicationem, si tantum verbis contumeliosis, aut minacibus afficias, expellas, quia non pervenis ad opus manuum. Neque, si manus violentas inferas in ejus domum, familiares, vestes non indutas, &c. etiamsi in odium, & injuriam ipsius, quia nihil horum ei adhæret; neque si pallium, crumenam per furtum ab eo abscindas, cum non sit actio violenta. Neque, si lapidem in eum injicias, qui tamen nullo pacto attingat, nec lædat. Neque demum, si ex intentione graviter injuriosa, ita tamen leviter tangas, ut judicio prudentium censeatur actio externa tantum venialis: Doctores communiter. Contra vero incurris, quomocunque manu, vel instrumento percutiendo graviter noceas corpori, vel honori; ut si fontem, aquam, pulverem, lu-

tum, pileum in eum per injuriam projicias; si vestem, pileum, pallium, per vim, & injuriam auferas; si similiter equum, cui infidet, occidas, vulneres, cædas, per frænum sitas; quia, licet hæ actiones sint leves respectu corporis, non tamen respectu honoris; si venenum clam ei propines, quia sic vitæ vim infers, idque statim ac venenum incipit agere, quamvis non sequatur mors: Bonac. cum communi contra Avil. Fil. & alios: si ita persequaris, ut sis moraliter causa ejus lapsus ex equo, vel in foveam: censearis autem causa, si ille ex metu talis percussio cadat; similiter, si explodas sclopetum in eum, qui ex timore cadat quasi exanimis, quamvis ne leviter quidem tangatur: denique si capias absque auctoritate Ecclesiastica, aut violenter detineas in carcere, vel in loco, unde sine dedecore exire non possit, ut si se lavanti in balneo vestes depositas auferas, &c.

Quarto, Quævis talis percussio esse potest, vel gravis, vel mediocris, vel levis. Gravis, seu enormis habetur primo ex quantitate læsionis, ut si mutiles membrum; aut reddas inhabile, si effundas sanguinem in magna copia aliunde, quam è naribus, si includas in tetro carcere, si flagelles cum dolore, & contumelia: Secundo ex circumstantia personæ, ut si sit Cardinalis, Episcopus, Prælati, proprius Abbas, Pater, Patronus, in quos offensa, ex se alioqui levis, crescit ex dignitate personæ offensæ; similiter crescit ex conditione offendentis, ut si sis subditus, filius, vilis, &c. idemque est, si impingas alapam in personam gravem, vel si officialis laicus percutiat auctoritative, quasi usurpans jurisdictionem Ecclesiasticam: Tertio ex aliis circumstantiis, ut si cum magna irrisione, & irreverentia, notorietate, & scandalo, si in conspectu Prælati, aut Judicis, si Sacris indutum, si ad Altare, in publica Ecclesia, in foro, tempore magnæ solemnitatis, &c. quæ singula pensanda sunt, ut judicium fiat de gravitate, seu enormitate actionis, quæ alioqui se sola spectata non esset talis. Ex gravi facile dignosci potest mediocris, & levis; si enim à gravi non multum distat, dicitur mediocris, ut si præcis aliis circumstantiis Clerico dentem detrahas, capillos evellas in copia, sugillationem carnis relinquant, sanguinis copiam absque gravi læsione effundas, &c. Levis denique dicitur, non quæ sit tantum culpa venialis, quia sic nulla incurritur

ritur excommunicatio: sed quæ intra latitudinem peccati mortalis est infima; ut si, præcis aliis circumstantiis, fiat pugno, palma, manu, pede, baculo, vel lapide sine flagellatione carnum, effusione multi sanguinis, evulsionem multorum capillorum, &c.

V. *Simonia realis scienter contracta.*

Simonia realis est, cum ex conventionem, seu pacto, five tacito, five expresso commutatur temporale cum spirituali. Differt à simonia mere intentionali, vel mere conventionali, quia ultra intentionem, & conventionem dicit etiam effectum, seu traditionem rerum sequentem, & quidem utrinque: si ergo datum sit tantum temporale, vel tantum spirituale, & non alterum, nondum est simonia perfecte realis, sed veluti mixta ex conventionali. Hoc supposito. In Extrav. 1. *De simonia* habetur excommunicatio reservata contra dantes, & recipientes aliquod temporale ob ingressum in Religionem, quicumque sint dantes, vel accipientes, modo fiat ex conventionem in pretium talis ingressus, & intelligitur de ingressu perfecto per professionem, aut vota constituentia Religiosum, non autem de ingressu in novitium. Si autem des aliquid sponte, & gratis, non habetur simonia; neque, si des in tui, aliorumve sustentationem, etsi aliter non te ad professionem reciperent; uti dicimus de elemosyna data Sacerdoti, ut celebret, aliter non celebraturo; ideoque, nec simonia, nec excommunicatio incurritur à paciscentibus super dotibus Monialium, ex Clement. VIII. In Extrav. 2. eod. tit. habetur excommunicatio pariter reservata contra dantes, & accipientes, & horum mediatores in ordine, aut beneficio. Per ordinem, Bonac. communiter contra Lessium, & alios, intelligunt etiam minores; imo etiam primam tonsuram, quam Sacri Canones etiam vocant ordinem cap. *Cum conjug. de Ætat. & qualit.* Per beneficium, multi cum eodem Bonac. contra Suarez, & alios intelligunt hic, quod proprie dicitur beneficium, non vero pensionem, officium, aut dignitatem Ecclesiasticam, quia sumus in odiosis; intelligunt tamen communiter etiam beneficiorum permutationem, resignationem, pensionum reservationem, vel æquationem fructuum pro beneficio resignato, si fiant sine auctoritate Superioris, quia sic est simonia juris Ecclesiastici in beneficio. Per mediatores intellige non so-

lum eos, qui pretio à te inducuntur ad impetrandum à Superiore pro te, vel pro alio ordinem, aut beneficium; verum etiam, qui talem simoniam inter te, & Superiorem procurant; non vero si des illis aliquid tantum, ut tibi aditum, aut facilem ingressum apud Superiorem concedant, vel ut certiorum eum faciant de tuis meritis, modo non intercedant; & secundum aliquos; neque si sint mediatores remoti, qui intercedant apud alium mediatorem.

Itaque excommunicatio simoniæ realis incurritur tantum in ingressu Religionis, Ordine, & Beneficio; at non in aliis materiis, puta in venditione Baptismi, Chrismatis, &c. in quibus tantum est excommunicatio comminatoria, cap. *Quidquid* 101. neque adeo est casus Papalis: Bonac. & alii contra Sotum, & alios. Addo tamen quatuor alias excommunicationes reservatas: Primam contra ambientes Papatum, ejusque causa simoniam committentes, ex Constitut. Paul. IV. *Cum secundum*: Secundam contra dantes, & accipientes pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam, ex Constitut. Gregor. XIII. *Ab ipso*: Tertiam contra proponentes ad quæstum populo indicem casuum, & gratiarum cum indulgentiis, ex Pio V. *Infelicis*; Quartam contra recipientes aliquid ex fructibus primi, & secundi anni beneficii vacantis in collatione; aut provisione ad possessionem illius, ex eodem, *Quam plenam*. Sed hæc excommunicationes incurritur ante simoniam realem, adeoque non pertinent ad rem præsentem, nisi pertingant ad simoniam perfecte realem.

VI. *Simonia confidentialis etiam scienter contracta.*

Simonia confidentialis, quæ & confidentia dicitur beneficalis, committitur à resignantibus, conferentibus, eligentibus, aut præsentantibus alium ad beneficium cum intentione, seu spe, seu certa confidentia, quod tale beneficium, seu ejus pars aliquo tempore reversura sit in favorem ipsorum, aut alterius cujuscunque; atque hæc confidentia completur ab acceptante tale beneficium ipso actu acceptandi; & solus acceptans incurrit excommunicationem latam, & reservatam ex Constitut. Pii IV. *Romanum*, & Pii V. *Intolerabilis*; estque casus specialiter reservatus extra Urbem intra Italiam.

Ut autem acceptans incurrat hanc excommunic., requiritur, ut illam intentionem resignantis, collatoris, electoris, aut presentantis animadvertat, etiamsi non in pactum deductam; imo, etiamsi acceptet sine animo annuendi tali intentioni, ut probabilius docet Bon. ex illis verbis Pii IV. *Etiamsi sola dimittentis intentione receperit*; non tamen si falso putans, esse in eo talem intentionem, & cum animo ei annuendi acceptet; quia sic non committitur simonia confidentialis, quæ originem trahit à tali intentione: Suarez, Bonac. & alii; neque demum, si intentio v. g. resignantis sit, ut sibi resignetur aliud beneficium distinctum, vel ut sibi remittatur pensio aliunde debita, quia hic casus non comprehenditur in dictis constit. v. plura in Tract. de Simonia tr. 3. d. 5.

§. III.

De reliquis Casibus Papalibus.

RELIQUI Casus Papales reservati sunt supra 80. partim in corpore juris, partim in aliis Constitut. Pont. Horum reservationem, ubi nulla exprimitur persona, incurrunt omnes, præter unum Papam: ubi vero exprimuntur personæ, vel earum gradus, aut officium, istæ tantum incurrunt. Itaque eorum Catalogus hic est.

1. *Sacerdotes sive Seculares, sive Regulares, extra Urbem intra Italiam, præsumentes prætextu privilegiorum absolvere à Casibus Bullæ Cœnæ, vel à 6. Clement. VIII., vel ab illis, quos Episcopi sibi reservant: Clement. VIII. Sacra Congreg. 1602.* 2. *Publicantes, vel concedentes ob quæstum indulgentias, aut facultates absolvendi à Casibus: Pius V. Quam plenum.* 3. *Audentes docere, tueri, aut in praxim deducere opinionem, quod Bulla Cruciatu possit eligere quemcunque Sacerdotem à quocunque semel approbatum: Inn. XII. 19. Apr. 1700.* 4. *Docentes, defendentes, vel tractantes (nisi forte impugando) Propositionem aliquam ex damnatis ab Alexand. VII. Inn. XI. & Alexand. VIII.* 5. *Docentes, licitum esse confiteri Sacramentaliter per literas, aut internuntium Confessario absenti, & absolutionem Sacramentaliter,*

ter à Confessario absente obtinere; aut in praxim quocumque modo id deducentes: Clement. VIII. an. 1602. 6. Non denunciante intra 12. dies à scientia delicti hæreticos, aut quomodolibet suspectos de hæresi: Ex Præcept. Inquis. General. an. 1623. Item non monentes, aut deobligantes à denunciando, ex Bull. Alex. VII. Licet alias an. 1660. confirmante ampliative Bull. Paul. V. Romanus an. 1606. 7. Inquisitores inferiores Episcopis male procedentes contra Hæreticos; Clement. Multorum. 8. Superiores Regularium non denunciante suos Religiosos Hæreticos, aut de hæresi suspectos: Paul. V. cit. 9. Communicante in crimine criminoso cum excommunicato nominatim à Papa, cap. Nuper de Sent. Excomm. 10. Persecrantes per annum in excommunicatione lata à Delegato Papæ, cap. Quærenti de Offic. Deleg. 11. Absoluti in excommunicatione Papali cum onere, & illud non implete, cap. Eos, qui, in Sent. Excomm. in 6. 12. Violante Interdictum Sedis Apostolicæ: Extrav. Ethl. de Penit. & Remis. 13. Præsumentes violare Interdictum huiusmodi, vel cogendo ad celebranda Divina Officia in loco interdicto, vel quomodolibet vocando alios ob ea ibi faciendâ, vel prohibendo, ne ab Ecclesia tempore Missæ exeat excommunicatus, aut interdictus vitandus, postquam is à celebrantibus monitus est exire: vel demum, si is nominatim ab illis monitus non exeat: Clement. Gravis, de Sentent. Excomm. 14. Vexante eos, qui censuram in aliquem tulerunt, cap. Quicumque, de Sentent. Excomm. in 6. 15. Clerici (etiamsi Regulares: Fill. contra Bonac.) scienter, & sponte admittentes, ad Divina Officia excommunicatos nominatim denunciatos à Papa, cap. Significavit, de Sent. Excomm. 16. Clerici, sive Seculares (exceptis Parochis) inducentes aliquem ad jurandum, votandum, aut permittendum de eligenda Sepultura apud ipsos, vel electa non mutanda: Clement. Cupientes, de Penit. 17. Regulares administrante Sacramentum Viatici, vel Extremæ Unctionis Secularibus non familiaribus, vel Matrimonii, absque licentia Parochi: Clem. I. de Privilegiis. 18. Supponentes se in examine, ut beneficium impetrent pro alio: Paul. IV. Inter cæteras. 19. Incendiarii laicorum, sive piorum, sive profanorum, si sint ab Episcopo denunciati, cap. Tua nos, de Sentent. Excomm. 20. Effringentes, & spoliante Ecclesias, si sint ab Episcopo denunciati, cap. Conquesti, eodem tit. Ubi nota particulam Et requirere ntrumque simul actionem, & nominatim

nomine *Ecclesiæ* non venire *Oratorium* privatam, neque *arcam*, in qua res *Ecclesiæ* continentur: *Bon. 21. Facientes jurare illicita, impossibilia, damnosa, vel contraria Libertati Ecclesiasticæ, aut Decr. Trid. Greg. XIII.* Inter *Apostolicos 22. Procurantes quomodolibet abortum fœtus animati, sequuto effectu: Greg. XIV.* *Sedes Apostolica. 23. Occupantes quomodolibet bona Montium Pietatis, Ecclesiæ, Beneficii, aut loci pii: Trid. sess. 24. c. II. 24. Impugnantes Conceptionem B. Virginis, vel legentes, retinentes, aut pro veris habentes libros, in quibus asseritur, esse hæresim, vel peccatum, id credere, celebrare, aut in Concione audire. Et econtra damnantes hæresis, vel mortalis eos, qui tenent sententiam oppositam: Sixt. IV. Grave nimis. 25. Legentes, retinentes, edentes, describentes, advehentes, quovis modo dantes, aut ementes libros Thalmud, Cabalistas, aliosve Hebræorum contra vetus, aut novum Testamentum, &c. Clem. VIII. Cum Hebræorum. 26. Petentes, vel exigentes aliquid (Et non ad pios usus) ex fructibus primi, aut secundi anni beneficii vacantis, in ejus Collatione, Provisione, aut admissione ad possessionem: Pius V. Durum nimis. Si autem hi sint Antisites, suspenduntur tantum. 27. Dantes, aut accipientes aliquid pro gratia, aut justitia obtinenda in Curia Romana; item promittentes, aut promissionem acceptantes; item præbentes his auxilium, consilium, favorem: item id scientes, Et non revelantes: Greg. XIII. Ab ipso. 28. Dantes, vel promittentes aliquid Nunciis Provisiones à Sede Apostolica factas: Greg. XIII. Solicite. Hoc tamen Fil. dicit non esse usu receptum. 29. Habentes literas Apostolicas falsas, Et eas intra 20. dies non destruentes, c. Dura, de Crim. Fall. 30. Impedientes quomodolibet executionem literarum S. Pœnitentiariæ: Jul. III. Rationi. Id tamen inclusum esse in Casu 14. Bull. Cœn. ait Bon. contra Reginal. 31. Provocantes, vel acceptantes duellum, etiam pugna non sequuta; Item quicumque quomodocunque se tali provocationi, acceptationi, aut duello immiscentes; item Domini quicumque permittentes duellum in suis Terris, Castris, &c. Clem. VIII. Illius vices. Ex usu tamen includuntur hi etiam in cas. 3. §. antecedentis: Bon. & alii, contra Lug. & alios. 32. Femine ingredientiæ Monasteria Regularium, prætextu, aut etiam sine prætextu facultatis Apostolicæ: Pius V. Deset Romanum. Excipe Reginas cum suo comitatu;*

vel

vel si comitentur SS. Sacramentum : 33. *Ingredientes Monasteria Monialium prætextu facultatis Apostolicæ. Paul. V. Monialium.* 34. *Moniales præsumentes admittere intra Clausuram, virum, aut mulierem prætextu facultatis Apostolicæ ingredientem: Greg. XIII. Ubi gratiæ.* 35. *Moniales exercentes è Clausura absque licentia concedenda tantum in certis causis: Pius V, Decret.* 36. *Regulares euntes ultra mare, sine licentia Superiorum: Extravag. Ad nostrum, de Regul.* 37. *Regulares Mendicantes transeuntes ad non Mendicantes (Excepto Ordine Carthus.) sine licentia suorum Superiorum. Extravag. Viam, de Regular.* 38. *Regulares recipientes aliquem è Soc. Jesu sine licentia Superiorum hujus, & ipsi de Societate sic ingredientes, hisque auxilium dantes. Pius V. Æquum.* 39. *Claustales recipientes Minimos sine licentia Papæ. Jul. II. Virute.* 40. *Minores recipientes talem Apostatam: Bonif, apud D. Antonin. 3. par. 41. Tertiarii, Eremitæ, &c. portantes habitum Minorum, Leo X. Licet.* 42. *Minimi subtrahentes se ad obedientiam Correctorum: Paul. V. Cum.* 43. *Minores tempore interdicti admittentes ad Divina Officia Fr. Tertii Ordinis: Clement. Cum ex eo, de Sentent. Excommun.* 44. *Minores de observantia subornantes in electionibus, vel procurantes favorem extra. ad officium obtinendum in Religione: Pius V. Pastoralis.* 45. *Idem appellantes ad Secularia Tribunalia, contemptis Superioribus suis: Greg. XIII. Quoniam.* 46. *Impugnantes Institutum Societat. Jesu, ejusque Constitutiones: Gregor. XIII. Ascendente.* 47. *Conficientes libellos famosos, vel aliam scripturam contra statum Ordinis Prædicatorum, vel Minorum: Alex. IV. Ex alto.* 48. *Extrahentes per se, vel per alium ex Bibliothecis Fr. Minorum de observantia libros, quinterna, folia, & res alias ibi existentes; eisque auxilium, vel opem præstantes: Sixt. V. Cum sicut.* 49. *Præsumentes amovere, vel subtrahere ex Bibliothecis Fr. Carmelit. libros, & monumenta, sive impressa, sive MS. ibi existentia: Clem. VIII. Quæ ad tuenda.* 50. *Extrahentes Reliquias ex Cæmeteriis, Cryptis, vel Catacumbis, intra, vel extra Urbem, existentibus: Paul. V. an. 1613.* 51. *Extrahentes frumentum, legumina, animalia, &c. è statu Ecclesiastico, & locis immediatis: Paul. V. Inter.* 52. *Diripientes animalia, & alia bona in statu Ecclesiastico, & illa ementes, permutantes, &*

recipientes: *Paul. V. Non sine.* 53. *Suadentes Papæ, ut*
infeudet loca Ecclesiæ Romanæ; Pius V. Admonet.
 54. *Eligentes potentia insignem in Senatorem Romanum,*
c. Fundamenta, de elect. in 6. 55. *Cipientes in servi-*
tute Christianos habitantes inter Turcas: Pius V. Licet.
 56. *Deferentes Alumina ex partibus Infidelibus ad Fide-*
les: Pius IV. Ex Apostolica. 57. *Accedentes ad Sepul-*
chrum Domini causa devotionis, absque licentia Papæ:
Ex libro Pœnitent. 58. *Episcopi, aliique Ordinarii ve-*
xantes per Censuras eos, qui pro suis negotiis, vel pro
servitio Papæ, & Curiæ Romæ commorantur Extrav. 9.
de Privileg. 59. *Episcopi, qui in suspensione conferunt*
Beneficium: Pius V. Quanta. 60. *Personæ Ecclesiasticæ*
trahentes aliam personam Ecclesiasticam, vel Collegium.
aut Conventum ad forum Laicale, pro causis spectantibus
ad forum Ecclesiasticum: Martin. V. Ad reprimendam.
 61. *Officiales Papæ (exceptis Cardinalibus) accipientes*
munera: præter comestibilia biduo consumptibilia; item
dantes, & recipientes: Paul. III. Munera. 62. *Officia-*
les Cameræ in contractibus Cameræ quomodolibet partici-
pantes: Paul. III. Alias. 63. *Commissarii, & Judices*
Sedis Apostolicæ, inferiores Episcopis, concedentes aliena-
tiones honorum Ecclesiasticorum fieri in detrimentum Ec-
clesiarum: item alii dolose, vel scienter id procurantes:
Paul. II. Cum in omnibus. 64. *Officiales S. Pœnitenti-*
ariæ expedites, aut concedentes sibi interdicta: Pius V.
In omnibus. 65. *Conspirantes in personam Summi Pon-*
tificis: Extrav. Et si, de Pœnit. & Remis. 66. *Ambien-*
tes Papatum, ejusque causa Simoniam committentes; item
tractantes de electione Summi Pontificis, vivente adhuc
Pontifice, eoque inconsulto: Paul. IV. Cum secundum.
 67. *Faciennes sponsones super vita, morte, aut futura*
electione Summi Pontificis, etiam sede vacante, aut su-
per promotione Cardinalium: Greg. XIV. Cogit nos.
 68. *Mittentes literas, scriptum, nuncium, notam, aut*
signum ad existentes in conclavi; & qui ibi recipiunt:
vel econtra: Pius IV. In elegendis. 69. *Occupantes ho-*
na Cardinalium in conclavi existentium: Concil. Con-
stans. sess. 41. 70. *Cardinales non servantes formam præ-*
scriptam in eligendo Summo Pontifice, aut præsumen-
tes aliquid facere, vel attentare contra Bull. Greg. XV.
Ætern. 71. *Cardinales non servantes statuta Julii II.,*
ut scilicet sine Simonia eligatur Papa; Jul. II. Cum
tam Divino. 72. *Cardinales revelantes gesta in con-*
sistorio

istorio secreto præcepta sub silentio servari: Leo X. Superna. 73. Invalentes armata manu domum Cardinalis, aut aliquid violenter, & hostiliter inde rapientes, aut aliquem ibi existentem vulnerantes; item mandantes, consulentes, aut ratihabentes: Leo X. Temerarium. 74. Fingentes se nepotes Cardinalium, ut expediant literas Apostolicas: Leo X. Inhærendo. 75. Non revelantes Papa, vel Ordinario conspiratores contra Cardinalem: Pius V. Infelicis. 76. Offendentes Magistratus Provinciæ Marchicæ Anconitanæ: Extrav. Dierum de Pœnis. 77. Præsumentes turbare, vel impedire, quæ statuta sunt pro Ecclesia Tolosana; Extrav. Salvator, de Præb. & dignit. 78. Falsificantes monetam Regis Franciæ: Extrav. Prodiens de Crim. 79. Parochi non adimplentes juramentum de residendo certo tempore in suis Parochiis: Pius IV. Inter. Verum hoc juramentum hodie non exigitur. 80. Domini temporales prohibentes subditis, ne aliquid vendant, neve ab eis emant, &c. c. final. de Immunit. Eccl. in 6., Verum, si hoc fiat per statutum, includitur in cas. 15. Bul. Cœn.; si secus, non reservatur: Bon. & alii. 81. Domini temporales bannientes personas Ecclesiasticas, Urb. VI. Quia sicut. Verum id hodie includitur in cas. 19. Bul. Cœn. 82. Legati, & gubernatores facientes aufugere, aut defendentes bannitos. Item persona Ecclesiastica hos receptantes in statu Ecclesiastico, vel in Regno Neapolitano: Pius V. Ex superna. Verum hæc excomm. jam sublata est à Sixt. V. Hoc nostri. * His addendæ sunt duæ excomm. nuper reservatæ à Benedict. XIV.; quarum I. est contra Laicos, qui majus stipendium pro missis celebrandis accipientes, eas minori stipendio celebrandas curent, ex Constit. Quanta cura. cit. in Tract. de Stipend. Miss. §. 3. II. contra Sacerdotes Sacramentaliter absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si adsit alius. ex Constitut. Sacramentum pœnitentiæ, cujus meminerimus infra cap. 2. §. 1. in expofit. 8. casus reservati hujus Diœcesis.

Excommunicationibus hisce reservatis ex Tract. de Censuris hic adjiciuntur à Collectore etiam aliquæ non reservatæ magis obviæ, quo tota hæc materia integratur hic sub Lectoris oculis ad ejusdem commodum vertitur * Sunt autem supra 60., quarum

I. Contra Gubernatores, & Judices non reddentes jus Ecclesiasticis ob negligentiam, vel animum iniquum, &c. Admi-

Administratores 23. q. 5. 2. Religiosos professos, qui diutius duobus mensibus absunt à suis Monasteriis ad audiendas leges, vel medicinam: c. Non magnopere, de Cler. vel Monach. 3. Sacerdotem, vel alium Clericum habentem officium Vicecomitis, aut Præpositi Secularis, qui admonitus non vult se emendare, c. Clericis ne Cler. vel Mon. 4. Ementes, vel quovis alio modo acquirentes rem Ecclesiasticam à Schismatico, vel recipientes beneficium ab illo, vel consentientes ordinationi ipsius, cap. 1. de Schismat. 5. Mittentes scripturam, vel nuncium alicui Cardinali in Conclavi existenti, ad Romani Pontificis electionem, vel cum eo secrete loquentes, cap. Ubi, de Elect. in 6. 6. Dominos, Rectores, aliosque Officiales, qui diligenter non observant, aut fraudem aliquam committunt in eis, quæ præcipiuntur observanda in morte Summi Pontificis in terra ipsorum, cap. Eodem. 7. Omnes, qui per se, vel per alios præsumpserint vexare personam Ecclesiasticam, vel alia loca pia, eo quod rogata noluerint, aut nolint eligere eum, pro quo ipsi rogarunt, aut induxerunt, cap. Sciant, de Elect. in 6. 8. Illos, qui usurpare conantes jus custodiendæ, & servandæ alicujus Ecclesiæ vacantis præsumunt capere aliqua bona illius, cap. Generali, ibidem. 9. Accersitum in directionem Monialium non temperantem à rebus, ex quibus nasci, vel ali potest discordia, cap. Indemnitatibus, ibidem. 10. Procurantes, quod Judices, Conservatores sibi dati, intromittant se ad alia, quam ad manifestas injurias, & violentias, & extendant potestatem ad ea, quæ judicalem exigunt discussionem, cap. Hoc, de Off. Jud. Deleg. in 6. 11. Illos, qui vi, aut metu consequuntur absolutionem, vel revocationem sententiæ excommunicationis, interdicti, vel suspensionis, cap. un. de his, quæ vi in 5. 12. Illum, qui fingit casum, vel fraudem aliquam facit, quo Judex ipse vadat ad accipiendum testimonium alicujus femine, cap. Mulieres, de Jud. in 6. 13. Illos, qui compellunt Ecclesiasticos, ut submittant Ecclesias, vel earum bona immobilia, aut jura laicis in casibus jure prohibitis. c. Hoc, de rebus Eccl. in 6. 14. Illos, qui statuunt novum Ordinem Religionis, aut accipiunt novum habitum illius, & Mendicantes, exceptis quatuor Ordinibus, qui recipiunt aliquem ad suum ordinem, cap. un. de Relig. Dom. in 6. sed hæc hodie non habet locum 15. Illos, qui per se, vel per alios suo nomine, vel alieno exigunt, ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. Ii per-

personis *pedagium*, pro personis . aut rebus, quas deferunt, vel deferri faciunt non causa negotiationis, cap. Quamquam, de Casibus in 6. 16. Dominos temporales prohibentes suis subditis vendere sua Clericis, aut prestare officia, cap. final. de Immunit. Eccles. in 6. 17. Religiosos temere habitum relinquentes, & dimittentes, & Doctores, seu Magistros, qui Religioso habitu dimisso, Leges, vel Physicam audientes scienter docere, aut in Scholis retinere præsumunt, cap. ult. Ne Cler. vel Mon. 18. Præsumentes tradere Ecclesiasticæ sepultura Hæreticos, eisve credentes, receptatores, defensores, vel fautores, cap. Quicumque, de Hær. in 6. 19. Potestates temporales, vel earum officiales cognoscentes, vel iudicantes de crimine hæresis, vel absque Diacesani, aut Inquisitionis licentia liberantes à carcere captos pro eodem crimine, vel eorum executionem non implentes, vel directe, aut indirecte eorum sententiam, aut processum impediunt, eisque scienter dantes consilium, auxilium, vel favorem, cap. Ut de Hær. in 6. 20. Clericos non Episcopos permittentes in suis terris usurarios publicos alienigenas, vel eos ex illis non expellentes, vel locantes illis, aut alio prætextu concedentes domos ad usuras exercendas, cap. Usur. de Usur. in 6. 21. Illos, qui impediunt capientes fructus beneficii, vel infringunt sequestrum super beneficio ab Ordinario factum, ob latam in Curia Romana unam sententiam definitivam super possessione, vel proprietate ejusdem, Clem. un. de Sequest. 22. Sepelientes aliquem in loco sacro interdicto in casibus à jure non permisis, aut interdictum nominatim, aut excommunicatum publicum, aut usurarium manifestum, Clem. I. de Sepult. 23. Religiosos, qui non habentes beneficium, nec administrationem sibi appropriant decimas, &c. Clem. Religiosi, de Decimis. 24. Religiosos simplices, qui petunt aulas Principum animo nocendi suis Prælati, aut Monasteriis, Clem. Ne in agro, de Stat. Monach. 25. Monachos, qui sine facultate Abbatum habent arma intra claustra Monasteriorum, ibidem. 26. Illos, qui præsumunt impedire Visitatores Monialium in eo, quod statuitur à Concilio, si à Visitoribus admoniti non cessant, Clem. Attendentes, de statu Monach. 27. Eos, qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis jure Canonico interdictis, aut cum Monialibus matrimonia contrahunt; nec non Religiosos, Moniales, Clericos in Sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, Clem. I. de Con-

Confang. 28. Inquisitores, & Commissarios eorum, aut
 Episcopi, aut Capituli Sede vacante, qui pretextu sui
 officii illicite sumunt pecuniam aliquam, & qui scienter con-
 fiscant bona Ecclesiastica. Clem. Nolentes, de Hæret. 29.
 Officiales Civitatum facientes, scribentes, vel dictantes
 statuta, ut solvantur usuræ, vel quod solutæ non possint
 repeti, & eos, qui judicant, usuras esse solvendas, aut
 non esse repetendas solutas, & qui ad id potestatem ha-
 bentes non eradunt è libris talia statuta, Clem. I. de
 Usuris 30. Religiosos, qui concionantur, vel alias dicunt
 aliquid ad avertendos audientes à solvendis decimis debi-
 tis Ecclesiæ; & illos, qui de industria nullum conscien-
 tiæ scrupulum incutiunt in confessione pœnitentibus de solu-
 tione decimarum, Clem. Cupientes, de Pœnis. 41. Re-
 ligiosos non servantes interdictum, vel cessationem à Divi-
 nis, quam servat Ecclesia Cathedralis, vel Matrix, vel
 Parochialis oppidi, Clem. I. de Sent. Excommun. 32. Im-
 primentes, imprimi mandantes, vendentes, apud se reti-
 nentes libros de rebus sacris, sine nomine Auctoris, & sine
 approbatione, Trid. sess. 4. 33. Prædicantes, docentes,
 aut pertinaciter asserentes, non esse necessariam confes-
 sionem Sacramentalem habita copia Confessionis ante Commu-
 nionem his, quos conscientia peccati mortalis gravat, etiamsi
 contriti accedant, sess. 13. can. 11. 34. Raptores mulierum,
 ac illis consilium, auxilium, favorem, præbentes, sess. 24.
 c. 6. 35. Illos, qui subditos suos, vel quoscunque alios
 cogunt minus libere matrimonia contrahere, sess. 24. c. 9.
 36. Magistratus seculares, qui non præbent auxilium in-
 vocatum ab Episcopis ad restituendam, vel conservandam
 Clausuram Monialium, sess. 25. c. 5. 37. Illos, qui co-
 gunt aliquam feminam, præterquam in casibus à jure
 expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipien-
 dum habitum Religionis, vel ad Professionem; quique
 consilium, auxilium, favorem in id dederint, vel præ-
 sentes ei actui scienter fuerint, ibid. 38. Illos, qui
 sanctarum Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli
 accipiendi, vel profitendi quoquo modo sine justa causa im-
 pedierint, ibid. 39. Negantes matrimonia clandestina
 ante Trident. celebrata valida fuisse, aut post illud, ma-
 trimonium à filiis familias inconsulto patre celebratum va-
 lidum esse, sess. 24. c. 1. 40. Eos, qui ausi fuerint im-
 pugnare litteras Apostolicas concessas à Papa non coronato:
 Extrav. ult. de Sent. Excommun. 41. Legentes, retinen-
 tes libros, scripta, opera, &c. Astrologiæ judicariæ,

divinationum futurorum liberorum, vel artis magicæ: Index libr. prohib. 42. Præsumentes edere glossas, commentarios, adnotationes in Decr. Trid. Pius IV. Benedictus. 13. 43. Commentantes Clem. Exivi, de V. S. ibid. 44. Eos, qui ob quæstum publicant, vel concedunt Indulgentias, & facultates absolvendi à Casibus reservatis: Pius V. Quam plenum. 45. Omnes, qui recipiunt, seu nutriunt Apostatas Religiosos, aut auxilium, consilium, vel favorem præstant, ne redeant ad suum Monasterium: Paul. IV. Postquam. 14. 46. Nuntios Apostolicos, & alios ex quavis causa missos ad Imperatorem, Reges, Duces, aliosque Principes, impetrantes ab ipsis literas, aut favores vocales ad dignitates obtinendas: Sixt. IV. Etli 47. Vexantes Inquisitores, aliosve S. Officii Ministros: Pius V. Si de 82. 48. Impugnantes in concionibus, aut disputationibus Montem Pietatis: Leo X. Inter 14. 49. Eos, qui in Civitate diversarum linguarum, & rituum manus administrandi suscipiunt sine consensu Episcopi, cap. Quoniam de Offic. Jud. Ord. 50. Sacerdotes, aliosque Clericos, dignitatem, aut personatum habentes, qui legibus, aut physicæ operam navant, nisi ab his infra spatium duorum mensium destiterint, cap. Super 1. 51. Clericos interessentes agitationi Taurorum, & ferarum: Pius V. De Salute 48. 52. Fictè resignantes, vel permutantes beneficia: Inn. VIII. Sicut. 53. Alienantes bona Ecclesiæ, aut retinentes sine justa causa, & solemnitate, ac consensu Summi Pontificis, Extrav. Ambitiosa, de Reb. Eccl. 54. Mendicantes recipientes novas domos, vel alienantes jam receptas sine licentia Papæ, Clem. Cupientes, de Pœnis. 55. Violantes exemptionem Ordinum Mendicantium pro eorum personis, bonis, colonis, mercibus, & animalibus à solutione gabellarum, & quarumcunque contributionum, & onere hospitandi milites: Pius V. Dum 11. 56. Doctores Universitatum, Gymnasiorum, & alios facultatem Doctorandi habentes, si patiantur aliquem ad Cathedras, vel ad gradum aliquem promoveri, non facta Fidei professione: Pius IV. In sacrosancta. 57. Deferentes, vel deferri concedentes in statu Ecclesiastico arma brevioris mensuræ trium palmorum: Pius V. Cum vices 143. 58. Mandantes Christianum aliquem interfici per assassinos, etiam morte non sequuta; & extenditur ad eos, qui receptaverint, defenderint, occultaverint tales assassinos, & un. De Injur. in 6. 59. Concedentes repræfalias adversus personas Ecclesiasticas, vel extendentes concessas, Eodem cap.

cap. 60. *Magistratus, & Officiales non obedientes Cardinalibus Congregationis S.S. Inquisitionis: Pius V. Sanctissimus* 1. 61. *Officiales intromittentes se in causis interdictis à Pio IV. Univerſi* 54. & *Superne* 83. &c.

C A P U T II.

De casibus reservatis Episcopis.

CASUS Episcopales, alii sunt à jure, vel consuetudine, ex dictis q. præc. c. 3. §. 2. alii, quos ipsi Episcopi sibi reservant, & exponere solent in suis agendis, seu tabellis, quæ proinde aliæ alibi sunt, & propriæ cujuscunque Diœcesis, manetque earum reservatio etiam mortuo Episcopo, nisi Successor revocaverit, quia sunt per modum statuti perpetui, ut notat Chapeavil. pag. 1. c. 5. Si autem Episcopus alium sibi casum reservat per modum mandati, cessat talis reservatio mortuo Episcopo, ut habet Pasqual. decis. 495. Porro casus in nostra tabella Neapolitana nunc sunt 23. quorum 16. habent adnexam excommun. ipso facto; 7. sunt absque excommun, sed postremo adnexum est interdictum ipso facto. De singulis hic agam, adjectis cuilibet casui aliquibus notis, ex quibus facile etiam cuique fiet alios aliarum Diœcesum casus expendere.

§. I.

De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus adnexa est Excommunicatio ipso facto.

I. *Omnes utriusque sexus, & cujusvis status, aut dignitatis personæ, quæ Hæreticorum cujuscunque sectæ cœtus adeunt, in quibus conciones, & catechismi, aut quicumque eorum ritus, præsertim à S. Catholica Romana Ecclesia damnati exercentur, quoties hujusmodi exercitiis, quovis prætextu, & occasione, etiam simplicis curiositatis assistunt.*

Nota primo: *Cœtus.* Ad cœtum constituendum non sufficit una, aut altera persona, sed tres ad minimum requiruntur, quia in jure cœtus collegium significat,

ut interpretatur Glossa in Clement. *Ne Romani, de electi.* Ad collegium autem tres saltem personæ requiruntur, *l. Neratius, ff. de ver. signif.* Secundo *Adeunt &c.* Qui è domo sua hæreticorum conciones audit, vel eorum ritus adspicit, juxta quorundam opinionem non incurrit hanc reservationem, ad quam requiri videtur tum accessus, tum assistentia: Ita in casu simili docent Dian. Pelliz. & alii. Sed Pasqual. Quart. aliique probabilius oppositum docent, quia assistentia principaliter prohibetur. Quod, si quis adeat cœtum hæreticorum; sed eorum ritibus non assistat, distinguendum est; vel enim adit non animo assistendi, sed solum comitandi herum, & non peccat remoto scandalo, & contemptu, ac proinde hanc reservationem non incurrit; vel adit animo assistendi, licet postea mutata voluntate non assistat, & peccat mortaliter, incurritque excommunicationem Synodalem, quia Synodus disjunctive prohibet sub excommunicatione reservata, tam accessum, quam assistentiam, sed non incurrit reservationem, quia Confessarii omnes absolvere possunt ab omnibus casibus, & censuris à Synodo reservatis, præter eos, qui in tabella proponuntur: in tabella autem fertur excommunicatio reservata contra eos, qui adeunt cœtus hæreticorum, quoties illorum ritibus assistunt. Ubi advertite, quod non censetur assistere, qui assistit mere materialiter, quia nimirum ob ignorantiam idiomatis nihil percipit: ita sentire videntur Merol. Pelliz. Sanch. aliique docentes, non incurri excommunicationem à legente librum ob hæresim prohibitum conscriptum ideomate sibi ignoto. Tertio *Præsertim.* Particula hæc, utpote implicativa, denotat, incurri hanc excommunicationem, licet ritus non sint expresse ab Ecclesia damnati, dummodo sint ritus hæretici; nam, si sint communes cum Catholicis, illis adesse non est prohibitum præciso scandalo, &c.

II. *Omnes personæ utriusque sexus, quæ vel per se, vel per alium, S.S. Altaris Sacramento, Chrismate, Oleo Sancto, sive quacunque alia re consecrata, ad Veneficia, Divinationes, Sortilegia, aut ad alium usum, quam fuerint ordinata, vel instituta, quomodolibet abutantur: omnesque utriusque sexus, qui de prædictis ad prædictos fines aliquid sumpserint, vel alicui dederint, aut datum acceperint, etiam abusu minime subsecuto.*

Nota

Nota primo : *Sive quacunq̄ue alia re consecrata.* Nominē rei in p̄enalibus non venit locus , aut persona : *arg. l. Inspiciendum , ff. de Furtis ;* qui ergo abutitur Ecclesia , vel Sacerdote , non incurrit hunc casum , Jan. r. 19. nec nomine rei consecratæ venit res quomodocunq̄ue sacra , aut benedicta ; ut sunt Biblia , Missales , Imagines , & Reliquiæ SS. Incensum , Candelæ , Rami , Cineres , Aqua Lustralis , &c. Veniunt autem , non solum res Sacro Chrismate inunctæ , ut sunt Lapis Altaris , Calix , Patena , Agnus Dei , Aqua Baptismalis , Campanæ , &c. verum etiam contra Januar. r. 18. veniunt res omnes , quæ SS. Eucharistiam immediate contingunt , ut sunt Pixides , Ciboria , Sphærolæ , seu Lunulæ , Corporalia , Purificatoria , Pallæ , &c. utpote quæ ex contactu Eucharistiæ communiter dicuntur consecratæ , ut not. Tamb. l. i. *Method. Celebr. Miss.* c. 2. Non autem veniunt ea , quæ nec Eucharistiam immediate tangunt , nec Chrismate inunguntur ; ut sunt Mappæ Altaris , Vestes Sacerdotales , &c. Secundo , *Aut ad alium usum , quam fuerint ordinata :* Puta , si abutaris re consecrata ad usus sordidos , aut profanos , aut alios graviter peccaminosos contra ejus institutionem . Si autem abutaris Chrismate loco Olei Sancti ad Extremam Unctionem , peccas quidem , sed non incurris hunc casum ; quia probabile apud Doctores est , id fieri valide , adeoque juxta institutionem . Idem ait Januar. si utaris Eucharistia ad tui defensionem , devotionem , &c. quia non est contra ejus institutionem . Idem , si abutaris fragmento Lapidis , aut Calicis jam fracti , aut frustulo Corporalis jam dilacerati , &c. quia amiserunt jam consecrationem , quamvis ex prava intentione abutaris his frustulis tanquam consecratis : Jan. r. 17. Incurris vero , si aliquid frangas ad abusum . Tertio , *Qui de præditis , &c.* Si des ad abutendum , & accipiens id non intendat , tu solus incurris ; & similiter vice versa . Si ex eodem fine des licentiam , ut alius accipiat , vere diceris dare ; secus vero , si des tantum consilium , auxilium , aut mandatum . Si quis furetur ad abutendum , non incurrit , nisi abutatur ; quia revera non *Datum accipit.* At ad verificandum , quod quis abutatur , satis est , si per *Alium* etiam abutatur , scilicet mandato : non vero tantum consilio : *Dicast. d. i. de Censur.* num. 229.

III. *Omnes utriusque sexus Personæ, quæ dæmonibus spondent obsequium, thus, & sacrificia offerunt, quamvis absque errore intellectus. Insuper quicumque, sive suo, sive alterius nomine, condunt, aut condere faciunt imagines, annulos, aut quodvis aliud artefactum, in quo dæmonem constringant.*

Nota primo: *Qui dæmoni spondent, &c.* etiam si obsequium non sit secutum, sed sola promissio externa facta sit de obsequio præstando; licet putes, hoc ei non deberi; quia actus ille externus adhuc conjungitur cum mortali interno, à quo procedit. Si autem actu tantum interno spondeas, non incurris, quia actus mere interni nec reservantur, nec subjacent censuris. Secundo *Insuper, &c.* Si fimules, te condere tales imagines, annulos, &c. & ita des alteri, peccas quidem graviter, sed non incurris hunc casum; quia vere non condis. Neque incurris, si mandes condi, & non condantur.

IV. *Venefici, & Veneficæ omnes, Necromantes, Divinatores, Sortilegi, Lamicæ, Striges, sive quovis alio nomine nuncupentur, ex utroque sexu, qui cum expressa dæmonis invocatione ad captandam dilectionem, vel odium concitandum, sive ad inveniendos thesauros, aut ad alium finem quemcumque utuntur incantationibus, aliisque maleficiis, sive etiam ligaturis, ut à naturali, & legitimo matrimonii usu conjuges avertant; aut scienter in præfatis cooperantes, aut quovis modo consentientes. Declaramus autem ex prædictis criminibus, in supradictis II. III. & IV. Casibus contentis, excommunicationem Nobis reservatam ipso facto incurrere non solum eos, qui sæpe, & ex arte hujusmodi criminibus operam dant, sed etiam eos, qui quomodocumque, etiam semel, ea perpetraverint.*

Nota primo: *Cum expressa, &c.* Dicitur expressa dæmonis invocatio, sive fiat verbis expressis, sive ipso met facto, cum scilicet sciens dæmonem alligatum alicui signo, hoc uteris spe finis per eum consequendi: econtra dicitur tacita tantum invocatio, cum mediis de se ineptis (puta sortibus, cabalis, somniis, avium volatu, extis animalium, &c. utaris ad divinandum, aliudve obtinendum, etsi in his nec implores opem dæmonis, nec aliquid ab eo speres, nec de illo cogites; tacite enim se immiscet tuæ vanæ credulitati, & fiduciæ in tale medium ineptum: Sanch. l. 2. Decal. c. 38. n. 3. Priori tantum modo incurritur hic casus, posito usu in-

can-

cantationis ad quemcunque finem, etiam sine intento non secuto. Secundo: *Ac scienter, &c.* Incurrunt cooperantes, sive mandato, sive consilio, auxilio, favore, pecunia, &c. item quovis modo consentientes, nisi excuset ignorantia etiam crassa, & supina. Item, qui utitur v. g. annulo, cui alligatus est dæmon, licet à se non condito, quia utitur jam incantationibus: at, si illum ab alio accepit, emit, aut etiam retinet, si tamen neque utitur, neque promittit dæmoni, se eo usurum, non incurrit præsentem casum; imo neque antecedentem, quia neque condit, aut condere facit, neque spondet dæmoni obsequium: at incurreret, si tantum promitteret, se usurum, quia talis usus est species quædam obsequii: Quarti.

V. *Loquentes sine Nostra, vel Vicarii nostri Monialium licentia cum Monialibus, in Monasteriis etiam exemptis, vel cum aliqua, aut aliquibus earum, etiamsi sit Conversa, aut Novitia, sive educationis, sive alterius rei causa ibidem commoretur: conjunctis in primo, vel secundo consanguinitatis gradu dumtaxat exceptis. Declarantes, quod, qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua prædictarum, non possit data opera, & ex professo cum aliis loqui.*

Insuper ii præsertim, qui cum aliqua ex prædictis, aut eorum ipsis, tam in Monasteriis, quam in Conservatoriis, seu Collegiis commorantibus, de rebus obscænis, per verba, aut actus impudicos, præsentibus egerint, absentes vero per literas, aut internuncios. Necnon viri, aut mulieres, sive intra, sive extra, Monasterii, vel Conservatorii, aut Collegii claustra, ac septa, qui prædictas literas, vel mandata detulerint.

Nota primo: *Loquentes*: Qui loquitur cum Moniali nihil respondente, incurrit hanc excommunicationem; similiter incurrit, qui è domo sua loquitur cum Moniali: incurrit etiam, quamvis locutio cæteroqui licita foret; quia hæc sub gravi prohiberi potest ob finem gravem, nimirum, ne moniales à studio orationis, divinoque servitio avertantur. Qui loquitur per nutus, aut signa (modo non sint obscæna) Pelliz. Dian. Tambur. & alii probabiliter negant, incurrere. quia proprie non loquitur; sed probabilius affirmant Graf. Januar. Bauc. Quart. & alii, quia perinde est signis, ac verbis suos conceptus alteri manifestare. Idem dicit Graf. si loquatur

per interpretem, internuncium, aut literas; sed hoc melius negant Dian. Januar. Quart. & alii, quia sic non loquitur immediate cum moniali; & à fortiori, si loquantur idiomate ei ignoto. Excusat ab hoc casu primo Necessitas, sicut eadem excusat à locutione cum excommunicato vitando, juxta Reg. illam: *Non veniunt sub prohibitione, quæ quis non esset verosimiliter prohibiturus, si in specie exprimerentur*: Hinc Dian. Lezan. Januar. Peyr. Bord. & alii apud Pelliz. c. 10. n. 277. inferunt, neque Religiosum subjacere ullis pœnis, si loquatur de rebus pertinentibus ad Pietatem, Conscientiam, &c. quia S. Congr. non videtur comprehendere casum Pietatis, & Charitatis, sed casus Urbanitatis, Negotii Secularis, &c. quare etiam posset ex causa pia eo mitti ab Ordinario, ut infert Pelliz. monet tamen Dian. p. 5. tr. 12. r. 96. hæc in praxim non facile deducenda, cum jura contra Religiosos loquantur indefinite. Excusat secundo Parvitas materiæ: puta si locutio fiat per unum Miserere, & aliquid amplius, juxta Dian.; vel etiam per unum quadrantem, ut addunt Verricel. Quart. & alii, quamvis hoc non judicat consulendum Tambur. *de Cas. Reserv.* cap. 6. num. 14. At quoad Religiosos Sac. Cong. cit. prohibuit quodvis modicum tempus. Cæterum monet Januar. tales locutiunculas non debere esse frequentes, nec sine necessitate; quia secus etiam adversarentur fini legis, qui est, ut monialis expeditius Deo vacet, ex cap. un. *de Stat. Reg. in 6.* & ideo personis etiam honestis locutio est prohibita, ut ait Gloss. Secundo: *Sine nostra, &c.* Femine ex consuetudine non videntur indigere licentia: Januar. r. 14. n. 15. & ita declaratum in Syn. Neapol. testatur Bauc. Similiter neque indigent Episcopi, tum quia præsumuntur habere licentiam, tum quia lex non ligat æqualem, ex cap. *Cum Inferior de Major. & Obed.* Neque Pauperes, & publice quæstuantes, quia pariter est tacita licentia ex usu, & praxi: Pelliz. *de Monialib.* cap. 5. Neque famuli deferentes dona, brevique se expedites: Pelliz. ib. Neque qui 14. annum nondum expleverint, ut expresse habetur in fine Tabellæ. Neque demum, qui gravi metu compulsi sunt ad loquendum, quia Lex Ecclesiastica non obligat cum tanto onere: Doctores communiter. Religiosi peccant quidem contra jus commune, si absque debita licentia Ordinarii loci (à quo illis concedi potest per quatuor vices ad summum quolibet anno, modo

modo sint conjuncti in primo, & secundo gradu consanguinitatis tantum, ex Decret. Sacr. Congregat. jussu Urban. VIII. ann. 1623.) loquantur, vel tractent cum monialibus, sive sui, sive alterius ordinis, aut (occasione Concionis, vel Missæ) cum qualibet alia persona intra Clausuram degente; & incurrunt ipso facto privationem officiorum, vocisque activæ, & passivæ, ex Decret. Sacr. Congr. jussu Sixt. V. an. 1590. Putant tamen Pal. Vivald. & alii, eos peccare tantum venialiter secluso scandalo, periculo, &c. quia lex fundata in præsumptione non habet locum in foro conscientiæ, quando veritas est in contrarium, ex cap. *Tua nos*, 26. de *Sponsal.* Sed oppositum est commune; quia hæc lex non fundatur in præsumptione, sed in periculo, quod semper adest: hinc Sacr. Congregat. ann. 1626. declaravit, esse mortale; & cum aliqui Religiosi putarent, non esse mortale loqui per unum quadrantem cum dimidio, eadem Congregat. ann. 1669. declaravit, eos peccare mortaliter loquendo etiam per quodcumque modicum spatium temporis; eosdemque accedentes ad Monasteria, quamvis exempta, posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, coerceri pœna excommunicationis: quam declarationem Clem. IX. approbavit, & typis dari, ac observari jussit: v. Pignat. t. 6. consult. 85. n. 53. Hinc recte in Synod. Neapol. Pignat. pag. 189. §. 14. dicitur, incurri hanc excommun. à Regularibus, præsertim ex declarat. S. Congr. approbata à Clem. IX. apud Synod. Cantelm. pag. 267. Peregrini (qui scilicet in hac Diœcesi non habent domicilium, nec quasi domicilium, sed alibi) peccant etiam contra jus commune, si sine licentia loquantur cum Monialibus, ex cap. *Periculoso*, de *Statut. Regul. in 6.*; & si frequentent, excommunicari possunt ab hoc Ordinario, si sint Laici; suspendi ab Officio, si sint Clerici, ex cap. *Monasteria de vit. & honest. Cl.* An autem incurrant hunc casum, & excommunicationem, dubitant Doctores: Affirmant Merolla, & alii putantes, Peregrinos teneri legibus loci, ubi per transitum morantur. quam sententiam Januar. r. 34. approbat solum, si peregrini accedant ad Monasteria exempta, cum relate ad hæc Episcopus procedat, ut Sedis Apostolicæ Delegatus: sed negant absolute Dian. p. 5. t. 2. r. 48. Pelliz. & alii: quia nec peregrini tenentur legibus loci, ubi per transitum reperiuntur, ex Sanch. & aliis, nec De-

legatio

legatio Sedis Apostolicæ à Trid. facta est Episcopo, nisi in ordine ad restrictionem, & conservationem Clausuræ, ad quam non pertinet simplex locutio. Illud est certum, posse ab Episcopo, si frequentent, excommunicari; & si semel accedant, posse carcerari, & puniri. Tertio, *Cum Monialibus*. Nomine Monialium in odiosis non venit Abbatisa, aut Priorissa: Pell. c. 5. n. 208. etsi præsens casus comprehendat Novitias Conversas, & quascunque in Monasteriis commorantes, nec venit Monialis existens extra Monasterium: Doctores communiter. Quarto. *In Monasteriis etiam exemptis*. Nomine Monasterii non veniunt Conservatoria; extenditur autem casus Episcopalis etiam ad Monasteria exempta, vel quia Episcopus procedit, ut Delegatus Sedis Apostolicæ, ut vult Hugol. vel quia procedit contra loquentes, ut Bonac. vel melius, quia ea non sunt exempta ratione loci, sed ratione monialium exemptarum, ut docet Suar. ideoque etiam ibi incurritur casus à loquentibus: uti incurritur quilibet alius casus Episcopalis à committentibus illum intra Clausura Regularium hujus Diocesis. Quinto: *Declarantes, &c.* Qui habent facultatem, sive specialem, sive communem, ut consanguinei in primo, & secundo gradu, incurrunt hunc casum, si data opera, & ex professo loquantur cum aliis ibi commorantibus: secus vero, si id fiat per accidens, urbanitatis causa, & verbis compendiosis, ita ut excuset parvitas materiæ; vel si illæ sint auscultatrices, quæ ex munere debent interesse: Pelliz. n. 219. sicuti etiam Socius Religiosi loquentis ex licentia cum Moniali potest cum ea pariter loqui ob regulam connexorum: Peyr. Rodr. Ricc. Pelliz. cap. 10. n. 20. contra Delben. Sexto, *Insuper ii, &c.* Incurrunt hunc casum etiam feminæ, quia nequit in hoc esse consuetudo in contrarium: Tamb. *de Cas. Res.* cap. 6. n. 6. & n. 30. Non tamen incurrunt ipsæ Moniales, aliæve degentes intra Monasterium, si obscène loquantur cum existentibus extra; quia neque hic, neque antecedens casus loquitur de commorantibus intra relate ad existentes extra. At, si una earum turpiter agat, vel loquatur cum alia intra idem Monasterium, Tamb. n. 29. ait, incurrere, quia *ly ii* denotat omnes loquentes obscène cum aliqua in Monasterio existente; sed probabile est, tantum referri ad omnes existentes extra; ideoque non incurrere, nisi forte turpiter agat, vel loquatur cum alia in alio Monasterio existente.

Incur.

Incurrunt hunc casum etiam confanguinei in primo, vel secundo gradu, & qui habent licentiam loquendi, & qui loquuntur cum Abbatissa, si agant de obscœnis; quia licentia non potest ad hoc extendi: Doctores communiter: idemque est, si coram illa fiant à te verba, actus, aut signa quæcunque obscœna cum quovis alio: vel si loquaris de aliorum actibus, aut moribus obscœnis: Tamb. num. 21. Idemque est, si ad eam mittas literas, aut nuncium de obscœnis, sive tecum, sive cum aliis, sive ut mediet inter alios; modo literæ, aut nuncius ad illam pervenerint, & intelligantur; quia secus non haberetur actus consummatus in sua specie, in qua est hic prohibitus. Neque in hoc casu datur parvitas materiæ, etiam si duo. vel tria tantum verba obscœna dicas, agas, scribas, mittas &c., quia ratione qualitatis semper habetur materia gravis: Verricell. & alii, quidquid dixerit Bordon. Cæterum non incurris hunc casum, si cum obscœna intentione loquaris de aliis rebus etiam malis in alia specie, dummodo aliquo signo non ostendas animum obscœnum. In dubio autem mitior interpretatio fieri poterit. Septimo; *Necnon viri, &c.* Incurrunt hunc casum etiam Moniales deferentes literas, vel mandata obscœna ab aliqua persona externa ad personam existentem in Monasterio, modo sciant, vel graviter suspicentur agi de obscœnis. Qui vero sive intra, sive extra Monasterium existens scienter accepit has literas, vel mandatum cum animo deferendi, si tamen non detulit, peccavit quidem, sed non incurrit hunc casum; sicuti neque, qui mandatum, aut literas dedit; quia nondum habetur actus consummatus in sua specie, in qua est vetitus.

VI. *Omnes in causa criminali, aut civili cum gravi damno alterius falsum deponentes, aut deponendum curantes, necnon inducentes ad falsum deponendum, falsisque testibus, depositionibus, instrumentis, scripturis tam publicis, quam privatis, quomodocunque utentes, directe, vel indirecte, in quavis Curia Civitatis, & Diœcesis Neapolitanæ. Item quicumque falsum aliquod impedimentum matrimonii dolose objecerint; necnon consilium, vel auxilium ad illud dolose objiciendum dantes. Falsificantes, etiam cum gravi damno alterius, vel corrumpentes, falso, aut quæ falsum continent, conficientes Apochas, Syngraphas, vulgo Fede di credito, o Polize notate in fede, sive Instrumenta, Processus, aut Scripturas publicas, & authen-*

authenticas, aut scienter his utentes, necnon mandantes, aut cooperantes.

Similiter præsentantes falsum, fictum, aut fiduciarum Patrimonium, aut quomodolibet fraudulentum pro Ordinibus suscipiendis, etiam pro prima Clericali Tonsura: necnon constituentes, consulentes, aut quomodolibet concurrentes, sive cooperantes. Declaramus autem, quod Clerici præsentantes, quando ab excommunicatione absolvuntur, remanent ab exercitio susceptorum Ordinum suspensi: quam suspensionem nullus, nisi Nos personaliter, constitutoreali Patrimonio, & causa discussa, relaxare valeat.

Præter hos, Actuarii, Subactuarii, Notarii, Scribae, qui cum alterius Partis offensione, aut cum Reipublicæ, aut legalis justitiæ detrimento, dolose auctam, vel diminutam informationem capiunt, & sic dicta Testium scribunt, ac Nuncii, Cursores, aut alias nuncupati, qui in grave tertii præjudicium falsum in acta referunt.

Nota primo: Cum gravi damno, &c. Hæc conditio requiritur in omnibus actionibus hic prohibitis, præterquam in secunda, & quarta parte. Damnum autem grave non est, quodcunque sufficit ad mortale, sed quod ascendit ad valorem 50. aureorum ordinarie; & si illatum sit pauperi, sufficit 10. aureorum. Ratio est, quia voluntas Principis semper præsumitur talis, qualis est intentio juris *l. ex facto, de vulg., & pupill. instit.* & intentio juris pro hac Diœcesi Neapolitana est, ut non publicetur excommunicatio, nisi pro 50. aureis ordinarie, & in pauperibus saltem pro 10. Januar. Bauc. Quarti, & alii. Secundo, Deponentes, &c. Depositio fit, Primo, Accusatione: Secundo, Denunciatione, non tamen Evangelica, sed vel Canonica, vel Judiciali: Tertio, Testificatione jurata: Quarto, Probabilius confessione rei. Si reus ad vitanda tormenta falsum crimen confiteatur, quæstio est, an peccet graviter, si sibi soli noceat; si autem alteri noceat, peccat, & incurrit hanc excommunicationem: si reus solum taceat veritatem, quando tenetur fateri, licet peccet, non incurrit excommunicationem, quia non deponit falsum. Idem dicitur, quando utitur æquivocatione. Si mentitur, quando tenetur fateri verum, incurrit excommunicationem posito damno tertii, ubi hoc requiritur; quando vero non tenetur fateri, non incurrit; quia mendacium illud est de se leve, licet sit grave peccatum; excommunicatio enim fertur ob depositionem falsam de se mortalem, Si

Si testis legitime interrogatus dicat, se nescire, quod scit, peccat contra justitiam legalem, & religionem, non contra justitiam commutativam, ideoque non incurrit excommunicationem, & damnum tertii non sequitur vi illius mendacii positive, sed negative. Tertio, *Inducentes, &c.* Qui inducit ad deponendum verum à deponente ignoratum, peccat quidem, sed non incurrit excommunicationem. Qui vero inducit ad deponendum falsum, quod à deponente verum putatur, ut assequatur, quod sibi non debetur, peccat, & incurrit excommunicationem. Probabilius etiam peccat, qui inducit ad deponendam aliquam circumstantiam falsam, ut assequatur, quod suum est, & incurrit excommunicationem, quando non requiritur damnum tertii. Quarto, *Scripturis, &c.* Si falsificetur scriptura, quæ tamen vera contineat quoad substantiam, nec alteri damnum injuste inferat, non solum non incurritur casus, quando non requiritur damnum tertii; verum etiam, si scriptura sit privata, puta apocha, &c., probabiliter non excedit veniale; quia non potest dici falsum, quod innititur primordio veritatis, ex *L. cum filius, ff. de Legat. 2.* Si vero scriptura sit publica, communius est mortale, quia maxime interest Reipublicæ, ne fides publica alio modo minuatur, aut in dubium declinet: *Dian. p. 3. t. 6. num. 56. cum communi, contra Jul. Clar. Menoch. & alios: idemque est, si eam scripturam ab alio jam confectam producas, quia semper fit contra justitiam legalem, & bonum Reipublicæ: Dian. p. 9. t. 8. r. 61., Layman. Lug. Jan. r. 59. & alii contra Sa in secunda editione correctum, & Baucium in Singul. cas. consc. cas. 53.*

VII. *Confessarii omnes, etiam Parochi, ad inhonestam personam quamcunque, sive in actu confessionis, sive ante, vel post immediate, aut prætextu, vel occasione confessionis, etiam confessione non secuta, vel extra confessionem in confessionibus, sollicitantes, aut quomodolibet cum iisdem impudice tractantes. Respectu Regularium vero censuram suspensionis ab audiendis confessionibus, quam ipso facto incurrunt, Nobis tantummodo reservamus.*

Nota primo, *Confessarii.* Non comprehenditur simplex Sacerdos fingens se Confessarium: qui tamen est denunciandus, juxta dicta q. 2. c. 4. Secundo, *In Confessionalibus:* licet non fiat vera, aut simulata confessio, ut constat ex Synodo. Tertio; *Sollicitantes:* in iis fere omnibus casibus, in quibus sunt denunciandi. Quarto, *Aut*
quomo-

quomodolibet; nimirum per quælibet verba, aut signa ad venerem ordinata. Quinto, *Censuram suspensionis*: hoc est non meram negationem approbationis, sed veram censuram, quæ in hoc casu fertur ab Episcopo, tanquam à delegato Pontificis.

VIII. *Pariter Confessarii omnes, etiam Parochi, attentantes prædictas personas, & quascunque alias, cum quibus extra antedictos casus, quomodolibet impudice versati fuerint, à peccatis, quorum ipsi complices sint, nulliter absolvere: qui omnes, etiam Regulares, etiam in Censuram suspensionis ab audiendis confessionibus ipso facto incidunt, Nobis tantummodo reservatam.*

Nota primo, *Nulliter absolvere*. In Synodo tollitur omnis facultas absolvendi à peccatis venereis, quorum Confessarius est complex, qui proinde ab illis nulliter absolvit; quando tamen sunt materia necessaria confessionis, potest vere absolvere ab aliis. Quod si poenitens bona fide confiteatur peccatum venereum, cujus Confessarius est complex, & alia peccata, & Confessarius absolveret, esset quidem valida absolutio, sed Confessarius hanc reservationem incurreret; quia illa absolutio directe in peccatum venereum est nulla. Si Confessarius obtineat generalem facultatem absolvendi à reservatis, non potest absolvere complicem; quia hæc non est reservatio peccati complicitis, quippe qui potest à quolibet alio absolvi, sed negatio approbationis, seu potius positiva reprobatio Confessarii relate ad illud peccatum. Secundo, *Qui omnes etiam. &c.* Confessarii seculares incurrunt, tum excommunicationem, tum suspensionem ab audiendis confessionibus: Regulares vero solam suspensionem à confessionibus; quia hæc unice potest illis ab Episcopo infligi: incurrunt tamen excommunicationem Papæ reservatam, si prætextu privilegiorum absolvant à casibus Episcopabilibus.

* Addendum hic, quod Bened. XIV. in Bulla *Sacramentum poenitentiae* 1741. Omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam secularibus, quam regularibus, prohibet, ne aliquis eorum extra mortis articulum, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem Sacramentalem personæ complicitis in peccato turpi contra sextum Decalogi præceptum commissio excipere audeat; sublata propterea illi qua-

quacunque jurisdictione ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, ita ut absolutio, si quam impertierit, nulla sit: quod si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, excommunicationem ipso facto incurrat Papæ reservatam. Declarat insuper, quod nec etiam vi Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, aut alterius cujuslibet indulti confessionem complicitis quisquam valeat excipere. Cum autem super ea dictæ constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quædam exortæ fuissent, idem Summus Pontifex in alia Constitutione, quæ incipit, *Apostolici muneris* 1745. declarat, singulis Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in peccato turpi complicem confitentem audire, & absolvere, ita interdici reipsa prædicto modo tunc audire, & absolvere, si adsit alius Sacerdos, qui hoc munus obire possit, licet iste alius sit simplex Sacerdos ad audiendas confessiones non approbatus; quod si alius Sacerdos sine infamia, vel scandalo vocari, aut accedere nequeat, tunc alium Sacerdotem perinde haberi, ac si deficeret; ac proinde non prohiberi socio criminis ab eo quoque peccato absolvere. Quodsi complex hujusmodi Sacerdos prædictæ infamix, aut scandali pericula confingat, ubi non sunt, vel hujusmodi periculum remove neglexerit, cum possit, & sic complicem absolverit, quantumvis hujusmodi absolutio valida futura sit, si pœnitens sit dispositus, nihilominus Sacerdotem ipsum latam in Superiori Constitut. Excommun. majorem Papæ reservatam incurrere. *

IX. *Incestus cum conjunctis in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis. Mulieres autem, si vere sint pœnitentes, à quocunque Confessario à Nobis approbato absolvi possunt, gravi tamen imposta pœnitentia salutari; & dummodo occasio proxima facta sit salutaribus mediis moraliter remota.*

Nota primo: *Incestus.* Quamvis congressus non completus, vel innaturalis cum consanguineis, &c. & congressus cum cognatis cognatione legali, vel spirituali habeat malitiam incestus; hic tamen non reservatur, nisi congressus completus, & naturalis cum consanguineis, vel affinibus in 1. & 2. gradu. Comprehenditur incestus cum affine ex copula illicita. Probabilius non comprehenditur copula cum uxore, cum qua contracta est affinitas; quia non est incestus perfectus, cum non habeat

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. K k ma

malitiam fornicationis. Secundo, *Si vere, &c.* Prima, & tertia conditio requiruntur ad valorem absolutionis: secunda, probabilis non; quia est monitio, ut servetur, quod de jure servandum est, ex Trid.

X. *Qui contra dispositionem Sac. Canon. Clericos, quos noverint, ad Forum seculare traxerint, etiam consentiente reo extra casus hac in re tum in Bul. Cæn. Dom. tum in Mart. V. Const. Ad reprimendos, Summo Pontifici reservatos.*

Nota primo, *Extra casus, &c.* Casus 15. Bul. Cæn. loquitur tantum de Judice laico trahente personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal: Casus Martin. V. positus à nobis cap. 1. §. 3. n. 60. loquitur tantum de persona Ecclesiastica trahente aliam personam Ecclesiasticam, collegium, vel conventum, ad forum laicale, & de Judicibus laicis, executoribus, auxiliantibus, consulentibus, & ratihabentibus, postquam constiterit, ad eos non spectare. Hi duo casus sunt Papales; & Clem. VIII. an. 1602. prohibuit, ne Episcopi superflue sibi reservent casus Papales; ideoque Lug. d. 20. num. 151. cum aliis ait, Episcopum invalide eos sibi reservare, quia causa pertinet ad Superiorem non potest judicari apud Inferiorem. Itaque extra hos casus, quivis laicus, seu mas, seu femina, incurrit præsentem casum Archiepiscopalem, si traxerit, &c. Secundo, *Traxerint, &c.* sive per se, sive per alium, cum verbum *trahere* utrumque sensum proprium habeat in hac materia. Hæc tractio fieri potest quadrupliciter, per citationem, per capturam, per mandatum, per alios actus jurisdictionis. In his non prohibetur tractio in causa feudi, in qua licite potest conveniri Clericus coram Judice laico domino feudi, utpote ejus vassallus, ex cap. *Transmissa de For. Comp.* neque in causa reconventionis, quando scilicet Clericus conveniens laicum coram Judice laico, ab eo coram eodem reconvenitur, ex c. 1. & 2. *de Mut. Petit.* quamvis non possit tunc Clericus condemnatus cogi ab eo Judice ad solvendum. Incurritur ergo casus in reliquis causis civilibus, aut criminalibus; nisi vero Clericus citatus non compareat, cum sola citatio per se non fit tractio, ut notant Hugol, Suarez, Bon. & alii. Tertio, *Clericos, &c.* Nomine Clerici veniunt hic etiam Religiosi, & Moniales, eorumque Conversi, & Novitii, quia hi omnes in favorabilibus appellantur Clerici: Doctores

ctores communiter: item Equites Melitenses, & Teutonici, Tertiarii, & Tertiariæ SS. Dominici, & Francisci collegialiter viventes, & Eremitæ obligati voto, aut pacto perpetuo obedientiæ; item Clerici seculares, dummodo gaudeant privilegio fori, quales sunt Clerici in sacris, quousque non degradentur realiter, vel per sententiam Judicis Ecclesiastici eo privilegio denudentur, ex cap. *Cum non ab homine, de Judiciis*, & Clerici in Minoribus, aut in prima Tonsura, dummodo non sint bigami, & habitum cum tonsura deferant, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, aut scholæ ex ejus licentia incumbant, ex Trident. *sess. 23. c. 6.* Clerici autem salvatici gaudent privilegio fori in criminalibus, & in civilibus tantum quoad carcerationem, & onera personalia, ex Decr. S. Congr. pro Regn. Neap. Fagnau. Quarto, *Etiam si consentiente reo, &c.* quia Clericus non potest renunciare huic privilegio, utpote juris divini, & proprio status Ecclesiastici. Imo, qui tempore Clericatus commisit delictum, & postea dimisso habitu statum laicalem elegit, non potest pro eo delicto trahi ad forum laicale, ex Synod. Neap. apud Gramm. *decif. 10. n. 3.* & similiter neque Novitius post relictam Religionem, quia inspiciendum est tempus delicti: Bon. ex Bald. contra Nav. Mol. & alios. Contra vero, si post delictum Religionem, vel Clericatum assumpsit; quia præsumitur fraus: Bon. & alii. Denique Clericus, qui dimisso habitu statum laicalem elegit, potest ex se habitum, & statum clericalem reassumere, & sic iterum frui privilegio fori: idemque probabiliter est, etiam si privatus fuerit per sententiam Judicis Ecclesiastici, præcise quod dimiserit habitum; secus vero, si ob aliud delictum: v. Sanch. l. 7. *Matr. d. 46.*

XI. *Homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, Cœmeteriis, aut Sacrificiis, aut publicis Orationibus patrantes.*

Nota: *Patrantes, &c.* Non ergo mandantes, aut consulentes, cum simus in odiosis; Homicidium autem fit etiam per abortum fœtus animati. Mutilatio vero debet esse membri, & non tantum partis membri; neque si membrum tantum debilitetur, aut arefiat, reddaturve inanime, sed non abscindatur; neque si tantum vulneretur, etiam si sanguine effuso pollueretur Ecclesia; dummodo non sit vulnus lethale, ut mox patebit; si enim

vulnus lethale, aut venenum abortus datum fit in Ecclesia, Sacristia, aut Cœmeterio, incurritur hic casus, etiamsi mors postea sequatur extra (non tamen antequam hic effectus sequatur) quia posita est causa per se efficax intra Ecclesiam, &c. & per accidens est, quod moriatur extra: Suarez, Bonac. & alii: idemque est, si ab existente extra Ecclesiam occidatur quis existens in Ecclesia: Doctores cit. Contra vero est, si existens in Ecclesia scilicet v. g. occidat existentem extra Ecclesiam, etsi ille postea moriatur in Ecclesia; quia vere non occidit in Ecclesia, sed ab Ecclesia, ex dictis cap. præced. §. 2. n. 1. Item, si occidas, vel mutiles existentem in Campanili, vel supra tectum Ecclesiæ, vel in Oratorio privato, non incurris hunc casum. Neque demum, si occisio, vel mutilatio facta in Ecclesia non fuerit peccatum lethale.

XII. *Conficientes cujuscunque generis venena in hominum perniciem, eadem scienter dantes, apponentes, vel quomodolibet propinantes, sive ad hoc qualitercunque cooperantes, vel consulentes, etiam non secuto effectu.*

Nota primo: *Conficientes, &c.* Incurrunt hoc ipso, quod conficiunt, seu componunt venenum, etsi deinde non applicent, neque alteri dent applicandum; dummodo conficiant ex prava intentione inferendæ mortis, vel gravis morbi proximo. Si autem conficiant ad experiendam eorum efficaciam in canibus, ad præparandas medicinas, ad temperandos colores, &c. non incurritur: Quarti, & alii communiter. Secundo, *Eadem scienter dantes, &c.* qui scilicet ex prava intentione mortis, vel gravis morbi ea etiam ab aliis in alium finem confecta applicant, vel præbent alteri sumenda, modo secuta sit applicatio, vel sumptio, etsi perniciem non sequatur: cooperantes autem sumptioni, vel applicationi sunt omnes ex ead. prava intentione vendentes, ementes, mandantes, consulentes, auxilium, favorem, pecuniam præstantes, aut venenum potui aut cibo, &c. miscentes, qui omnes incurritur posita applicatione, etiam perniciem non secuta. Si autem hæc sequatur in Clerico, incurritur etiam ex dictis casus Papalis. Hinc, dum Pharmacopolæ vendunt venena, distinguendum; vel enim sunt talia, quæ solum deserviunt ad perniciem, ad procurandum abortum, &c. vendendo scienter, incurritur hunc casum posita applicatione; quia sic sunt cooperatores; vel sunt talia, quæ deservire possunt usui bono, & malo, &

& pariter incurrunt, si vendant personis suspectis: secus vero, si moraliter constet, peti ad usus liticos. Simile est de pharmaco, quod datur ægrotæ prægnanti; si enim per se illud tendat ad abortum fœtus animati incurritur casus: secus, si per se tendat ad medendum ægrotæ, etsi prævideatur, quod forte sequatur abortus, quia id est per accidens, & præter intentionem, & aliunde præstat vitam matris servare, quam mortem utriusque permittere: v. Sanchez l. i. Decal. c. 7. n. 47.

XIII. Cujusvis conditionis personæ, quæ libros in Civitatem, vel Diocesim introducunt, vel scienter introductos tradunt, aut traditos recipiunt, sive etiam de eadem Civitate, & Diocesi extrahunt, priusquam à Deputatis nostris fuerint recogniti. Similiter Bibliopolæ, qui Bibliothecas emunt, non exhibito prius prædictis Deputatis emptorum librorum catalogo: transgressores autem etiam de nostra licentia numquam absolvantur, quoadusque libros sine prædictis requisitis introductos, aut emptos, recognitioni subjecerint. Typographi similiter, & eorum Operarii, qui sine nostra, vel Vicarii nostri licentia libros, aut cujuscunque generis folia imprimunt: præterea Auctores eorum, si typis mandent, vel quicumque mandari faciunt.

Textus est clarus. Nota tamen Primo, Ad incurrendum hunc casum reservatum requiri scientiam in omnibus actionibus prohibitis, præter actionem introducendi libros: Secundo, Non comprehendi in hoc casu libros prohibitos in Bulla Cœnæ: Tertio, Comprehendi eos, qui imprimere, vel imprimi facere præsumunt librum, vel scripturam sine debita licentia, licet incurrant excommunicationem ipso facto latam à Concil. Lateran. quia potest excommunicatio Papalis non reservata reservari ab Episcopo, urgente gravi causa, qualis fuit in casu frenare nimiam licentiam scribendi, & legendi: Quarto, Quod attinet ad introductionem, satis esse ad incurrendam excommunicationem, sive liber in Civitatem, sive in alium locum Diocesis introducatur; at quoad extractionem requiri, ut extrahatur à tota Diocesi. Quinto, Probabilius non esse materiam levem introducere, &c. parvum liberculum, sicuti non esset materia levis illum legere, si esset prohibitus: Sexto, Non excusari introducentes, &c. etiamsi liber sit sanæ doctrinæ; quia non cessat lex, cessante in casu particulari ejus sine, ut dictum est c. ant. §. i. casu Bul. Cœn.

XIV. *Qui in Paschate non communicantes ab aliis dolose accipiunt schedulas, seu chartulas, quæ eo tempore distribui solent in Metropolitana vel in Pærochiis, ut fidem Pærocho exhibeant de peccata Communionis. Item Illi, qui easdem non communicantibus quomodocunque accommodant in fraudem, aut utcumque cooperantes.*

Nota, *Qui, &c.* Intellige etiam feminas, arg. cap. *Si quis succedente.* Requiritur ad hunc casum tria simul: Primo, Quod non communices in Paschate, hoc est à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, & in hac Diœcesi ad Ascensionem Domini: Secundo, Quod dolose ab aliis accipias schedulam, sive sponte dantibus, sive furto, sive casu inventam: Tertio: Quod eam exhibeas Pærocho in fidem, &c. ita ut, si nondum exhibueris, non incurris. Alii vero, qui eam tibi quomodocunque accommodant in fraudem, incurrunt, secuta dicta exhibitione, quia tunc videtur consummata fraus, & casus in sua specie hic prohibitus.

XV. *Falsarii monetarum, videlicet ii, qui monetas quomodocunque vitiant, nimirum, vel eas diminuendo, vel fundendo, aut imprimendo cum deteriori liga, aut sine legitimo Principis sigillo.*

Nota primo, *Diminuendo.* Non incurrit excommunicationem attondens monetam exuberantem, ita ut remaneat justum pondus; quia non est falsarius monetæ; hæc enim falsa non dicitur, nisi vel in pondere, vel in materia, vel in legitimo sigillo deficiat. Secundo, *Principis.* Etiam extranei; quia vere falsarius est, qui monetas etiam extranei principis vitiat. Qui in ære, vel pondere vitiat monetas Regni Franciæ, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, & consequenter incurrit præsentem casum reservatum; licet Fill. dicat, dictam excomm. Papalem fuisse latam ad solum tempus Caroli magni.

XVI. *Sponsi, & Sponsæ post contracta sponsalia, etiam privata inter se, & ante matrimonium legitime celebratum, carnalem inter se copulam habentes; necnon parentes, consanguinei, & affines omnes, aut quicumque domus curam habentes, eandem carnalem copulam, vel Sponsorum cohabitationem, vel pernoctationem, etiam pro una vice, permittentes.*

Nota

Nota primo, *Copulam*. Intellige perfectam: idem dic de permittentibus eandem copulam. Copula sodomitica probabilius non comprehenditur, cum in jure nomine copulæ veniat copula naturalis. Secundo, *Cohabitationem*, quæ scilicet apta fit ad acquirendum domicilium, vel quasi domicilium; quod intellige, si facilis sit ad invicem accessus; secus vero, si altera ad alterum accedere nequeat. Hinc permittentes commorationem sponforum in eadem domo per paucos dies, dummodo copula non sequatur, non incurrunt excommunicationem: si vero eam permittant per tempus aptum ad domicilium acquirendum, incurrunt, etiam non secuta copula; quia permissio cohabitationis principaliter prohibetur. Tertio, *Pernottationem*, hoc est moram in eadem domo per totam, vel fere totam noctem: Quarto, *Permittentes*. Incurrunt hanc permittentes, qui scilicet non impediunt, cum possint, licet pro una vice, & licet non sequatur copula.

§. II.

De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus non est adnexa Excommunicatio.

I. *Blasphemantes Deum, vel B. Virginem ex perversa consuetudine coram pluribus supra quatuor.*

Nota: *Blasphemantes: &c.* Tria requiruntur ad hunc casum: Primo, Quod blasphemia sit in Deum, vel B. Virginem: Secundo, Quod sit ex perversa consuetudine: Tertio, Quod sit coram pluribus supra quatuor. Hinc primo, Non incurrit, qui blasphemat alios Sanctos, vel falsum Deum, puta Bacchum; incurrit vero, qui blasphemat Christum, vel ejus membra, Corpus, Sanguinem, &c. vel si dicat, *A dispetto di Dio*, vel dicat, Deum non esse justum, dæmonem esse fideliorum Deo, &c. Secundo, Non incurrit, qui bis, vel ter blasphemavit Deum, vel B. V. quia nondum ex perversa consuetudine, quæ secundum Homob. Avers. & alios, non dicitur acquisita, nisi post quinque saltem actus intra paucos dies; ideoque neque incurrit, qui raro blasphemavit, etsi plus, quam quinquies, quia raritas non induxit consuetudinem; neque, qui continenti sermonis, iræ, aut ludi serie blasphemavit etiam plusquam quinquies; quia veluti unico impetu, & ante contractam consuetudinem, ut supponitur: Graff. Bauc. Quart. & alii: si post consuetudinem in ultima confessione retractatam quis semel, aut bis blasphemet,

Homob. Averf. & alii contra alios negant, *incurrere*, quia non fit ex consuetudine voluntaria, & quæ sit materia necessaria novæ confessionis: neque demum *incurrit*, qui ex perversa quidem consuetudine blasphemavit, sed inadyertenter; quia non peccavit blasphemando, sed tantum in causa non tollendo consuetudinem: Doctores citati cum Suar. Tertio, Non *incurrit*, qui ex perversa consuetudine blasphematur coram tribus, aut quatuor; vel si plures supra quatuor alii sint distracti, surdi, aut non percipientes blasphemiam, quia non dicuntur formaliter præsentibus: Graff. & alii ex *l. Coram*, ff. de V. S. *Incurrit* vero, qui ex consuetudine contracta per blasphemias occultas, semel postea blasphemetur coram pluribus supra quatuor: Graff. Quart. & alii.

II. *Exercentes peccatum Sodomiae, vel cum Brutis coeuntes; ita tamen, ut in his luxuriæ casibus tantum masculi comprehendantur.*

Nota primo, *Exercentes, &c.* Tria requiruntur ad hunc casum, exercitium, sodomia perfecta, & persona ejusdem sexus: hinc primo, Non *incurrit*, qui semel, aut bis, aut ter sodomiam commisit, sed in quarta, aut quinta, &c. quia sic dicitur eam exercere: Dian. p. 2. t. 12. r. 65. & alii; modo non fuerint antecedentes per confessionem retractatæ, ut addit Quarti: Secundo, Non *incurrit*, qui non consummat in vase præpostero, quia nondum est sodomia perfecta: Doctores communiter: si autem consummat, probabiliter solum *incurrit* agens, quippe dicitur sodomita; patiens enim dicitur tantum mollis: Cajet. Quart. & alii, quamvis Tamb. probabile etiam putet oppositum: Tertio, Probabiliter non *incurrit* mas, si abutatur vase præpostero femine, quia proprie non sodomiam, sed peccatum contra naturam committit: Quart. & alii communius contra alios; *incurrit* vero mas, si consummet in vase præpostero maris, quia sodomia proprie est copula carnalis personarum ejusdem sexus: femine autem non *incurrunt*, ut ex preste ait textus. Secundo, *Vel cum Brutis, &c.* Ad hunc alium casum sufficit unum peccatum bestialitatis, quia non requiritur exercitium ex textu; debet tamen consummari intra vas, ut ait Tamb. quamvis alii id non requirant. Qui coit cum dæmone, per Arsdech. Quart. & alios *incurrit* hunc casum, quia coit cum specie diversa ab homine; sed alii cum Tamb. negant, quia non est

est proprie bestialitas. Feminae neque incurrunt hunc casum, ut patet ex text.

III. *Confessarii omnes, etiam Curati, ad obscœna quaslibet personas sibi frequenter confitentes, licet non immediate post, vel ante Confessionem, inducentes, seu sollicitantes, vel cum iis quomodolibet impudice tractantes.*

Nota primo, *Confessarii.* Hoc est Sacerdotes habentes jurisdictionem, & approbationem, etiam si ex solo errore communi, & titulo colorato; non vero simplices Sacerdotes, licet fingant se Confessarios. Simplex Sacerdos, qui frequenter feminam in mortis articulo in confessione audivit, si illam eo tempore sollicitet, incurrit hunc casum reservatum, ita ut absolvi nequeat, nisi ab habente facultatem; quia vere sollicitavit, dum erat Confessarius; secus, si elapso mortis articulo sollicitet. Idem dic de Confessario, qui, dum talis erat, sollicitavit, & postea amittit jurisdictionem. Secundo, *Frequenter.* Quot actus ad frequentiam requirantur, prudentis arbitrio definiendum, spectatis circumstantiis, tum rei, de qua agitur, tum temporis, intra quod agitur. Sanchez ait, frequenter fieri, quod semel in mense fit, vel quod ter sit tribus diebus continuis. Tertio, *Vel cum iis quomodolibet, &c.* Hinc incurrit Confessarius, licet non ipse inducat, sed inducenti consentiat.

IV. *Medici, qui visitantes in lecto infirmos post tres dies à visitatione non curaverint, ut prædicti infirmi peccata sua idoneo Confessario confiteantur, aut alias non deseruerint, secundum terminos Constit. S. Pii V. & Innocent. XI.*

Quomodo obliget hæc Bulla, juxta usum receptum, vide dicta disp. i. q. i. a. 2. in fine, nihil ergo hic restat addendum.

V. *Debitorum quorumlibet piorum locorum, sive eorundem debitorum administratores, si intra mensem, etiam extrajudicialiter, requisiti à Rectoribus, Procuratoribus, seu Administratoribus dictorum locorum, redditus, & census non solverint.*

Nota: *Debitorum &c.* dummodo physice, & moraliter possint; quia impossibile non est obligatio: puta, si non possis, nisi cadendo cum dedecore à statu juste acquisito, vel nisi cum damno longe majori eo, quod patitur creditor; vel cum damno famæ, honoris, & similibus bonorum superioris ordinis pecunia: Doctores communiter; si autem potes intra mensem, & culpabiliter reddis te impotentem in fine mentis, incurris; quia es

causa voluntaria prævifæ impotentiae. Mens hic computandum mathematicè à momento ad momentum, putat Quart. quia est tempus à lege determinatum, ex *l. Denig. ff. de Minoribus*: sic etiam computatur annus Novitiatus, ex Trid. & tempus Paschale pro præcepto Communionis, & dies jejunii, Horarum Canoniarum, &c. Sed probabile etiam est, si in casu differas duos, vel tres dies, non incurrere; quia modica non veniunt in considerationem, ex cap. *Coram dilecto, ff. de Off. Delegat.* & ratio est, quia in materia restitutionis dilatio trium dierum censetur modica apud Sayr. l. 10. tr. 5. c. 5. Sic etiam lex jubens Superioribus Regularium, ut tali mense, tali die curent legi Constitutiones Pontificias, &c. permittit, si curent legi intra decem dies sequentes, ex Declar. S. Congreg. Quarti probabiliter etiam putat, incurri hunc casum à debitoribus pecuniæ mutuo acceptæ, vel rerum mobilium, ut sunt vasa, paramenta, &c. quia finis hujus statuti est consulere indemnitati piorum locorum; sed in textu solum exprimuntur debitores *Reddituum, & Censuum.*

VI. *Non absolvantur Concubinari, & Concubinæ, etiam si excommunicationis sententia in eos lata non fuerit, nisi, facta reali separatione, & thori, & domus, per duos se menses continuerint: vel, nisi certo, aut valde probabiliter constet, factos physice, vel moraliter impotentes ad reincidendum, aut paulo post esse inter se matrimonium contrahuros.*

Nota primo, *Non absolvantur Concubinari, &c.* Hæc non est mera admonitio, sed vera reservatio; est autem Concubiniarius, *Qui frequenter habet copulam cum eadem femina, cum animo retinendi illam, tanquam suo usui mancipatam*: Doctores communiter ex *l. Penult. ff. de Concubin.* Ad inducendam hanc frequentiam, Graff. Diaz. & alii requirunt copulas ad minus quatuor: alii requirunt quinque: utrique probabiliter. Cæterum, si quis pluries etiam supra quinque copulam habuit cum eadem femina, sed absque animo retinendi illam, ut suam, non dicitur Concubiniarius, neque adeo incurrit hunc casum; quia deest animus retinendi, &c. incurrit autem, si habeat talem animum, sive eam retineat domi suæ, sive in aliena: Doctores communiter. Si filiusfamilias frequenter copulam habeat cum serva etiam cum animo perseverandi, quamdiu ea domi patris sui manserit, non est concubiniarius, neque incurrit hunc casum; quia non ipse eam retinet

retinet tanquam suo usui mancipatam: Verricel. Quart. & alii. An autem negari ei debeat absolutio ratione occasionis proximæ, dicemus infra q. 4. Si quis retineat feminam ad deosculandum. & ad similes tactus carnales, seclusa copula, neque est concubinarius, neque incurrit hunc casum; quia requiritur copula: Quart. & alii communiter: secus, si ad eam sodomitice cognoscendam, quia reservatio extenditur ad casus atrociores ejusdem generis: Doctores communiter: quod etiam aliqui extendunt, si ad se cum ea molliter polluendum, quia pollutio extra vas naturale est etiam atrocior. Cæterum non incurrit, qui retinet masculum ad se cum eo polluendum; si autem ad eum sodomitice cognoscendum, incurrit casum secundum hujus §. Secundo, *Nisi facta reali, &c.* Cessat hæc reservatio, ita ut concubinarius absolvi possit à quovis Confessario, si duobus mensibus à reali separatione thori, & domus se continuerit; vel si valde probabiliter constet moralis impotentia reincidendi, cum scilicet ob ægritudinem, senectutem, deformitatem, aut aliunde cessavit periculum: Pal. & alii apud Dian. pag. 2. tr. 16. r. 45. vel demum, si paulo post eam ducat in uxorem, scilicet intra tres dies ad summum; quod enim intra triduum fit, dicitur fieri quamprimum, & continuo, ex l. fin. cap. de Judicis.

VII. *Omnes utriusque sexus, qui à Dominica Palmarum usque ad diem Ascensionis Domini inclusive, Paschalis Communionis præcepto in Cathedrali, vel propria Parochia non satisfecerint, Interdicti pœnam ex cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss. ipso facto incurrunr, à Nobis, sive facultatem à reservatis absolvendi à Nobis, vel Vicario nostro Generali habentibus, tantummodo relaxandum, dummodo non fuerint nominatim denunciati.*

Nota, quod C. *Omnis, &c.* minatur interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & ab Ecclesiastica sepultura; sed in hac Dicecesi id incurritur ipso facto ab iis, qui non satisfecerint præcepto communionis Paschalis, vel non communicando in Cathedrali, aut in Parochia propria, etiam si alibi communicent; vel ibi tantum communicando sacrilege, cum sic neque satisfaciant præcepto, ex alibi cit. Prop. 55. damnata ab Inn. XI. secus, si ibi suscipiant Sacramentum communionis validum, sed informe, v. g. invincibiliter obliiti mortalis commissi, vel cum confessione putata valida: Suar. Con. Gran. contra Valq. Si autem

ultimo

ultimo die superveniat impedimentum non prævisum, non incurrunt, si postea, quam primum poterunt, intra triduum communicent; incurrunt vero, si prævidentes tale impedimentum non antea communicaverint, juxta dicta d. r. q. r. cap. 3. Qui incurrit hoc interdictum, peccat graviter, si ingrediatur Ecclesiam, quando in ea celebrantur divina officia; secus vero, quando hæc in ea non celebrantur, vel si hæc audiat in Oratorio privato, juxta dicenda de Censur.; imo neque peccat, si vocatus interserviat Missæ in Ecclesia, quia non se ingerit, ex Concil. Const. ex quo neque videtur esse privatus Ecclesiastica sepultura, nisi fuerit nominatim denunciatus. Cæterum non potest recipere Sacramentum Pœnitentiæ, aut Communionis, nisi prius absolvatur à tali interdicto, utpote speciali personali; & hæc absolutio reservata est in hac Diœcesi.

Additur in fine Tabellæ: Primo, Nullum ex prædictis casibus, & censuris incurri ab iis, qui 14. annum nondum expleverint; quod verum est juxta Dian. p. 10. tr. 14. r. 49. etiam in dubio, an quis expleverit 14. annum, qui proinde absolvi potest ab his casibus per quemvis Confessarium, etiamsi confessio fiat post 14. annum: Secundo, In generali concessione facultatis absolvendi ab his casibus, & censuris, nunquam intelligi casum 5. §. antecedentis de locutione de obscœnis cum Monialibus, &c. nec intelligi casum, *Invitationum ad Ecclesias Monialium, & Regularium, nec casum, Expensarum factarum à Monialibus, aliisque in Monasteriis, Conservatoriis, Collegiis, Domibusque Oblatarum degentibus, ratione officii, in quibuscunque functionibus, aut festivitatis*: Tertio, Nullum ex Confessariis, quibus quomodolibet concessum fuerit à reservatis absolvere, etiam Pœnitentiariis, subdelegare valide posse alium quemcunque Confessarium, neque ad unum tantum reservatum, sive ad nudum ministerium. Quarto, Nulli ex Confessariis facultatem in reservata habentibus, vel Pœnitentiariis, licere quempiam à censuris absolvere, nisi audita integra confessione eundem absolvat etiam sacramentaliter: imo nullum posse absolvere tantum à reservatis, seu reservationem auferre remittendo absolutionem non reservatorum ad simplicem Confessarium: si secus fiat, absolutionem à reservatione, & illicitam, & irritam esse. Quinto, Confessarios posse absolvere ab aliis censuris, sive ex synodo, sive ex consuetudine refer-

reservatis huic Archiepiscopo : qua in re addunt Comit. Homob. Pelliz. & alii, hoc ipso, quod Episcopus non proponit in tabella aliquos casus reservatos in Synodis, censi tribuere generalem facultatem absolvendi ab illis; quia, si voluisset eos sibi reservare exposuisset in tabella. Demum noto, ex Chapeavil. apud Croix num. 1634. manere reservationem casuum expositorum in tabella, quamvis moriatur Episcopus, qui reservavit, quousque Successor non revocet; est enim per modum statuti perpetui : secus vero dicendum de reservatione facta tanquam ab homine. Noto insuper, quod, si Episcopus edat novum catalogum casuum reservatorum, in quo aliquem prioris tabellæ omittat, hunc etiam ante commissum desinere esse reservatum, non tamen desinere excommunicationem per illum jam incursum : contra vero, si Episcopus addat novum casum, cui etiam adnectat excommunicationem, qui hunc antea commiserat, non ligabitur ea excommunicatione, quia hæc non imponitur, nisi peccatis committendis; ligabitur tamen reservatione ex Bordon. Ayers. & aliis apud Croix num. 1634. quia ablata est jam jurisdictio respectu illius; quamvis alii probabiliter aliter sentiant

CAPUT III.

De Casibus specialiter reservatis in Ordinibus Religiosis.

PRÆTER casus Papales, quibus etiam subjacent Religiosi, Clem. VIII. ann. 1593. concessit Superioribus Regularium, ut possint sibi reservare II. casus, quos ipsemet exprimit in Bulla, aut omnes, aut eorum aliquos, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverint : & si quod aliud peccatum grave, præter II. pro Religionis conservatione, aut pro Conscientiæ puritate reservandum videatur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, vel Provincialis in Provincia, matura discussione, & consensu. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis à Confessariis imponendas, quæ subditos ab ejusmodi perpetrandis cohibere possint. Hactenus ex Clem. VIII. quod confirmavit Urb. VIII. Venio jam ad casus Bullæ Clement. VIII. qui

qui undecim numerantur, quosque undecim numeris hic breviter absolvam.

I. *Veneficia, Incantationes, sortilegia.*

Nota: *Veneficia*, etsi non habeant magicum quid conjunctum, modo venenum propinetur, etiamsi mors non sit secuta: Fagund. Portel. Homob. Bass. & alii. *Incantatores*, sive tacite, sive expresse invocato dæmone; & in hunc casum incidit etiam, qui incantatoris opera utitur: Doctores cit. *Sortilegia*, etiam sine pacto expresso; item, qui sortilegos consulit, eorum opera utitur; item divinatio; item astrologia judiciaria: Coriolan. contra Cours. apud Bass.

II. *Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio.*

Nota, *Apostasia, &c.* Si animo apostatandi dimisso habitu tentes egredi extra septa, nec potes, non incurris hunc casum; incidis tamen in excommunicationem, cap. *Ut periculosa, ne Cler. vel Monach. in 6.* ob temerariam habitus dimissionem. Si animo apostatandi exeat, sed statim redeas, peccas mortaliter, tamen non incurris hunc casum, quia peccatum non est exterius consummatum in ratione apostasiæ, cum non dicatur rigoroſe recessus: Navarr. Graf. Bon. Bordon. Bass. & alii. Si apostates è domo, vel loco, ubi Fratres morantur, dum fabricatur Monasterium, vel è domo alicujus secularis, incurris hunc casum; quia talis fuga est desertio Instituti animo non redeundi: Cours. Bass. & alii: secus, si desit hic animus, qui requiritur essentialiter ad apostasiam.

III. *Nocturna, & furtiva è Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.*

Nota, *Nocturna, &c.* Si fiat in crepusculo diei, Coriolan. dicit, non incurri hunc casum, Cours. dicit, incurri; in dubio censendum factam de die etiam pro foro externo, ut sic poena mitigetur: Bassæus. *Et furtiva*, hoc est sine licentia Superioris, etiamsi alii sciant, ut addit Cours. contra Coriol. & March. quia fit invito Superiore; imo, etiamsi Prælati indebite consenserit, quia licentia est nulla, ut addit Suar. Idem est, si ipse Prælati egrediatur, quia contra regulam, & suum Superiorem majorem: Suar. Cours. Bass. & alii. Parvitas tamen

tamen temporis excusat juxta jam dicta; in Religione tamen observanti non excusat quadrans: Bordon.

IV. *Proprietas contra votum Paupertatis, quæ sit peccatum mortale.*

Nota: *Proprietas, &c.* qua scilicet Religiosus tenet aliquid contra voluntatem expressam, vel probabiliter præsumptam Superioris, & Domini. Qui autem accipit, aut tenet absque licentia, sed cum dependentia à voluntate Superioris, non est proprietarius, nec incurrit hunc casum, etsi peccet graviter. Quantitas rei est, quæ sufficeret in seculari ad furtum mortale; addit tamen Marchant. ut ex circumstantiis loci, Monasterii, abundantia regionis, consuetudinis, &c. major etiam quantitas proprietatem non faciat; habenda est etiam ratio rerum unico usu consumptibilium, in quibus quandoque plus displicet Superiori modus, quam res; quod si etiam res displiceat, adhuc quantitas debet esse major, cum hujusmodi res fit frequenter objectum liberalis donationis, & oblationis: v. Bass. v. hic cas. 8.

V. *Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo.*

Nota: *Juramentum, &c.* quando scilicet juridice, ac legitime interrogaris à Superiore, sive ut reus, sive ut testis; secus vero, si pejeres in judicio non legitimo, vel circa aliquid, de quo non interrogaris: Suar. t. 4. de Relig. l. 2. c. 8. n. 7. neque, si ex conscientia erronea putes, te pejere, quia actus externus non est perjurium: Suar. contra Fagund. quando autem testis, vel reus teneatur fateri, dictum est q. anteced.

VI. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto.*

Nota: *Procuratio, &c.* ex intentione scilicet abortus animati; requiritur tamen, ut sit applicata v. g. potio, &c. etiam si abortus non sequatur. Hinc non incurris hunc casum, si ex alio fine percutias prægnantem, ex quo per accidens sequatur abortus; neque si des auxilium, vel consilium, & illa non applicet; neque, si dubitans de animatione foetus, procures abortum, quem non procurares, si probabiliter scires, esse animatum, quia ex intentione non lædis foetum animatum: Bordon. q. 7. Mandans autem comprehenditur sub voce illa, *Procuratio*: Bordon. Bass.

VII.

VII. *Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterii, aut Conventus.*

Nota: *Falsificatio, &c.* Fit hæc imitatione manus, vel si aliquid eorum litteris addatur, aut detrahatur, quo sensus ab eis intentus mutetur; similiter, si eorum sigillum applices litteris falsis, vel aliud simile effingas, eoque utaris. Si autem fureris eorum sigillum, aut aliud effingas, animo signandi scripturam, sed postea non signes, non incurris, quia proprie non habetur falsificatio, quæ respicit litteras signatas: Suar. l. 8. c. 18. n. 7. Neque, si signes epistolam continentem materiam levem, & animo non inferendi damnum: Suar. ib.

VIII. *Furtum de rebus Monasterii, seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.*

Nota: *Furtum, &c.* & similiter detentio, & usus rei, invito Superiore, & res Monasterii est etiam, quæ ad usum particularium est assignata: unde incurrit hunc casum, qui furatur, aut detinet scripta aliorum Religiosorum sui Monasterii, ut transcribat, & postea restituat, modo supponatur alter rationabiliter invitatus: Baslaeus. Addit Cours. talem furem incurrere etiam excommunicationem reservatam Papæ contra occupantes bona Ecclesiarum, quod probabile reputat Boss. Quantitas saltem quatuor argenteorum sufficit; & quandoque minor, juxta occurrentes circumstantias; modo non sit in comestibilibus: Suar. l. 8. *Relig.* c. 21. n. 40. & 41. Ait Sanch. l. 7. *Dec.* c. 20. num. 3. Opinionem unius Recentioris exigentis quantitatem requisitam ad furtum filiorum probabilem non esse, cum Instituti ratio, vox ipsa Superioris, & demum omnia jura prohibeant ejusmodi furta. Quamvis Tamb. l. 8. *Decal.* t. 2. c. 4. n. 6. alleget Rebel. Ledes. Cened. & Caram. in oppositum: v. tamen Lug. *de Just.* d. 3. a n. 172.

IX. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.*

Nota: *Lapsus, &c.* significat seminis emissionem; imo etiam distillationem, quæ est vera seminis effusio, ut addit Gob. contra Dian. Dicitur autem *Voluntarius*, si voluntas volendo influat in illum; quale non est desiderium seminationis nocturnæ ob sanitatem, quia non peccas, juxta dicta d. 1. q. 2. Si proveniat ex sola delectatione interna absque omni actu externo, Coriolan. & alii apud Dian. p. 4. t. 4. r. 41. putant, non esse casum hic reservatum, quia requiritur, ut opere externo consummatur; sed absolute tenendum oppositum cum D. Th. Suar.

Suar. S. v. Gob. & aliis, quia, quoties peccatum pervenit ad pollutionem, est in sua specie opere consummatum. Si seminatio sequatur ex nimio potu, & crapula, vel ex actu externo venialiter tantum libidinoso, qui scilicet leviter ex natura sua ad libidinem provocat, qualis est aspectus solius faciei, vel personæ decenter vestitæ, non incurri hunc casum censent Bass. & alii. quia non est lapsus carnis externo opere graviter libidinoso consummatum; sed si intentio libidinosa sit graviter prava, ex qua sequatur pollutio dicendum oppositum, ut supra; præsertim, si sit aspectus verendorum aliarumve partium graviter ad libidinem allicientium, ut docent communiter.

X. *Occisio, vel vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ.*

Nota: *Occisio, &c.* etiam si fiat per alium, juvando, ministrando instrumenta, &c. Bassæus. Dicitur autem percussio gravis, quæ conjuncta est cum gravi læsione, vel injuria, ex cap. *Si quis suadente.* Ut vero incuratur hic casus, debet id fieri pravo animo; non ergo incurris, si lædas coactus metu gravi, licet graviter tunc pecces: Floron. Bass. incurris autem, si pravo animo lædas consentientem, quia hic non est Dominus membrorum suorum; & similiter, si pravo animo lædas teipsum, quia es persona: Bass.

XI. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad Inferiores, aut ab Inferioribus ad Superiores.*

Nota: *Malitiosum, &c.* hoc est ex intentione impediendi effectum literarum, juxta Suar. l. 2. c. 18. n. 13. vel ex intentione mali, sive positivi, sive privati, sive Superiorum, sive subditorum, juxta Bass. Incurris hunc casum, etiam si aperiri facias ab alio, ut legat, etsi non legeret; item, etiam si Superior ille non sit tuus Superior, cum satis sit, si sit Superior ejus, ad quem scribit. Non vero, si legas absque eo, quod aperias; vel si aperias cum tacito mittentis consensu, aut bona fide sperando in rati habitatione ejus, cui mittuntur; neque, si detineas, retardes, aperias, aut etiam comburas, probabiliter timens, in his contineri injustum aliquod malum, quia uteris defensione naturali: Fagund. Portel. Bass. & alii: secus vero, si malum sit justum, & tibi debitum, quia sic malo animo impedis actum justitiæ, Molin & alii.

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. LI QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Absolutione Sacramentali.

ABSOLUTIO Sacramentalis peccatorum est *Forma*, in qua præcipue est vis hujus Sacramenti, ex Trid. sess. 14. c. 3. & differt ab absolutione à censuris, quia hæc est extra sacramentalis, & tantum absolvit à pœnis Ecclesiasticis. Videndum, in quo consistat, quando, & quomodo danda sit, vel iteranda, & num aliquando neganda, vel differenda?

CAPUT I.

In quo consistat Absolutio Sacramentalis?

DICO primo: Absolutio Sacramentalis essentialiter consistit in verbis formalibus: Doctores communissime, ita ut Suar. dicat, esse certum; Lug. Arr. Averf. & alii dicant, oppositum esse errorem, vel hæresim. Ratio deducitur ex Traditione, & perpetuo uti Ecclesiæ: unde Florent. in Decr. Eug. ad Armen. docet, Formam hujus Sacramenti esse *Verba absolutionis, quæ Sacerdos profert*; & Trid. cit. *In illis Ministri verbis positam esse*. Neque obstat, quod absolutio à censuris dari possit scripto, aut etiam signo, & tantum nutu saltem à Pontifice. Nam hæc non est Sacramentalis, & est ex institutione Ecclesiæ; at absolutio à peccatis est Sacramentalis, & ex institutione Christi dari tantum potest verbis formalibus, ut constat ex Traditione, & Conc. cit. Hinc Sacerdos mutus, etsi in articulo mortis absolvere possit nutu, aut signo à censuris; at nullatenus absolvere potest à peccatis, ut docent communissime contra Joann. Pont. apud Dian. pag. 1. tract. 6. r. 14.

Infers primo, non solum illicitam, sed invalidam esse absolutionem Sacramentalem datam absenti; quia nemo in absentem uti potest verbis formalibus. Hinc Clem. VIII. ann. 1602. Constit. 87. damnavit, ut falsam, temerariam, & scandalosam hanc Prop. *Licet per litteras, aut internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Sacramentaliter absolvi*. Additque excommunicationem reservatam in eos,

eos, qui illam in aliquo sensu tamquam probabilem defendunt, aut in praxim quovis modo deducunt: atqui, si talis absolutio posset esse unquam valida, Pontifex non posset eam prohibere in omni casu; cum jure Divino, ac naturali fuisset licita in casu extremæ necessitatis pro moribundo absenti: ergo dicendum, esse omnino invalidam. Et, quamvis multi cum Palud. D. Anton. Sot. Med. & aliis antea dixerint tunc posse, tamen in Ecclesia nunquam fuit positum in praxi. Quod autem fertur de D. Th. Cantuar. de D. Cypr. & cap. *Qualis* 30. q. 5. intelligitur de absolutione à censuris, vel testimonio resipiscentiæ.

Infers secundo, Ad valorem absolutionis Sacramentalis essentialiter requiri præsentiam moralem, hoc est, ut tam parum distet pœnitens, ut, quamvis non fit necessarium audire verba absolutionis, posset tamen audire confessarium absolventem voce communi etiam aliquanto altiore, qua scilicet uti solet Judex pronuncians in Curia sententiam contra reum, quia sic verificatur loqui formaliter, & particula *Te* directæ ad præsentem. Quod maxime valet in absolutione, quæ datur pluribus simul in casu Prælii, Terræmotus; &c. dicendo, *Absolvo Vos*, &c. tot enim tunc absolvuntur, ad quot pertinere posset vox loquentis ad præsentem, & verificari *ly Te*: ordinarie tamen expedit absolvere voce submissa, ne circumstantes advertere possint, quando negatur: Croix num. 652. Hinc Gob. t. 7. num. 288. ait, se, si aliter commode nequeat, sine scrupulo absolutorum eum, qui adhuc est intra cancellos Confessionalis, non jubendo iterum genuflectere. Et Bon. Lug. Tamb. & alii dicunt, si non posset commode vocari, adhuc absolvi posse pœnitentem abeuntem à Confessionali, & aliis vicinis permixtum, quia adhuc est moraliter præsens. At nimis laxum est, quod addunt Bon. Leand. Moy. & alii, sufficere, quousque Confessarius aliquo sensu percipere possit pœnitentem, etiam si distet ad 20. passus, ut addit Molf. nam certum est, me posse videre simpliciter absentem, quin possim absolvere, & verificare particulam *Te*: Tamb. & alii. A fortiori rejicitur communiter Leand. dicens, Sacerdotem, modo videat domum moribundi, posse illum absolvere: nam sic nullo sensu illum percipit, nec ullo pacto dici potest simpliciter præsens: Tamb. Gob. & alii communiter.

Dico secundo : Ad essentiam absolutionis Sacramentalis non videntur sufficere hæc tantum verba *Absolvo te*, ut probabiliter docent D. Th. D. Anton. Suar. & alii communiter ex Catech. Rom. sed requiritur insuper *A peccatis*; ut probabilius docent Gabr. Lug. Averf. Arr. Palud. Major. Pasqual. Martinon. Gorm. & alii. Ratio est, quia Christus instituens hoc Sacramentum Joan. 20. expresse ait, *Quorum remisistis peccata*: sicut ergo, quia dixit *Quorum*, exprimendum est *Te*; ita, quia dixit *peccata*, exprimendum est, *A peccatis*. Idque est verum, etiamsi pœnitens unicum habeat peccatum post baptismum; quia ex communi modo loquendi sæpe ponitur plurale pro singulari; ideoque nec in Rit. Rom. ponitur necessario *ly Ab omnibus*, sed tantum *A peccatis*.

Objicies: Dum Confessarius dicit pœnitenti, *Absolvo Te*, ex circumstantiis confessionis factæ, & simul ex intentione Confessarii sufficienter determinantur hæc verba ad significandam absolutionem à peccatis: ergo non requiritur essentialiter, ut expresse dicatur *A peccatis*.

Respondeo, nego consequentiam. Christus enim pro forma absolutionis Sacramentalis assumpsit solum verba, ut à Sacerdote prolata, ac per se ipsa determinate significantia absolutionem pœnitentis præsentis à peccatis, & non mere determinata ex circumstantiis: aliter sufficeret etiam, si Confessarius digito demonstrans pœnitentem præsentem, & confessum, dicat tantum, *Absolvo*; cum ex circumstantiis etiam pateat, velle eum absolvere à peccatis, quod tamen communiter rejicitur contra Sot. male in hoc audientem, teste Averf.

Infers primo, Non requiri essentialiter *ly Ego*, & *ly Tuis*; quia primum sufficienter exprimitur per personam primam verbi *Absolvo*, secundum per primitivum secundæ personæ *Te*; peccat tamen Confessarius hæc omittens contra consuetudinem, & præscriptum Ecclesiæ; venialiter tamen, quia parum notabilis est hæc mutatio; mortaliter vero peccat, si omittens *ly Te*, dicat *Absolvo à peccatis tuis*, quia valde notabilis est mutatio; et si valeat ea absolutio, cum *ly Te* includatur in *ly Tuis*: Croix à num. 639. Item venialiter peccat, si pro *ly Te* dicat *Dominationem*, *Excellentiam*, *Majestatem tuam*, &c. Et similiter, si absque necessitate absolvat simul plures, dicendo *Vos*, &c. Henr. Val. Reg. & alii contra Scot. Gabr. Con. dicentes, in hoc peccari mortaliter: item

item venialiter peccat, si sciens latino, absolvat vulgari idiomate: Vafq. Dicast. & alii.

Infers secundo, Quod, quamvis Christus in institutione hujus Sacramenti dixerit *Remiseritis*, tamen Ecclesia ex traditione merito uritur synonymo, *Absolvo*, ad significandam sententiam judicialem Confessarii contra Hæreticos damnatos à Trid. *sess. 14. cap. 6. can. 9.* dicentes, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi, remissa esse peccata. Imo, etsi peccata pœnitentis fuerint ante remissa à Deo per contritionem, adhuc tamen Confessarius vere dicit *Absolvo*, etsi nihil tunc sit absolvendum, quia verba absolutionis Sacramentalis ex humana institutione habent hunc sensum; *Quantum est ex me, judicialiter libero te à peccatis*; & rursus in institutione Christi habent hunc alium sensum: *Quantum ex me est, confero tibi gratiam per se remissivam peccatorum*, adeoque, quæ remitteret, si non inveniret jam remissa: & revera Deus per infusionem novæ gratiæ iterum cedit jure ad odium peccatoris: Croix, & alii. Cæterum valet absolutio, si dicas, *Remitto, Condoneo, Solvo, Libero te à peccatis*, quia sunt synonyma; peccas tamen saltem venialiter contra consuetudinem, & præscriptum Ecclesiæ: si autem dicas, *Mundo te à peccatis*, est adeo notabilis mutatio, ut sit dubium de valore, cum nullam habeat speciem judicialis sententiæ; & à fortiori, si dicas modo deprecativo, *O Deus, absolute hunc à peccatis*: D. Th. & alii: idemque ait Lug. contra Arr., si modo imperativo dicas, *Absolvat te Deus à peccatis*. Et Croix num. 639. etiam dubitat de valore, si dicas, *Sis absolutus*, vel *Absolvaris à peccatis*. Valet tamen, si dicas, *Jubeo, volo te absolutum à peccatis*; *Tu à me absolveris à peccatis, &c.* quia adhuc exprimitur actus judicialis.

Infers tertio, Non requiri ad essentiam absolutionis Sacramentalis *In nomine Patris, &c.* Doctores communissime contra Dur. & Aur. quia nullatenus id exprimitur in verbis Christi instituentis hoc Sacramentum; sed tantum in forma baptismi exprimuntur, Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine, &c.* & ratio diversitatis esse potuit, quia baptismus est speciale Sacramentum Fidei; ideoque merito Christus in eo requisivit

vit professionem Dei Unius, & Trini; quæ ratio non militat in Sacramento pœnitentiæ: peccat tamen saltem venialiter Confessarius id omittens contra consuetudinem, & præscriptum Ecclesiæ. Cæterum, si omittat ante confessionem dicere, *Dominus sit in corde tuo, &c.* & ante absolutionem, *Misereatur tui, &c.* & post absolutionem, *Passio Domini nostri, &c.* non peccat, quia dicuntur ex consuetudine libera: Lug. d. 13. num. 9. Ait tamen Gob. num. 161. addendum ly *Passio Domini nostri, &c.* etiam pœnitente recedente; quia per hæc verba probabiliter elevantur omnia opera bona illius ad satisfactionem Sacramentalem, eaque de causa posse minui pœnitentiam, juxta Nav. & Dian. pag. 3. tract. 4. r. 82. Itaque sufficit ex Rit. Rom. incipere, *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, &c.* . . . & in confessionibus brevibus addere: *Ego absolvo te à censuris, & peccatis tuis in nomine, &c.* & in confessionibus longis, *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis, si sit in Sacris) & Interdicti, &c.* *Ego absolvo te à peccatis tuis in nomine, &c.* Addit demum Gob. num. 161. si multi adsint pœnitentes, etiam omitti posse ly *Dominus noster, &c.*

Quæres primo, Quomodo danda sit absolutio Sacramentalis?

Respondeo, Servandam esse consuetudinem cujusque loci, & Ecclesiæ, ex Rit. Rom. Quidam absolvent tecto capite, quo se judices ostendant, ut volebat Sa: quam tamen sententiam expunctam ex ejus libris à Sacris censoribus testatur Raynaud. Mos ergo communis est, ut fiat detecto capite, ut significetur absolvere nomine Christi. Gob. non damnat peccati eum, qui absque scandalo absolvit tectus pileolo plicatili. Item communiter elevantur manus ad verba, *Dominus noster, &c.* & formatur Crux ad verba, *In nomine patris, &c.* quæ tamen omittere per se non est peccatum, ut notat Croix. Nec hodie obligat mos antiquus imponendi manus capiti pœnitentis, ex quo hoc Sacramentum vocabatur *Impositio manuum*: Gob. num. 163. Item Confessarii seculares utuntur superpelliceo, & stola, quando in templo publice absolvent; & alicubi est eis injunctum sub censura. Item sedendo absolvitur etiam Rex, vel Pontifex, quia tunc confessarius est Judex. Quoad

Quoad modum internum, danda est absolutio cum debita intentione saltem virtuali; item cum debita attentione, ita ut distractio voluntaria sit saltem grave veniale: Gob. tract. 7. num. 177. Si vero erret circa personam, putans Titium, quem absolvit, esse Cajum, valet; quia intentio saltem virtualis est absolvere præsentem: Doctores communiter. Si absolvat Sacramentaliter coactus metu gravi, adhuc valet, modo metus incussus sit à tertia persona, & pœnitens bona fide accesserit; quia sic nullo jure irritatur. Uti econtra irritatur absolutio à censuris data ex metu, ex cap. *Un. de his, quæ vi.* Denique, si duo Sacerdotes accurrentes ad moribundum absolverent, ita ut singuli habeant hanc intentionem conditionatam, *Si alter non absolvat*, tunc neuter absolvit, quia neutrius purificatur conditio: Suar. d. 23. f. 3. Si autem absolute uterque absolveret, conficerentur duo Sacramenta.

Quæres secundo, An absolutioni Sacramentali præmittenda sit absolutio à censuris?

Respondeo affirmative, Ita ut graviter peccet Sacerdos, si putans, pœnitentem esse excommunicatum, etiamsi excommunicatione minori, absolvat à peccatis, antequam absolvat à censuris; quia Ecclesia graviter prohibet, ne talis ullum recipiat Sacramentum: Suar. & alii communiter. Quare tunc Confessarius teneretur subjungere absolutionem ab excommunicatione, non tamen repeterè absolutionem à peccatis, quia excommunicatio non obstat Sacramento, quando pœnitens non fuit in culpa: Suar. d. 31. Nav. & alii contra Sancium, & alios. Si autem Confessarius intendens agere, quantum potest, solum protulit absolutionem à peccatis; tunc, si habebat facultatem absolvendi à censura, satis probabile est, etiam absolvisse ab illa, quia in absolutione à peccatis videtur includi etiam ex ea voluntate absolutio ab omni eo, quod è peccato nascitur: Suar. Tamb. & alii: quod præsertim valet, cum pœnitens agit animam, ita ut sit periculum mortis, antequam detur absolutio à peccatis. At, si Confessarius non habebat facultatem super censura, pœnitens ab hac non fuit absolutus, extra articulum mortis; quamvis ob bonam ejus fidem maneat absolutus à peccatis, quæ subjecta erant huic Confessario: Croix num. 1569. Cæterum Suspendio, & Interdictum, cui pœnitens non dedit cau-

sam, ex cap. *Alma Mater*, cum non privent usu passivo hujus Sacramenti, non foret mortale, si absolventur post absolutionem à peccatis: regulariter tamen absolvi debent ante.

Quæres tertio, Quænam sit forma absolvendi à censuris?

Respondeo, Quamvis sufficiant quæcunque verba, imo etiam signa, & nutus externi cum intentione interna; tamen ex Rit. Rom. sunt sequentes: Pro foro interno: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis (Suspensionis, si pœnitens sit in Sacris) & interdicti, quantum possum, & tu indiges; Et in brevibus Confessionibus, Absolvo te à censuris, & peccatis tuis, &c.* juxta jam dicta: quod si ex delegatione ex litteris S. Pœnitentiariæ, aut Episcopi, absolvas in eodem foro, dicas: *Auctoritate SS. Domini nostri Papæ (vel RR. Episcopi) mihi concessa, absolvo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi (vel incurrisse declaratus es) propter tale factum (vel Causam) & restituo te communioni, & unioni Fidelium, & Sacramentis Ecclesiæ, in nomine, &c.* Si vero agatur de Irregularitate in eodem foro, dicatur post absolutionem à censuris: *Eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate, in quam ob talem causam (hanc nominando) incurristi, & habilem reddo, & restituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum, in nomine, &c.* At, si detur absolutio à censuris publice, & pro foro externo, sunt plures cæremonix servandæ, ut habetur in Rit. Rom.

Quæres demum, quomodo exequendæ sint litteræ S. Pœnitentiariæ pro absolutione à Censuris, &c.

Respondeo, De hoc actum esse in Tract. de Legib. dif. 4. quæst. 3. c. 1. ex quibus solum noto primo, Si dicat, ut absolvas ab omnibus reservationibus, & censuris, *Quas propter præmissa quomodolibet incurrerit*, Krimer ait, etiam posse absolvere ab iis, quæ non ex peccato, ob quod dispensatur, sed aliunde proveniant, quia Pontifex tacite vult removeri, quidquid dispensationem impediatur: arg. c. *Præterea, de off. & potest. Jud. Del.* sed contradicit Croix, quia dispensatio non trahitur ad disparata. Secundo, si pœnitens nolit secum dispensari, aut non posset ex defectu alicujus conditionis, &c. nec posset absolvi à Censuris, &c. quia additur ibi, *Ad effectum*

concessæ gratiæ. Tertio, Si dispensatio danda esset saltem post duos, aut tres annos, posset etiam nunc absolvi in ordine ad illam tunc ab eodem accipiendam; Lugo, Gob. num. 199. & sic, etiamsi interim relabatur in easdem censuras, &c. quamvis dicatur, *Hac vice absolvas*; quia durat hæc potestas, quamdiu ex rationabili causa durat executio dispensationis, quæ est ejus finis: Gob. num. 204. Quarto, Si dicat, ut injungatur *Gravis pœnitentia*, & pœnitens antea confessus proportionatam pœnitentiam accepit, aut lucratus est Indulgentias, aut accedat cum magna contritione, gravis pœnitentia mutari potest in levem: Gob. n. 208. Secus vero, si ibidem determinetur in specie, ut si dicat, *Confessionem unam singulis mensibus*, hæc durabit tota vita, etsi poterit eadem confessione menstrua satisfieri alii obligationi.

CAPUT II.

Quando, & Quomodo danda sit, vel iteranda Absolutio?

CONFESSARIO, ut licite absolvat, constare moraliter debet, Pœnitentem esse rite dispositum; quia secus exponeret Sacramentum periculo frustrationis: Busemb. & alii communiter. Verum hæc moralis certitudo non est accipienda absolute, sed respective ad pœnitentem, ex quo, si haberi nequeat notitia major, quam probabilis, & aliunde non appareat grave motivum in oppositum, ea erit sufficiens certitudo moralis respectiva. Hoc supposito

Dico primo: Confessarius, qui audivit in confessione peccata Pœnitentis, & prudenter judicat rite dispositum, seque præditum jurisdictione in illum, tenetur sub gravi eum absolvere: Doctores communiter. Ratio est, quia talis Pœnitens per confessionem acquisivit jus ad absolutionem, etiamsi confessus fuerit tantum veniale, cum semper sit jus grave ratione gratiæ acquirendæ per sacramentum: ergo, &c. Hinc absolvi tunc debet absolute, ita ut graviter peccet Confessarius, si eum absolvat conditionate, utpote constat jus absolutum: Lug. d. 17. f. 3. Item per se loquendo absolvi debet statim, ob eandem rationem; ideoque in Jansenistas damnatur ab

Alexand. VIII. hæc Prop. 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* Monent tamen communiter Doctores, aliquando per accidens posse differri tali Pœnitenti absolutionem, si nimirum prudenter judicet Confessarius, eam dilationem redundare in majus ipsius bonum, pro concipiendo scilicet majori horrore peccati, acriore dolore, ac firmiori proposito; sic enim non facit contra ejus jus, sed favet potius, agitque officium boni Medici, prout infirmitas ejus postulat. Cæterum, id ne fiat in articulo, vel periculo mortis, neque in casu necessitatis communicandi ad vitandum scandalum, vel infamiam; neque, si alias diu careret opportunitate confitendi; neque, si alias non posset lucrari indulgentiam; quia sic non esset majus ejus bonum; Lugo ibid.

Dico secundo: Si Confessarius prudenter dubitet de dispositione Pœnitentis, non potest eum absolvere absolute, potest tamen, & aliquando debet eum absolvere conditionate: Doctores communiter. Ratio est, quia, si cum tali dubio absolveret absolute, exponeret Sacramentum periculo frustrationis. Quia tamen aliquando charitas exigit consulere optimo modo salutis talis pœnitentis, ideo aliquando potest, ac debet absolvi sub conditione, per quam etiam providetur reverentiæ debitæ Sacramento: puta in articulo mortis, si prudens sit dubium, utrum vivat, an expiraverit? Utrum signa, quæ dat, sint contritionis, an morbi, &c. tunc enim omnino debes absolvere sub conditione, *Si capax es, si es dispositus, &c.* idque, etiamsi valde tenuis sit probabilitas, quod vivat, quod sit dispositus, juxta dicta q. 1. c. Similiter pueri, semifatui, alique, de quibus prudenter dubitas, an habuerint usum rationis sufficientem ad peccandum, an sufficienter doleant, ut oportet, an integre confiteantur, &c. absolvi debent sub conditione in his circumstantiis; nempe tempore Præcepti Paschalis; in casu necessitatis ad vitandum scandalum, aut infamiam; si alias diu carere deberent confessione; & ut addit Gob. si aliter lucrari non possent indulgentiam. Extra has circumstantias, si afferant materiam de se gravem, & dubium sit, an in ea revera peccaverint, an sufficienter doleant, &c. debent etiam absolvi sub conditione, ne, si forte peccaverint, vivant in peccato: at, si afferant materiam de se levem, & dubium sit, an simpliciter in ea peccaverint, an doleant, &c. Sporer,

Sporer, & alii dicunt, non posse absolvi, ne sub conditione quidem, quia, cum nulla sit necessitas, fieret injuria Sacramento. Laym. Dian. Dicast. Lug. num. 22. dicunt posse, tum ne priventur gratia Sacramenti, tum ne, si forte habeant mortale occultum, vivant in eo statu. Cæterum, si nullum afferant materiam, vel nulla sit, ne tenuis quidem, probabilitas dispositionis, non possunt ne in articulo quidem mortis absolvi sub conditione, juxta dicta q. 1. c. nuper cit.

Quæres primo, An, quando absolutio datur sub conditione, debeat hæc exprimi verbis?

Respondeo probabiliter negative; quia conditio, etiam si mente tantum sit apposita, adhuc reddit absolutionem conditionatam, cum absolutio secundum sensum à Christo intentum tacite involvat conditionem hic & nunc necessariam, juxta valorem Sacramenti: Con. Less. Dicast. & alii contra Caramuel. & Haunold, dicentem, regulariter fore peccatum, si non exprimatur. Addunt Croix Pal. Gorm. & alii, sæpissime non expedire, ut exprimatur, præsertim si prævideatur offensio pœnitentis. Addit Gob. t. 7. n. 271. sufficere, si conditio habeatur implicite in mente Confessarii, qua scilicet vult audire confessiones secundum institutionem Christi, & intentionem Ecclesiæ. Cæterum, si in casu necessitatis ad vitandum scandalum, &c. absolvas sub hac conditione, *Si habeo facultatem ad reservata*, de qua prudenter dubitas, debes id manifestare pœnitenti, ut postea videatur, an teneatur adire Superiorem pro illis. Denique, si absolvas sub conditione de futuro, puta *Si restituet, &c.* peccas mortaliter, quia, cum nequeat suspendi Sacramentum, esset simpliciter nullum. Si autem absolvas sub conditione de præsentis, sed omnino extrinseca Sacramento, puta, *Si est vir nobilis, &c.* peccas quidem, sed valet Sacramentum, si ille revera sit talis.

Quæres secundo, An aliquando iteranda sit absolutio?

Respondeo, Esse ex genere suo sacrilegium mortale iterare absolutionem eorundem omnino peccatorum in eadem confessione; quia secunda absolutio est irrita ex defectu novæ materiæ, scilicet novi peccati, vel novi doloris: Bonac Gob. t. 7. num. 171. Si vero pœnitens statim post absolutionem addat nova venialia, vel circumstantias non notabiliter aggravantes, non est necesse iterum

iterum absolvere; si tamen absolvas, expedit id facere submissa voce, nec formata cruce (uti etiam fieri debet, si afferat novum mortale) ne scilicet Circumstantes suspicentur attulisse aliquod grave: Croix n. 644. At, si rationabiliter dubites, an absolveris poenitentem, an protuleris verba essentialia, an cum debita intentione, &c. teneris (& quidem sub gravi, si poenitens confessus sit mortalia; si venialia, & sit innocens anima, probabiliter sub levi: Gob. t. 7. n. 171.) iterum absolvere sub conditione mente concepta, *Si antea non absolvi, si prior non fuit valida, &c.* Quod, si poenitens surrexit a confessionario, potes eum discedentem submissa voce absolvere, modo adhuc sit moraliter praesens, juxta dicta c. 1. Imo etiam poteris multo post, si videas, eum petere communionem, quia adhuc censetur dispositus: Gob. & alii. At, si ille jam abiit, & confessus fuit mortalia; tunc, si est periculum, ne amplius confiteatur (ut esset graviter aegrotus) teneris etiam cum tuo gravi incommodo illum reperire; quia tunc est periculum mortis aeternae illius: Tambur. Lugo, & alii. Si vero tale periculum non sit, sed potius spes, ut iterum confiteatur, non est tanta obligatio; quia in sequenti confessione indirecte absolvetur ab aliis antea non absolutis: Tambur. l. 3. Conf. c. 8. num. 5. Quare, si iterum redeat ad confitendum, excita in eo dolorem de omnibus tibi confessis, & absolve, tacito tuo priori defectu; si non redeat, debes, si commode potes, invenire, & monere de tuo defectu, petita prius licentia, & probabiliter etiam non petita, imo etiam negata; cum haec absolutio spectet ad conficiendum Sacramentum inceptum jam, & nondum completum: Suarez, Fil. Hurt. Laym. & alii apud Croix num. 1775.

Quae dicta sunt, procedunt, quando dubium est rationabile. Nam, si sit leve, an absolveris, necne, &c. Gob. num. 171. dicit, esse mortale, si repetas etiam sub conditione absolutionem, quia moveris ex inani dubio, & imprudenter in materia gravi. Tamb. l. 1. de Sac. c. 1. §. 3. dicit, esse tantum veniale, quia non irrogatur, nisi levis imprudentiae injuria Sacramento. Croix l. c. ait, plurimos Confessarios in talibus repetitionibus omnino excusari idcirco, quod non apprehendant vanitatem sui scrupuli, aut in eas compingantur angustias, ut apprehendant peccatum sive repetant, sive non repetant;

petant; cum tunc sit minus malum iterare; *Non enim temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis*, inquit S. Leo. Cæterum ex eo, quod protuleris formam distractus, non habes rationabilem causam dubitandi, an revera integre protuleris: similiter, si ob distractionem ignores, an protuleris verba essentialia, sed scias, te dixisse *In nomine Patris, &c.* nisi vero non sis habituatus integre omnia proferre: Gob. n. 176. Si autem sine determinatione, utrum velis absolvere à censuris, an à peccatis, dicas *Absolvo te*, non peccas, si, statim ac te determines, repetas eadem verba, quia probabile est, in his tantum verbis non contineri absolutionem Sacramentalem, & potes inter probabiles sequi tutiorem; uti neque peccas, si non repetens determines voluntatem prosequendo, quia sufficit, si verba absolutionis habeant suam determinatam significationem, quando profertur ultima syllaba: Gob. t. 7. n. 155.

CAPUT III.

An aliquando neganda sit, vel differenda Absolutio?

VIDENDUM I. de ignorante Mysteria Fidei: II. de habente occasionem proximam: III. de Recidivo.

§. I.

Quid de ignorante Mysteria Fidei?

DICO primo: Qui sive culpabiliter, sive inculpabiliter ignorat hæc duo Mysteria, *Quod unus Deus sit, & quod Remunerator sit*, nullatenus potest absolvi. Ratio est, quia horum fides explicita est necessaria necessitate mediæ ad justificationem, ex Apost. ad Hebr. II. *Accedentem ad Deum oportet credere: quia est, & quod Remunerator sit*: ergo adultus, qui hæc ignorat, non potest justificari per Sacramentum Pœnitentiæ: & consequenter ne in articulo quidem mortis potest absolvi sub conditione, sed debet prius breviter de his instrui, ita ut explicite ea credat; aliter est certo indispositus.

Dico

Dico secundo : qui siue culpabiliter, siue inculpabiliter ignorat hæc alia duo, *Trinitatem, & Incarnationem*, non potest licite absolvi extra articulum mortis. Ratio est, quia, quamvis multi cum Gran. & Sanchez probabiliter dicant, hæc duo mysteria esse necessaria tantum necessitate præcepti; tamen alii communius cum Suar. Con. Sot. probabiliter, imo & probabilius docent, esse necessaria necessitate medii: ergo, si Confessarius talem ignorantem absolveret, peccaret sequendo primam opinionem probabilem relicta secunda tutiore, adeoque exponendo Sacramentum periculo frustrationis; quod damnatur ab Innocent. XI. Prop. 1. Ideoque ab eodem damnatur hæc alia Prop. 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C.* Hinc in articulo mortis debet confessarius breviter talem ignorantem instruere de his mysteriis, antequam absolvat. At, si nullum omnino esset tempus instruendi, absolvere eum potest, ac debet sub conditione; quia in tali casu potest, ac debet uti prima opinione probabili, & conditio apposita salvat reverentiam debitam Sacramento: in dicta enim propositione solum damnatur, quod fit *Capax* absolutionis licitæ, non autem absolutionis validæ; cum adhuc hodie maneat probabilis prima illa sententia: unde etiam infert March. apud Dian. p. 5. t. 13. r. 84. non esse repentendas confessiones factas ab eo, qui ignorabat hæc mysteria, quia probabile est, quod sit valide absolutus: v. dicta tr. 2. d. 1. q. 1. c. 1. §. 2. quæsito 3.

Dico tertio: Qui siue culpabiliter, siue inculpabiliter ignorat reliqua Mysteria Fidei ab omnibus scienda, & credenda ex necessitate præcepti, regulariter non est absolvendus, donec addiscat. Ratio est, quia hæc Mysteria sunt Symbolum Apostolorum, oratio Dominica, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, Sacramenta omnibus necessaria, scilicet Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, & quæ ad hæc recipienda requiruntur. Sed, qui talia ignorat, quamvis proponat addiscere, tamen ex communiter contingentibus præsumitur, quod nolit efficaciter addiscere; ergo regulariter differenda est ei absolutio, donec addiscat. Dixi *regulariter*; nam in articulo mortis est absolute absolvendus: item in casu necessitatis communicandi ad vitandum scandalum, aut infamiam,
aut

aut aliud grave damnum; modo doleat de sua negligentia, si fuit negligens, & proponat postea addiscere. Cæterum præceptum hæc addiscendi memoriter ex consuetudine solum obligat sub veniali: Nav. Lop. & alii contra Barbos. Quare, si ea ita imperfecte sciat, ut saltem interrogatus sciat respondere, potest licite absolvi, etsi nesciat ea memoriter recitare. Si vero nec sciat respondere, instrui prius debet, vel remitti ad Parochum, qui tenetur ex officio eum instruere. At, si quis sit adeo stolidus, ut nullam propriam rationem de his Mysteriis formare queat, est quoad hoc adnumerandus inter infantes, & perpetuo amentes: Tann. Vide dicta §. supra cit. n. 2. quæsit. 6,

§. II.

Quid de habente occasionem proximam?

OCCASIO peccandi alia est remota, alia proxima. Remota dicitur, in qua quis nunquam, aut raro admodum peccavit, nec prudenter timet, se peccaturum; ut si decies accesserit ad tale consortium, & nunquam, aut forte semel, seu raro, & potius veluti casu est lapsus; & huic per se loquendo non videtur neganda absolutio, ex eo præcise, quod nolit eam occasionem deserere, quia aliter deberemus exire ex hoc mundo, ut loquuntur Theologi ex Ap. 1. ad Cor. 5. Proxima occasio dicitur, in quas quis frequenter peccavit, vel prudenter timet, se peccaturum: ut si decies accesserit, & octies, vel septies est lapsus, ea est occasio certe proxima; si vero ter, aut quater, est probabiliter proxima: Gob. in Exper. t. 7. num. 527. Et huic est omnino deneganda absolutio, si nolit deserere talem occasionem proximam peccandi mortaliter; quia jam est ei voluntaria; ideoque actuale peccatum, ex illo Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*, hoc est ipse amor periculi peccatum est, ut explicant Doctores communiter: idque verum est, etiamsi periculum sit probabiliter proximum, cum hoc etiam sit præfens animæ malum: Carden. & alii contra Caram. Gob. & Mendo. Hinc ab Inn. XI. damnatur hæc Prop. 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere.*

Dubium

Dubium est, An talis absolvi possit, antequam tollat occasionem proximam, si serio promittat eam tollere?

Negant Con. Azor. Carden. & alii; quia, qui accersit ad Confessionem, antequam illam tollat, præsumitur, nolle eam deserere; & in hoc, quod ea non deseritur, quando potest deseri, peccatur. Sed probabilius Suar. d. 32. s. 3. Cajet. Tamb. Cordub. & alii communiter affirmant; quia potuit poenitens immediate ante audiendo concionem, vel ipsius Confessarii admonitionem, aut alia ex causa, excitari ad verum dolorem. & efficax propositum tollendi illam, ita ut possit prudenter præsumi, quod de præsentem eam nolit in posterum retinere: ergo potest absolvi saltem prima vice; nam de aliis vicibus dicam §. 3. Excipe tamen cum Tambur. publicum peccatorem, qui propter scandalum debet ejicere concubinam publicam, antequam absolvatur: excipe etiam in hac Diocesi Neapolitana concubinarium, quem non possumus absolvere ante bimestre à separatione, juxta dicta in Append. c. 2. §. 2.

Quæres primo, An possit absolvi, qui versatur in occasione proxima necessaria, quam scilicet non potest tollere physice, vel moraliter?

Respondeo affirmative, Si aliunde ex signis veri doloris, & propositi prudenter præsumi possit, eum non relapsurum. Ratio est, quia talis occasio materialiter accepta est ei involuntaria; & ex dictis signis præsumi potest, quod non erit amplius voluntaria formaliter, & in ratione peccati: ergo non est, cur non possit absolvi. Sic absolvi potest, qui in eodem carcere detinetur cum concubina, quia est occasio physice necessaria: item Mancipium cohabitans apud dominum cum domestica secum peccante, quia est occasio moraliter necessaria, cum non possit deserere dominum sine injuria. Item filiusfamilias, quamvis domi adsit serva, vel alia, cum qua consuevit peccare, & quam ipse expellere domo non potest; & à fortiori, si cum fratre, sorore habet occasionem peccandi, à quorum convictu moraliter se jungi nequit: Tamb. *de Confess.* l. 3. c. 3. n. 8. Item dic de eo, qui domum, officium, artem, mercaturam, &c. in quibus frequenter peccavit, deserere non potest sine valde gravi damno, quod subire vires humanas superat; puta, si deserendo incidat in periculum vitæ, scandalum, infamie,

infamiae, mendicitatis, ac miseriae: Laym. l. 5. t. 6. c. 4. num. 9. Tenentur tamen hi omnes orationibus, jeuniis, ciliciis, frequentia Sacramentorum, aliisque remediis (praesertim iis, quae pro cuiusque necessitate, ac facultate suggeret Confessarius) reddere, quantum possunt, periculum illud à se remotum; sic enim deserunt occasionem illam formaliter, quando non possunt etiam materialiter: Doctores communiter.

Quæres secundo, An possit absolvi, qui non potest tollere occasionem proximam sine aliquo incommodo non valde gravi, si eam nolit tollere?

Respondeo negative, Quia, si damnum non est valde grave, non affert impotentiam moralem, seu superantem vires humanas ad illam rejiciendam: ergo praesumitur, quod occasio sit ei voluntaria, adeoque actu peccaminosa, & consequenter non est absolvendus, quamvis dicat firmissimum habere propositum non amplius peccandi in illa: cum hoc ipsum nolle talem occasionem tollere sit peccare, & facta sint contraria dictis. Hinc damnatur ab Alex. VII. Prop. 41. *Non est obligandus concubinarium ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgo regalo, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Idem est, etsi illam ejiciendo amitteret lucrum in negotio, cui illa sit necessaria, vel non posset recuperare, v. g. 100. aureos, quos illi mutuo dedit; quia ad retinendam proximam occasionem materialem non sufficit quæcunque utilitas, sed requiritur periculum damni valde gravis, quale esset, si v. g. non recuperando dictos 100. aureos, incideret in gravissimam necessitatem, & mendicitatem, ac miseriam, cui non posset alia via occurrere: Mendo v. *Occasio.* Idem dic de aliis occasionibus odii, rixæ, blasphemiae, detractiois, delectationis morosæ &c. Imo nec potest absolvi, qui directe quærit occasionem proximam pro quocunque bono temporali, vel spirituali, sive suo, sive alieno; ut constat ex Prop. 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit, & 63. Licitum est quærerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi,* damn. ab Inn. XI. quia ejusmodi causæ non efficiunt, ut illa occasio non sit directe volita, atque adeo
R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. M m pecc-

peccaminosa. Dixi, qui directe quærit; nam Confessarius, Chirurgus &c. qui sæpe lapsi sunt in turpes consensus, audiendo confessiones, medendo, &c. absolvi possunt, si proponant, non quærere directe eas occasiones: quamvis parati sint audire confessiones, mederi &c. ab aliis rogati, & sanctis cogitationibus muniti: Doctores communiter.

§. III.

Quid de Recidivo?

RECIDIVUS dicitur, qui post pœnitentiam relabatur in idem peccatum, five ex fragilitate, aut consuetudine, five ex occasione extrinseca.

Dico: non potest absolvi recidivus, si nulla appareat spes emendationis, etiam si ore proferat, se dolere, & proponere emendationem: potest tamen absolvi, si aliqua appareat spes emendationis. Ratio deducitur ex Prop. 60. damnata ab Innoc. XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem: ergo, si aliunde appareat spes emendationis, potest licite absolvi.* Porro signa talis spei sunt: si à confessione facta aliquanto rarius, difficilius, aut tardius peccavit: si sæpius sibi vim fecit, occasiones aliquas formales vitavit, locum, & tempus relabendi aliquando præcavit: si remedia aliqua adhibuit, præsertim ex præscriptis à Confessario: si sponte sua, & non ab aliis compulsus ad confessionem, & præsertim ad eundem Confessarium accedat: si statim post peccatum dolore tactus confiteri statuit, vel post multam luctam tandem resolvit: si initio graviora dicat, accuset se etiam de alias omissis, solícite exponat numerum, & minutas circumstantias, curetque, ut omnia bene intelligantur: si petat efficaciora remedia, desideret, aut alacriter acceptet magnam pœnitentiam, optet pati ad satisfaciendum Deo, injurias ultro condonet, &c. Hæc, vel aliqua horum prudenti Confessario esse possunt argumenta sperandi emendationem, adeoque bonæ dispositionis de præsentis, & consequenter potest licite absolvere: Croix n. 1733. Contra vero, si nihil horum appareat, etiam si ore proferat.

rat, se dolere, & proponere emendationem, nequit absolvi, cum in hoc tali nulla appareat spes emendationis.

Infers primo: Si recidivæ peccati proveniant ex sola fragilitate, aut consuetudine, non peccare Confessarium, si talem absolvat toties, quoties affulget ex prædictis signis spes aliqua emendationis, quia sic pœnitens ex parte sui aliquid affert: Laym. Lezan. Croix n. 1822. & D. Jeron. relatus c. *Septies* d. 4. de *Pœnit.* ait, *Non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad pœnitentiam, peccata condonentur.* An autem sit consilium differre huic absolutionem, pendet ex prudentia Confessarii; si enim pœnitens id non multum ægre ferat, & speretur, non ob id retrahendum à confessione, sed potius id fore medicinam, erit consilium differre absolutionem majori suavitate adhibita: si autem oppositum speretur, non erit consilium, nisi quando ille his peccatis magnum præberet scandalum: ita Sanch. l. 2. *Decal.* c. 33. num. 45.

Infers secundo, Si recidivæ proveniant ex occasione extrinseca, quam potens non deseruit, uti in priori Confessione promisit, neque peccare Confessarium, si absolvat secunda vice, si similiter appareat spes emendationis, & propositi eam mox tollendi: Suar. d. 32. f. 3. & alii communius contra Fill. Con. Azor. & alios: sic etiam passim absolvitur pœnitens per hoc, quod serio proponat restituere, quamvis antea admonitus non restituerit. Addunt Cajet. Cordub. & alii, quod possit etiam tertia, & quarta vice, præsertim, si adsint specialia signa doloris, & propositi. Quod maxime valet, cum urget Præceptum communionis Paschalis, aut necessitas ad vitandum scandalum, infamiam, &c. aut non sit ille habiturus opportunitatem redeundi, aut si alias non lucraretur indulgentiam, juxta dicta c. 2.

Quæres, An possit absolvi pœnitens, qui versatur in occasione proxima sibi necessaria, & adhibitis omnibus remediis semper labatur, ut prius?

Respondeo, non posse absolvi, nisi proponat, eam deserere etiam cum periculo omnium bonorum famæ, vitæ, &c. Ita Cajet. Nav. Lop. Regin. & alii communiter contra Pal. Tamb. Pallav, Gob. & alios. Ratio est, quia fugiendum est periculum formale peccati,

etiam cum periculo vitæ, si aliter vitari non possit; velle enim manere in illo est velle peccatum, & quique tenetur potius mori, quam peccare: ergo, si hic nequit efficere, ut occasio illa necessaria evadat sibi remota formaliter, tenetur eam deserere etiam cum quovis suo damno; & consequenter, si nolit, non est absolvendus, utpote indispositus. Neque hinc inferas, quod neque posset absolvi, qui similem habens occasionem peccandi venialiter, nolit eam deserere: nam, licet similis esset obligatio, cum præstet potius mori, quam peccare etiam venialiter; tamen hæc obligatio est sub levi, ideoque absolutio cadere posset in alia ejus peccata.

QUÆSTIO V.

De Sigillo Confessionis Sacramentalis.

VIDENDUM, Primo, Quid sit Sigillum Confessionis, & Quæ ejus Materia? Secundo, Quos, & ad Quid obliget? Tertio, An possit aliquando Confessarius uti notitia habita in Confessione?

CAPUT I.

Quid sit Sigillum Confessionis, & quæ ejus Materia?

DICO primo: Sigillum confessionis est strictissima obligatio non revelandi, neque directe, neque indirecte ea omnia, quæ cognita sunt ex confessione Sacramentali alterius, & quorum revelatio redderet confessionem odiosam: Doctores communiter. Ratio talis obligationis deducitur non solum ex jure naturali, & Ecclesiastico, sed præcipue ex jure Divino per traditionem noto, quo Christus indispensabiliter noluit, tale sigillum posse revelari, ne pro salute quidem Confessarii, aut ipsius pœnitentis, aut etiam totius mundi; ne scilicet periculum sit, confessionem Sacramentalem à se institutam reddi Fidelibus suis odiosam. Hinc differt Sigillum Sacramentale à secreto naturali, quia oritur unice ex confessione, & ex jure tum naturali, tum divino

divino obligat in omni casu, ita ut nec Pontifex, nec tota Ecclesia possit in eo dispensare: itaque violator sigilli dupliciter peccat; tum scilicet contra Justitiam ratione pacti tacite initi cum pœnitente, adeoque graviter, vel leviter pro quantitate materiæ; tum præcipue contra reverentiam debitam huic Sacramento (quod peccatum semper est grave sacrilegium, etsi materia revelata sit levis) nullam tamen incurrit irregularitatem, utpote non expressam in jure: Suar. & alii communiter contra Majolum: verum est deponendus, & detrudendus in Monasterium, si sit Sacerdos; si laicus, puniendus est pœna extraordinaria; ex cap. *Omnis Utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss.* Et, si putet, id sibi licere, est denunciandus ad inquisitionem: Molfes. & alii communiter.

Infers primo, Hoc sigillum unice oriri ex confessione Sacramentali, hoc est, ex manifestatione peccati facta cum animo se accusandi in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ: quare habetur, etiamsi talis confessio fiat Sacerdoti non approbato, nec habenti jurisdictionem, nec intentionem absolvendi, quia sufficit, si bona fide fiat cum animo se accusandi, &c. Doctores communiter. Item, etiamsi fiat Confessario nolenti audire, ut addunt Dian. Lug. & alii contra Suar. Averf. Leand. & alios; sicuti etiam, qui invitus audit peccatum confitentis alteri, tenetur ad sigillum ex communi sententia. Item, etiamsi confessio fiat laico, qui se finxit Sacerdotem, quia adhuc fit bona fide cum animo se accusandi, &c. Suar. Bon. & alii communiter contra Laym. Nugn. & alios: secus vero, si scienter fiat laico humilitatis causa: Suar. Bon. Vasq. & alii contra Nav. Palud. Leand. & alios. Item, etiamsi fiat confessio in Confessionario, putando adesse Confessarium, qui revera non adest; quia sic etiam fit cum animo se accusandi, &c. ideoque, si quis tunc aliquid audierit, tenetur ad sigillum: Gob. Circix, & alii: secus vero, si quis rudis peccata sua dicat coram statua alicujus Sancti, quia credibile non est, quod id faciat ex animo se accusandi in ordine ad Sacramentum: Gob. t. 7. num. 824.

Infers secundo, Oriri hoc sigillum, etiamsi talis confessio quacunque ex causa non finiatur, vel non sequatur absolutio, vel hæc sit invalida; quia sufficit, si in-

choata sit confessio cum dicto animo : Doctores communiter. Item, etiamsi facta sit absque dolore, proposito, integritate, aliisque requisitis ex parte pœnitentis, modo adfit dictus animus. Item, etiamsi dixerit quis peccatum suum confessario ad habendum consilium pro pacanda conscientia, cum animo tamen confitendi, si opus fuerit; quia sic habetur etiam inchoative, vel saltem reductivè confessio. Item, etiamsi prius peccata ei enarravit mere historice, vel ex jactantia, si tamen postea ex corde eidem adhuc memori addat, *Me accuso de antea tibi enarratis*: Item, si peccata scripserit ei absenti, cum animo tamen, ut postea ab eodem præsentem ab illis absolvatur; secus, si sine tali animo, vel si cum animo, ut absolvatur ab eo absente: Croix num. 1939.

Infero tertio, Nullum haberi sigillum, si quis simulet se confiteri, ita ut nullum dicat peccatum, sed tantum petat schedulam confessionis. Item, neque si dicat peccata cum animo, non quidem se accusandi in ordine ad Sacramentum, sed sollicitandi, aut injuriandi Confessarium, aut jocandi, furandi, &c. Item, neque si dicat peccatum cum animo tantum habendi consilium pro vitanda pœna, infamia, aliove damno, &c. nullatenus vero cum animo se accusandi in ordine ad Sacramentum: idque verum est, etiamsi illud peccatum dicat in confessionario; imo etiamsi addat, se illud dicere sub sigillo confessionis, & confessarius etiam sub sigillo acceptet: Suar. Vasq. Fil. Gob. & alii communiter; qui tamen addunt, servandum secretum naturale pro qualitate, & quantitate materiæ.

Dico secundo: Materia sigilli est omne id, quod, si revelaretur, redderet confessionem Sacramentalem merito odiosam. Ratio patet ex dictis. Hinc materia sigilli sunt.

Primo, Omnia, & singula mortalia, tum in genere, tum in specie, etiamsi sint dubia, aut putata, aut alias confessa, aut etiam designata in futurum, modo cognita sint ex confessione Sacramentali, in qua proinde, si voce alta Confessarius interroget pœnitentem, *Quoties peccaverit*, frangit sigillum, quia revelat adstantibus, materiam esse gravem: similiter, si alta voce acriter increpet, vel imponat pœnitentiam gravem: similiter, si

si injungat magnam pœnitentiam publicam pro peccatis occultis, nisi consentiat pœnitens: Nav. Fagun. & alii; imo sunt etiam materia sigilli peccata publica, ita ut non possit Confessarius de Titio publico usurario dicere, *Cum magna contritione confessum esse sibi suas usuras*; si autem peccatum esset aliunde notum Confessario, non frangit sigillum, si de eo loquatur, nulla facta mentione confessionis, nec certius, vel amplius affirmet, quam quod extra confessionem novit; quia confessio non privat jure loquendi de rebus, quas ante, vel post aliunde novit; modo addat, unde sciverit, ad tollendam omnem suspicionem revelationis confessionis: Nav. Suar. & alii communiter contra Henr, Farin. Abb. & alios.

Secundo, Sunt materia sigilli omnes circumstantiæ, & ea omnia, quæ dicta sunt à pœnitente ad explicandum suum peccatum, etiam si non essent necessaria, nec forte utilia ad illud explicandum: ut si ad explicandum suum peccatum dixerit, se esse pauperem, illegitimum, aut alium defectum, vel circumstantiam, quam pœnitens non libenter diceret extra confessionem: secus vero est de aliis defectibus naturalibus, qui ex modo confitendi innotescunt, ut quod sit blæsus, rudis, tardi ingenii, &c. vel de aliis circumstantiis, quas pœnitens non ægre vult sciri, ut quod sit Sacerdos, Uxoratus, Germanus, &c. Lug. Tamb. Avers. q. 18. f. 4. Sub sigillum etiam cadunt pœnæ peccatorum, ut censuræ, inhabilitates, item impedimenta cognita ex confessione.

Tertio, Sunt materia sigilli omnia, & singula venialia in specie; ut si Confessarius revelaret, Titium sibi confessum *verbum otiosum*: non autem venialia in genere; ut si dicat, confessum esse *Venialia*; quia hoc non aliud significat, quam quod receperit Sacramentum, in quo aliquod saltem veniale absolvi debet. Si vero dicat, *Plura*, vel *Nova venialia*, Henr. Lug. & alii contra alios apud Croix num. 1972. dicunt, frangi sigillum, quia potuit confiteri unum, vel tantum vetera; tutius ergo erit dicere, confessum esse *materiam venialem*. At, si auditis duorum confessionibus, de uno dicat, habere tantum materiam venialem, esse timoræ conscientiæ, &c. frangit sigillum, si hoc dicat respective ad alterum, quia indirecte significat, alterum

non esse talem : fecus vero , si absque ullo ejusmodi respectu : Suar. d. 33. f. 3. n. 9. & alii.

Quarto , Sunt materia figilli etiam scrupuli , si eos pœnitens afferat ad declarandam conscientiam , aut peccata : Lug. d. 23. f. 5. n. 60. contra Marchant. Si autem cognoscantur tantum ex modo confitendi , negat Lug. frangi sigillum , cui adhæret Tamb. si sint palam noti : addit Leand. posse dici , *Illum esse scrupulosum* , quia regulariter loquendo , id potius est indicium bonæ , & timoratae conscientia ; sed Croix ait , perinde esse , sive Confessarius eos audierit , sive viderit in pœnitente ; cum jam noverit ex ipso actu confessionis , & molestum esset pœnitenti , si promovendus esset ad Prælaturam , & Confessarius diceret , eum esse scrupulosum , irrefolutum , morosum , &c. idemque ait de aliis defectibus merè naturalibus.

Quinto , Sunt materia figilli etiam vota , virtutes , aliæque bona pœnitentis , si ab eo dicta sint in ordine ad declaranda sua peccata : sic , si habens votum castitatis confiteatur , se fornicatum fuisse , votum cadit sub sigillum : Lug. d. 23. n. 52. Similiter , virtutes , aut dona divina cadunt sub sigillum , si pœnitens confiteatur , se fuisse pro his ingratum , &c. Lug. num. 48. Secus vero , si hæc dicat quidem in confessione , non tamen ratione alicujus peccati , sed tantum , ut status animæ suæ innotescat Confessario : Lug. Stoz. Croix & alii.

Sexto , Sunt materia figilli etiam peccata aliena dicta à pœnitente , ut connexa peccatis propriis : ut , si mater dicat , se imprecaturam esse filio furaci , moroso , imprudenti , &c. hæc vitia filii cadunt sub sigillum . Stoz. Croix ; & alii. Similiter peccatum complicitis dictum etiam absque necessitate in confessione est materia figilli , quia aliquo modo ad eam confessionem spectat : Suar. Averf. & alii contra De la cruz. Contra vero non cadunt sub sigillum peccata aliena , si tantum historice in confessione narrentur , & absque ulla prorsus connexionem cum propriis , quia sic se habent omnino impertinenter ad confessionem ; quamvis etiam tunc cavendum est scandalum , & offensio pœnitentis , ut bene monet Croix num. 1948.

Septimo demum , Cadit sub sigillum etiam id , quod dubitatur , an sit materia figilli : ut si Confessarius dubitet , an aliquid audierit intra , an extra confessionem , &c. quia

quia in dubio standum pro pœnitente, ne confessio fiat odiosa: Suar. Bon. & alii communiter contra Bardi, cujus opinio habet plus speculativæ, quam practicæ probabilitatis: Gob. num. 848. Idem ait Croix, si tantum probabile sit, quod nulla sit fractio sigilli; quia sequendo meram probabilitatem contra pœnitentem, confessio hominibus etiam fieret odiosa: ideoque expedit sequi eas Doctorum opiniones, quæ favent sigillo, quia in pari probabilitate non prævalet possessio tuæ libertatis, cum obstet periculum saltem, quod confessio reddatur odiosa: Dian. Gob. t. 7. n. 855.

CAPUT II.

Quos, & ad quid obliget Sigillum?

DICO primo: Sigillum obligat omnes, & singulos, ad quos notitia materiæ sigillo clausæ, sive immediate, sive mediate, sive licite, sive illicite, pervenerit: Doctores communiter: ratio est, quia quivis horum, si revelaret, redderet confessionem Sacramentalem merito odiosam.

Hinc obligatur Primo, Confessarius, etiam putatus, juxta dicta c. 1. non autem pœnitens circa ea, quæ novit ex Confessario in sua confessione, quod scilicet sit indoctus, imprudens, &c. quia sigillum non est à Christo inductum in gratiam Confessarii, sed Pœnitentis: Averf. l. 5. & alii communiter contra Adrian. Palud. & Nav. tenetur tamen pœnitens secreto naturali circa defectus sui Confessarii, ut patet.

Secundo, Obligatur Superior, à quo petitur licentia absolvendi aliquem à reservatis, vel cui se sistit, qui fuerit absolutus ab alio cum onere, &c. Suarez, Lug. Dicast. dicens, hoc esse certum contra Con. Vasq. & alios.

Tertio, Obligatur interpres pœnitentis: D. Thom. Suarez, & alii communiter contra Cajet. & Sat. Item, qui per examen peccatorum dirigit aliquem ad confessionem, etiam cras faciendam alteri: Croix n. 1952. & alii contra Con. & Henr. Item is, cui quis dicit sua peccata, ut postea ex ejus scripto confiteatur alteri: Præp. & alii.

M m 5

Quarto,

Quarto, Obligatur, qui, five ex industria (in qua peccat mortaliter) five ex casu, aut necessitate audit, dum pœnitens confitetur alteri: D. Th. & alii communiter contra Sot. Henr. & Becan. & similiter ille, cui talis auditor illicite revelavit, aut Confessarius licite, vel illicite dixit, & sic de reliquis, ad quos talis notitia pervenerit; quia transit cum suo onere sigilli. Si vero pœnitens omnino sponte ad majorem sui confusionem publice confiteatur coram Confessario, & aliis, Con. & Pal. Pal. putant, solum Confessarium obligari; Stoz vult, obligari etiam alios, si ita velit pœnitens; Lug. d. 23. & Averf. f. 5. dicunt, ipso facto censeride tam licentiam omnibus.

Quinto, Obligatur, qui legit chartam confessionis traditam à pœnitente Confessario, & ab hoc deperditam; quia esset idem, ac si audisset in confessione: Vivald. Veg. Laym. Lug. & alii contra Henr. Gran. & alios; & peccat insuper, si advertenter legat. Si autem legat, antequam tradatur Confessario, Pal. Averf. & alii multi dicunt, obligari solum secreto naturali, quia ea charta non est actualis confessio, nec signum, quo pœnitens manifestat peccata Confessario; sed tantum, ut ea sibi manifestet, & memoria retineat; sed contradicunt Nav. Veg. Graf. Dian. Gorm. & alii, quia videtur esse quedam inchoata confessio, quod ex communi sententia est verum, si charta sit pœnitentis muti, quia sic intendit manifestare peccata sua Confessario: si autem missa sit Confessario distanti, non censetur in ordine ad confessionem; cum nemo possit, neque adeo præsumatur velle sic confiteri: Croix, & alii.

Dico secundo: Qui obligatus est sigillo, in nullo profus casu, neque directe, neque indirecte, potest ejus materiam ulli revelare, nec ipsi pœnitenti, nec alteri scienti etiam sub sigillo, nec etiam post mortem pœnitentis; nisi vel aliunde materiam illam sciverit, vel nulum sit periculum revelandi pœnitentem, vel habuerit ab hoc expressam licentiam: Doctores communiter. Ratio est, quia secus redderetur merito odiosa pœnitentibus confessio: ideoque D. Thom. in *suppl.* q. II. a. 1. ad 1. *Ex confessione scitum est quasi nescitum; imo, Mirnus scit, quam qui nescit, ut loquitur D. August.* Hinc maxime caveat Confessarius, ne in confessione loquatur de auditis in confessione aliorum, præsertim complicitis: &

&, si accuset, se audivisse confessionem alterius, præstat aliquando non eum monere de obligatione sigilli, ne forte ex malitia id dixerit, ut sic confirmetur sua suspicio. Caveat etiam Confessarius, vel quicumque viderit aliquem clam confiteri Confessario extraordinario, id aliis dicere, ne scilicet ingerat suspicionem peccati gravioris. Caveat item Parochus daturus Viaticum ægro, ne interroget Confessarium, an absolverit, sed solum interroget, an sit ille confessus, ne scilicet Confessarium incautum exponat periculo frangendi sigillum; Croix, Gorm. & alii. Porro quilibet Confessarius, si ab aliis interrogetur, potest, & debet negare peccatum pœnitentis, &, si opus fuerit, cum juramento, quomodocunque interrogetur, etiam ut Confessarius, quia habet scientiam omnino incommunicabilem, adeoque perinde est, ac si nihil sciret. Advertat tamen, quod, si interrogetur, an v. g. publica meretrix ipsi jam confessæ dixerit suas fornicationes, tunc potest positive negare, quia inde inferretur, confessionem non fuisse integram; debet ergo, vel remittere interrogantes ad pœnitentem; vel dicere, ipsam confessam esse, & se functum suo officio: Henr. Gorm. & alii. Si autem eam non absolvit (quod caute fieri debet, ne advertant adstantes) & tamen ipsa petat schedulam confessionis; tunc, si nullum dixit peccatum, potest negare, quia nulla habetur ne inchoata quidem confessio. Si vero cum animo se accusandi dixit aliquod peccatum, probabilius non potest negare, si soleat dare aliis; quia negare esset indirecte manifestare, quod confessam non absolvit: Con. Laym. Averf. & alii contra Bonac. Fagund. & alios.

Dixi primo: *Nisi aliunde materiam illam scierit*; si enim peccatum pœnitentis esset aliunde notum Confessario, hic non frangit sigillum, si de eo loquatur, nulla facta mentione confessionis, nec certius, vel amplius affirmet, quam, quod extra confessionem novit, quia confessio non privat jure loquendi de rebus, quas ante, vel post aliunde scit; solum ergo caveat, ne appareat loqui ex notitia confessionis: Navar. Suarez, & alii communiter contra Henr. Abb. Farinac. Hinc, si publicus peccator, quem non absolvit, petat ab eo Communionem, Viaticum, Extremam Unctionem, &c. potest, & debet negare etiam publice petenti; quia utitur notitia publica, & quam ipse etiam aliunde habet: ne
tamen

tamen revelet negationem absolutionis, dicat, *Cum sit publicus peccator, debes ante Communionem, &c. publice ostendere, quod mutaveris malam vitam*: Regin. Lugo, Averf. & alii.

Dixi secundo: *Nisi ullum sit periculum revelandi pœnitentem*; quia, si nullum sit tale periculum, nulli redditur odiosa confessio. Hinc Confessarii passim confidunt viros dictos de casu in confessione audito, tacendo personam pœnitentis. Contra vero, si aliquod sit ejusmodi periculum etiam suspicandi de illa, non possunt; ideoque, si Confessarius non possit aliter confiteri suum peccatum, nisi cum periculo manifestandi peccatum sui pœnitentis, debet illud tacere, juxta alibi dicta: si dicat aliis, *Primus mihi confessus fuit adulter*, exponit se periculo frangendi sigillum, quia facile scire potest, quis fuerit ille primus: item si dicat, *Hodie Mulier, Sacerdos, &c. mihi confessus est furtum*; quia exprimendo statum, & tempus, facit, ut persona in suspicionem prudenter venire possit: Fagun. & alii: item, si coram pœnitente, & aliis multis dicat, *Unus vestrum adulteravit*, frangit sigillum; quia merito reddit pœnitenti confessionem odiosam. Quod autem cap. *Sacerdos, de Off. Jud. Ord.* dicitur, *Pœnitentem argui posse indeterminate, sicut dixit Christus, unus vestrum me traditurus est*, intelligi debet de peccato aliunde noto: Sylv. & alii. Similiter, si de aliqua Communitate, Monasterio, vel Cœtu dicat, inesse aliquod peccatum, peti licentiam à reservatis, &c. quia quilibet est pars magna parvæ Communitatis; unde est non leve periculum suspicandi de reo: Suar. Vasq. Bonac. Lug. & alii communiter contra Navar. Averf. & alios. Secus vero, si id dicat de ampla Civitate, quia omnes sciunt in magna Republica esse peccata cujusvis generis, nec est periculum, ut Rei innotescant: Bon. Gran. Leand, & alii: etsi sæpe expediat ab his locutionibus abstinere, cum sæpe adfit saltem scandalum.

Dixi tertio, *Nisi habuerit à pœnitente expressam licentiam*; quia sigillum inductum est à Christo in gratiam pœnitentis, qui proinde potest illud relaxare: D. Th. & alii communiter contra Gabr. Duran. & alios. Debet autem hæc licentia esse expressa (nec satis est tacita, vel præsumpta: Doctores communiter contra Grass.) sive facto, ut si pœnitens incipiat loqui cum

Con-

Confessario de alias dictis in confessione, & sic dat licentiam loquendi secum; sive verbo, ut si dicat, ut de his loquatur cum alio. Debet etiam esse omnino libera, ita ut non valeat, si sit ob metum reverentialem, aut ob preces importunas concessa: Navar. Henr. Suarez, & alii communiter. Debet etiam esse concessa in bonum, ita ut, si sit in malum poenitentis, aut aliorum, non valeat: Nav. & alii; si autem ad animi solatium, valet: Leand. Debet denique stricte accipi, ita ut, si dicat, *Do licentiam, ut loquaris cum Titio*, debeas cum aliis servare sigillum, & dicere Titio, te loqui ex licentia poenitentis de auditis in confessione, ut scilicet Titius accipiat sub eodem sigillo: si dicat, *Quod dixi, sit tanquam dictum extra confessionem*, tunc, etsi possis loqui cum aliis, at non potes dicere, te audivisse in confessione, quia non loqueris ex ea notitia, neque ex facultate respectu illius, sed ex nova notitia: Suar. d. 33. f. 5. num. 7.

Infers hinc, Quod si Confessarius velit loqui cum poenitente extra confessionem de auditis in illa, debeat prius petere ab eo licentiam: Suarez, Nav. & alii communiter contra Palud. ita ut, si poenitens neget licentiam, debeat Confessarius tacere: Dian. p. I. t. II. r. 18. & alii communiter contra Suarez, cujus sententiam probabilem dixi q. 4. c. 2. in eo tantum casu, quo oblitus fuerit illum absolvere, quia non erat completum Sacramentum. Cæterum, si statim post absolutionem occurrat error emendandus, potest loqui etiam non petita licentia, quia, quæ fiunt in continenti, inesse dicuntur: Henr. Gran. & alii: idem est, si postea ad confessionem redeat, quia pertinet ad idem omnino forum: Gran. Leand. & alii contra Fag. & Dian.

C A P U T III.

An aliquando possit Confessarius uti notitia habita tantum in confessione?

Dico primo: Illicitum est uti scientia confessionis cum aliquo gravamine poenitentis, etiamsi absit omnis revelatio sigilli, & etiamsi multo gravius gravamen poenitentis sequeretur ex non usu talis scientiæ. Ita decretum est in Congr. Gen. univ. Inquis. sub Innocent.

nocent. XI. 18. Nov. 1682. quæ damnavit hanc in terminis Prop. *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* Ratio est, quia, quamvis abesset omne periculum revelandi figillum, & ita clam fieret, ut nemo prorsus adverteret, tamen adhuc merito redderetur fidelibus odiosa confessio, si scirent, aliquod gravamen sibi fieri posse ob notitiam datam in confessione. Quod verum est, etiamsi gravamen sit parvum, & multo gravius gravamen pœnitentis sequeretur ex non usu talis scientiæ; quia semper magni momenti est gravamen publicum, quod scilicet in omnes redundaret per hoc, quod sibi persuadeant, posse licite Confessarium uti scientia confessionis cum aliquali gravamine pœnitentis, & simul posse facile Confessarium ex nimio zelo, aut ex proprio affectu induci ad putandum, quod gravamen hic & nunc sit leve, &c. unde confessio ex hac persuasionem redderetur merito odiosa.

Hinc non amplius probabilis est sententia eorum (quos supra 40. refert, & rejicit Sanchez l. 3. Matr. d. 16. n. 2.) dicentium, Confessarium ex sola notitia confessionis posse indigno negare Eleemosynam, Sacramenta, Ordines, Suffragium gratuitum, & Secretum in electione gratuita, Beneficium, &c. quæ alias esset daturus; quia, etsi absit revelatio figilli, habetur tamen gravamen pœnitentis. Similiter nec potest ex tali notitia remove aliquem ab officio etiam ad nutum auferibili; nec expellere famulum confessum ei suum furtum, nec ostendere illi vultum severiorem, nec desistere à committendis ei negotiis, nec specialem inquisitionem instituire circa subditos, nec dicere alteri, ut invigilet super familiam suam, &c. Imo addunt Lug, Avers Croix num. 1977. frangi figillum, etiamsi in confessione juberet, famulum clavem reddere, aut sua sponte discedere, quia hæc jussio est actus non spectans ad confessionem. Similiter non amplius probabilis sententia Fagund. Tamb. & aliorum putantium, posse Superiores Regulares ex sola notitia confessionis statuere novas leges, crebrius visitare, claves reficere, ostium claudere, licentiam solitam exeundi negare, mutare cubicula, &c. etiam secluso omni periculo revelationis; quia semper adest gravamen pœnitentis, nisi ipse licentiam dederit: ideoque expresse

expresse Clement. VIII. 28. Maji 1594. prohibet Superioribus Regularibus, *Ne notitia confessionis utantur ad exteriorem gubernationem.*

Dico secundo: Non est illicitum uti scientia confessionis, si nullum sit gravamen pœnitentis; vel si ex non usu deberet confessarius facere aliquid intrinsece malum: Doctores communiter. Ratio est, quia non eodem pacto prohibetur revelatio sigilli, ac usus scientiæ confessionis; illa enim est semper illicita, etiamsi fieret in bonum pœnitentis: hic vero est solum illicitus, quando cedit in gravamen pœnitentis; si ergo nullum sit tale gravamen, erit licitus. Hinc ex *notitia confessionis* potest Confessarius omittere modum suum agendi, quem novit pœnitenti esse ingratum; familiarius cum eo se gerere ob spirituales ejus indigentias, vocare ad se, & volentem exercere studiis, ut sic honeste occupetur, & abducatur à malis consortiis; et si enim ille advertat, propter peccata confessa id fieri, tamen censetur ipso facto dare ad id licentiam, si scilicet non ostendat, id sibi esse molestum: Lug. Averf. Bus. Croix n. 1970.

Dixi: *Vel si ex non usu, &c.* v. g. Si maritus invita uxore suscepit Sacerdotium, & audiens ejus confessionem in articulo mortis intelligit peccatum, ex quo scit, matrimonium ab initio fuisse nullum; ea postea convalescente, & petente debitum, non posset reddere, quamvis ipsa adverteret eum negare ex notitia confessionis. Ratio est, quia talis redditio debiti esset intrinsece mala: Croix n. 1978. Addit Illf. n. 255. si sciam ex confessione, aliquem non esse Sacerdotem, posse definere ei confiteri, quia sic simulare susceptionem Sacramenti est intrinsece malum; sed probabilius dicit Lugo, me posse, ac debere pergere ita confiteri, quia dicere peccata non Sacerdoti absque intentione absolutionis non est intrinsece malum, & ex causa justa talis simulatio, & cooperatio ad peccatum illius videtur tantum materialis. Similiter, si Episcopus ex confessione sciat, aliquem non esse Sacerdotem, non ideo posset illum non designare in Confessarium, si alias hoc erat factururus; quia sic materialiter tantum, & ex justa causa cooperatur his sacrilegiis: Dicastil. ap. Croix n. 1977. Item Sacerdos non potest non communicare cum aliquo, quem ex sola confessione scit esse excommunicatum vitandum: neque potest non celebrare in Ecclesia, quam ex sola confessione

• fessione scit esse publice pollutam ; nisi vero nec revelatio sigilli , nec ullum gravamen pœnitentis inde resultet : Averf. f. 8.

At, quid, si Sacerdos celebrans ex confessione sciat, in Calice esse venenum ; vel ex confessione sciat, domi parari sibi mortem , aut in itinere parari sibi infidias , aut machinari in Principem, in Religionem, &c. Dico, si pœnitens nolit dare licentiam, & sit periculum revelandi sigillum, aut sit aliquod gravamen pœnitentis, teneri propinare venenum, exponere se periculo, &c. quare muniat se orationibus, & in divino auxilio speret, quod non sit aliquid mali eventurum : sic enim se, & omnia Deo committendo, rem ei gratissimam facit ad reverentiam Sacramenti, simulque ad augendam apud omnes securitatem sigilli, & ad omne pœnitentis gravamen vitandum : Croix, Viv. & alii post Decr. cit. Inquisitionis contra alios hodie non facile probandos. Hæc de Pœnitentiæ Sacramento dicta sint satis.



INDEX